
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 07439592 6



MMENTATIONES PHILOLOGAE

IENENSES

EDIDERVNT

MINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOL: VII FASC: I



EDI SNERI

COMMENTATIONES PHILOLOGAE

IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOL: VII FASC: I




LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCCIII

(Fortsetzung siehe 3. Seite des Umschlags)

ER VERLAG

NER in LEIPZIG



... Mit 1 Tafel und ... Abbildungen ...

... lateinischen Sprache ...

INDEX DISSERTATIONVM.

QVAESTIONES
DE LEONTII ARMENII HISTORIA

SCRIPSIT

ERNESTVS FILLER

Prooemium.

Tractaturo mihi librum, quem scripsit Leontius de Arabum in Armeniam primis incursionibus[1]), visum est prius paucis de Leontio ipso disserere. Atque quamquam neque partus neque mortis eius annus certe a quoquam traditus est, tamen et ex ipsius libro et ex aliorum rerum scriptorum testimoniis, qua fere aetate Leontius floruerit, colligi potest.

Saeculo octavo exeunte eum vixisse apparet ex ipsius verbis[2]), quibus: „Nam ut“, inquit, „certiores facti sumus ab ipsis hostibus.“ Agitur autem de pugna commissa in pago Bagrevand ad ripas fluminis Aradzani.[3]) Itaque post annum 772 librum scriptum esse Leontiumque tunc temporis vixisse necesse est.

Hoc ita se habere eo quoque probatur, quod, quicumque Leontii mentionem faciunt scriptores, in eodem fere tempore ponunt. Sic Stephanus Asołik[4]), qui saeculo X floruit, eum commemorat inter Sebēum[5]) et Šapuh Iohannemque Catholicum.[6]) Deinde Ciracos[7]), qui saeculo XIII scripsit, enumerat scriptores Armeniarum rerum hoc ordine: Sebēum (saec. VII) — deinde temporum ordo interrumpitur — Leontium, Thomam Ardzrunium.[8]) Tabula, quam apud Mkhitarum[9]) inveni, quae respiciatur propterea est indigna, quod vitiis abundat. Ponitur autem Leontius in hac tabula inter Mosem Ałovanensem (saec. X) et Ucthanem (saec. eiusd.).[10])

1) Inscriptio codicis est haec: „Enarratio Leontii magistri (wardapeti) magni Armeniorum de Muḥammeda quique eum secuti sunt, quomodo mundum universum et Armeniam quoque in potestatem suam redegerint.“ 2) P. 150; ed. Chahn. p. 145. 3) Circa annum 772.

4) P. 4. Paginarum ordinem sequar eum, qui exstat in versione vernacula a Burckhardto incohata. Praeter hanc versionem editione Armeniaca quoque usus sum (Petropol. 1885).

5) Mortuus est anno fere 662. 6) Scriptores saec. X.

7) Brosset (in versione Francogallica). Petropol. 1870. I p. 4.

8) Saec. X. 9) P. 25 versionis Francogall. Brosseti.

10) Qua re commoti Petermann (De osticanis Arabicis Armeniae gubernatoribus p. 9) eum in saec. X, Brooks (Engl. hist. Rev. XV p. 731) in saec. IX exeunte posuerint, equidem nescio.

Spatium temporis, quod tractavit Leontius, est annorum 156 ab anno 632 usque annum 788.

Iam pauca addam de codicibus editionibusque. Non ipsius Leontii manu scriptum librum adhuc exstare apparet ex ultimis totius operis verbis. Codices Leontii exstant quattuor: Ēdžmiadzin in monasterio; Venetiis; in bibliotheca Voscani Ohannésiani Erivan in urbe; Petropoli.[1]) Ediderunt Armeniace Chahnazarian (Par. 1857) et C. Edžeanç (Petrop. 1887). Verterunt in linguam Francogallicam satis libere idem Chahnazarian (Par. 1856), in linguam Russicam M. Patcanian (Petrop. 1862).

Ego usus sum praeter Chahnazariani versionem editionem Armeniacam Edžeançi, huius, non Chahnazariani ordinem capitum secutus. Cum totum Leontii librum ad verbum Latine vertere nimis longum esse videretur, non nisi quam brevissime capita excerpsi atque haec excerpta inclusi lineolis duplicibus. Deinde addidi, quod de quoque capite dicendum putabam. Hac in re fontes partim Graecos et Armeniacos adhibui, partim Arabicos vel Syriacos, quorum tamen, cum penitus sim imperitus duarum harum linguarum, versione tantum potui uti; praeterea non minimum fructum percepi ex Weilii historia chalifarum, quippe qui summa diligentia semper annotaverit, ex quo fonte hauserit.

1) Secutus sum his in rebus M. Patcanian, Catalogue de la littérature arménienne depuis le commencement du IVe siècle jusque vers le milieu du XVIIe in Mélanges asiat. tom. IV livr. I. 1860 p. 75 sqq. De Leontio agitur p. 95 sub no. 5.

Caput I. p. 3—6 (p. 1—4).[1]

Initium libri sui Leontius facit a morte Muhammedae, quem post regnum XX annorum decessisse dicit. Deinde sic fere pergit: „Post illum (sc. Muhammedam) regnaverunt Abû Bekr, ʿOmar, ʿOtmân per annos XXXVIII anno XI Heraclii a Deo coronati et pii regis Romanorum, quo regnante incursiones suas contra Iudaeam extendere non potuerunt (sc. Arabes). Habuit autem ille regnum Iudaeae et Syriae usque ad finem vitae. Sed vix Constantinus[2]) regnum patris acceperat, cum Arabes, incitati ab Iudaeis[3]), in Palaestinam irruperunt, Graecos in Arabia Petraea in fugam verterunt, Hierosolymam ceperunt, Palaestina Syriaque potiti sunt.“

Permulta in his verbis emendanda sunt atque annotanda. Primum tres illi chalifae, qui vocantur, primi inde ab anno 632 (die VII vel VIII mens. Iun.) usque ad annum 656 (diem XVII mens. Iun.) regnum obtinuerunt: i. e. per annos XXIV. Statuendum est, Leontium hunc annorum numerum invenisse ita, ut numerare coeperit ab eo anno, quem primum aerae Arabum posuerit: hoc modo primus Hegirae annus efficitur 618, non 622.[4]) Ceterum hac in re Leontius errat cum omnibus fere scriptoribus rerum Armeniacarum: nam apud hos Hegira ponitur inter annos 611 et 624.[5]) Annum deinde, quo primum Muhammeda palam religionem novam suam praedicare coepit, Leontius ponit anno XX ante eius mortem:

1) Sequor paginarum ordinem eum, qui exstat in editione Armeniaca, quae publici iuris facta est Petropoli anno 1887. Numeri uncis inclusi significant ordinem paginarum versionis Francogallicae a Chahnazariano (Parisiis 1856) curatae.

2) III, regnavit anno 641.

3) Cf. Brosset, Coll. d'hist. Arm. I p. 88 n[1].

4) Eosdem numeros exhibent Stephanus Asoŀik p. 86, 87; 101 — anno 68 aerae Armeniacae, anno Heraclii VIII i. e. 618. Erravit in anno Armen. annotando, ut saepius (vide, quae infra dicentur) atque idem tamen Hegiram ponit in anno 72 = 622 (p. 61). — Ciracus p. 29; 31, eumque secutus Samuel Aniensis (Brosset, Coll. d'hist. II p. 403).

5) Cf. Dulaurier, Recherches sur la Chronologie Armén. p. 210—221; et Leont. ed. Armen. p. 172 sq.

612; annus deinde XI Heraclii rursus spectare videtur ad aliam primi Arabum anni computationem.[1])

Illud porro, quod Leontius contendit, Arabes Heraclio imperatore vivente[2]) in fines Romanorum non invasisse, aperte falsum est. Nam jam a. H. 8 (629/30)[3]) expeditio magna contra Syriam facta est, Muḥammeda ipso quattuor duces mittente ad Christianos nationis Arabicae subiciendos. Sed a Theodoro vicario Arabes victi sunt ducesque tres ceciderunt pugna ad Mutam facta.[4]) Deinde quotannis fere hae incursiones in fines Romanorum repetitae sunt[5]): exempli gratia a. H. 9 (630/31), a. H. 11. (632/33) brevi ante Muḥammedae mortem; tum Abû-Bekr et ʿOmaro regnantibus usque ad annum 640 hae expeditiones non desierunt, quo demum anno Heraclio etiamtum vivente Caesarea urbe capta a Muʿâwîja (mense Schawwâl [a. H. 19. = mense Oct. 640] tota Syria prorsus in Arabum dicionem redacta est.[6])

Quem intellegamus praefectum Palaestinae[7]), ad quem Leontio auctore Constantinus (erat Heraclius) mandata miserit, haud facile sit diiudicatu: usque ad annum 634 Sergius[8]) certe huic provinciae praefuit. Deinde Theodoro Heraclii fratre ab Arabibus victo Theodorus sacellarius et Baanes, vir Armenius, duces exercitus Romani fuerunt, qui anno 636 pugna apud Hieromactem fluvium commissa victi et, ut videtur, interfecti sunt (die XII mens. Redschab a. H. 15 = die XX mens. Aug. 636).[9]) Ad hanc pugnam, qua de Syria decertatum est, Leontius spectare videtur: nam pugnatum est in Arabia Petraea.[10]) Romanos pedibus in pugnam isse praeter Leontium non nisi apud Sebēum[11]) inveni, qui: „postquam“ inquit, „(Ro-

1) Bar-Hebraeus, Chron. Syr. (ed Kirsch, Lips. 1789) p. 99: „Expletis XII annis Heraclii celebrari coepit Muḥammeda.“ Cf. Brosset. Coll. I p. 92 n[2]. 2) 610—641.

3) Cf. Eliam Nisibenum (vertit Fr. Baethgen D. M. G. VIII, 3) p. 109, a. H. 8, qui tamen falso Arabes vincentes inducit.

4) Theoph. (ed. de Boor.) p. 355 a. m. 6123.

5) Cf. Eliam Nis. p. 109/10 diversis annis.

6) Weil, Gesch. der Chalifen I p. 7; De Goeje, Mémoires d'histoire et de Géographie orientales II p. 5 sqq.; A. Müller, Der Islam I p. 259; Theoph. var. locis. 7) Leont. p. 5.

8) Theoph. a. m. 6124 (i. e. 634; cf. Goeje, ibid. p. 33) et Nicephorus. brev. p. 23 (ed. de Boor).

9) Cf. ad hanc quaestionem difficillimam Theoph. a. m. 6126 (p. 337 sq.); Goeje ibid. p. 103 sqq.; A. Müller I p. 255; Brooks (Byz. Ztschr. VIII 1899 p. 90). Apud Theoph. scribendum est (Goeje p. 108 n[1]) *κγ' τοῦ Ἰουλίου μηνός* pro *κγ' τοῦ Λώου μηνός* (p. 338, 2). Elias Nis. p. 110 s. a. H. 15 (636/37). 10) Leont. p. 5. 11) P. 13.

mani) ad Iordanam venerunt, transierunt in Arabiam et castris in fluminis ripis relictis pedibus contra illorum (sc. Arabum) exercitum profecti sunt . . . Sed fugere non potuerunt propter densum altumque pulverem, quo usque ad suras immergebantur, et solis gravem aestum". Similiter Thomas Ardzrunius[1]) pugnam eandem narrat: equos relictos, pedibus in pugnam itum esse, pulverem solemque Graecis impedimento fuisse. Equidem vero contra Brossetum, qui (l. in adnot. allato) hanc descriptionem sumptam esse ex Sebēi loco, quem modo attuli (p. 13), contendit, affirmaverim similitudinem quandam intercedere inter Ardzrunii atque Leontii enarrationem; nam Ardzrunius quoque falso hanc pugnam Heraclio iam mortuo commissam dicit: et totus color descriptionis magis ad Leontium quam ad Sebēum pertinere mihi videtur.[2])

Hierosolyma urbs duo per annos obsessa ab 'Amr anno 638 expugnata est: 'Omarus chalifa eam eodem anno ingressus est.[3]) Provinciae expugnatae tum Mu'âwija, frater 'Omari, praefectus est.

Caput II. p. 6—8 (p. 4—6).

Capitis II initio paucissimis Leontius absolvit interitum regni Persarum; hoc facto primam Arabum in Armeniam expeditionem describit:

„Altero autem anno[4]) Arabes coeperunt proficisci contra Persarum regem Iesdeǵerd[5]), nepotem Chosroës, qui exercitu coacto iniquo Marte cum iis postquam conflixit, in acie cecidit: ex hoc tempore regnum Persarum deletum est, quod per 481 annos duraverat. Arabes terram depopulati domum redierunt fisco regio capto." — Hic paululum subsistamus.

Primum est animadvertendum, iam initio anni 633[6]) Arabes coepisse incursiones facere in fines Persarum, quorum modo Iesdeǵerd, nepos Chosroës, rex factus fortissime cum se defendisset, anno demum 651/52 a sicariis, ut videtur, occisus est[7]): certe non

1) Apud Brosset, Coll. I p. 91.

2) Cf. Theoph. p. 338, 6: *ἀνέμου δὲ πνεύσαντος κατὰ Ῥωμαίων νότου . . . διὰ τὸν κονιορτὸν ἡττῶνται.* 3) A. Müller I p. 257 sq.

4) Estne intellegendus annus post expugnationem Hierosolymae? (annus 639).

5) Jazkert (633 [?]—651/52) A. Müller I p. 232 et 247.

6) Weil I p. 30n[1]: mense Martio.

7) A. Müller l. a.; Weil I p. 102 et n[1]. Th. Nöldeke, Ṭabarî p. 397 sqq. et 434.

pugna ab Arabibus cecidit. Regnum Sasanidarum quam diu duraverit, nulli, ut affirmat Huebschmann[1]), rerum scriptori Armenio notum est: Sebēus (l. a.) eumque secutus Thomas Ardzrunius[2]) annos 542 dederunt: duravit tamen tantum per annos 425 (226—651). Propius ad verum accedunt Mkhithar[3]), qui habet annos 418, et Samuel Aniensis[4]), qui habet annos 420.

Liceat hic inserere, ne singula nimis distrahere cogar, quid dicendum sit de Arabum regibus, quos Leontius usque ad p. 16 memorat. De tribus chalifis primis, qui Muhammedam secuti sunt, supra (p. 5) iam egi: mors eorum annotatur p. 12. ʿAlî, quartus chalifa[5]), a Leontio omnino silentio praetermittitur. Tempus deinde imperii Muʿâwîjae satis recte computatur (p. 12): ʿAlî interfectus est die 24. Jan. 661, Muʿâwîja mortuus est anno 680 mense Aprili.[6]) Iezîd (Leont p. 14), filius Muʿâwîjae, imperium obtinuit usque ad diem 10. Nov. 683. Fere recta igitur computatio apud Leontium est, nisi quod in numero mensium paululum erravit: sunt enim menses sex atque nonnulli dies. Duo deinde qui sequuntur Arabum reges, Muʿâwîja II, filius natu maximus Iezîdi regis, qui iam diebus 40, postquam regnare coeperat, decessit, et Merwân I, qui post regnum anni unius, mensium quattuor mense Ramadán a. H. 65 (Apr./Mai 685) interfectus est, nullo verbo a Leontio memorantur. Apud hunc sequitur post Iezîdum statim ʿAbd el Melik, filius Merwâni I, cuius tempus ut scriptor Armenius satis recte definit: regnavit enim ab anno 685 (Apr./Mai) usque 9. Oct. 705.

Series igitur chalifarum horum est haec:

Muhammeda (p. 1) 612—632: annos XX.	
Muhammeda, Abû-Bekr, ʿOmar, ʿOtmân ab anno primo Arabum (618) per annos XXXVIII . .	618—656
Muʿâwîja I (p. 12) 19 annos 4 menses	661—680
Iezîd (p. 14) 2 annos 5 menses	680—683
ʿAbd el Melik (p. 14) 21 annos — menses. . .	685—705[7])

1) Seb. p. 10 n[1]. 2) Brosset, Coll. I p. 93.

3) Vertit Brosset in: Mémoires de l'Académie de St. Petersb. VII Série. XIII No. 5. p. 77.

4) Brosset, Coll. II p. 405. 5) 17. Iun. 656—24. Ian. 661.

6) Dies non constat. Dissentiunt fontes inter diem 7. et 21. A. Müller p. 357.

7) Cum hoc chalifarum ordine atque temporum uniuscuiusque computatione Steph. Asoł. maximam partem congruit in partis sui operis II capite IV; unde tabulam chalifarum, quam (pars II cap. V) asseruit, sumpserit, diiudicare haud audeo. Pares tabulas pari modo depravatas inveni apud Ardzrunium (I p. 94) Sam. Aniens. (II p. 405) Mkhitharum p. 18.

Ab hac occasione non alienum mihi videbatur, paucis etiam imperatores Romanos attingere. Nominatur Heraclius[1]) eiusque filius Constantinus[2]) (p. 1 et 2), deinde (p. 9 et 12) Constans II[3]), nepos Heraclii. Recte Leontius (p. 9) huius regni anno secundo Dvin urbem captam esse[4]), falso (p. 12) annum Muʿâwîjae primum (661) et Constantis XXV (666/67) eundem esse dicit.

Transeamus post hanc digressionem ad descriptionem Leontii primae Arabum in Armeniam incursionis. Harum incursionum memoria quamquam ab alio aliter traditur, tamen conandum erit, si ex hoc labyrintho emergere possimus. Attamen statim ab initio animadvertendum est, Leontio, utpote qui centum fere annis post primas Arabum irruptiones vixerit, non tantum fidei attribuendum esse, quantum verbi causa Sebēo, qui hoc ipso tempore librum suum scripsit.

Tempus primae Arabum expeditionis in fines Armeniorum Leontius sic definit[5]): „Persis victis[6]) exercitus Arabum victor duas in partes divisus est: altera praeda onusta domum rediit, altera, et ea quidem maxima totius exercitus pars, transiit e finibus Persarum in Armeniae regionem ad Araxem fluvium sitam.“ Deinde[7]): „haec prima invasio suscepta est anno Hegirae XXII.“ Invenimus anno 618 primo posito additisque XXII — num Leontius ex annis solis vel lunae computationem suam instituerit, discerni vix poterit — annum primae incursionis 639/40. Atque per se facile potuit fieri, ut iam tum Arabes in Armeniam incursarent: nam ut iam vidimus (supra p. 6) hoc ipso tempore et Caesarea Syriae urbe capta et tota Mesopotamia usque ad Mosul et Rakh subiecta[8]) duo exercitus, Syriae et Persidis, in unum coierunt, neque quicquam obstat, quin putemus, Arabes, qua est hoc hominum genus facilitate et mobilitate, iam tum unam alteramve procursionem in partes Asiae minoris magis septentrionales extendisse, non tam, ut opinor, expugnandi quam populandi praedandique causa. Quod profecto ita factum esse ut veri etiam similius fiat, haud scio an illud quoque accedat, quod tum illud, quod Leontius dicit (p. 9) anno Constantis II secundo alteram incursionem susceptam esse triennio interiecto[9]), quadrat: erat autem tum annus 642/43 (639 + 3), post

1) 6. Oct. 610—11. Febr. 741.
2) 641; eodem anno Heracleonas, de quo silet Leontius.
3) 641—668. 4) 6. Oct. 642; vide infra cap. III. 5) P. 7.
6) Estne annus 639 ex Leontii sententia? Cf. supra p. 7 n[4].
7) P. 8: i khsan ev erkrord ami Abu-Bakhraj ev Ōthmanaj ev Amri.
8) A. Müller I p. 245. 9) Leont. p. 8.

pugnam ad Nihawend factam, et hoc tempore Dvin urbem captam esse constare videtur. Itaque primam incursionem anno 639/40 (a. H. 18/19)[1]) accidisse pro certo habeo. Sed illud, unde, utrum ex Perside, ubi anno vel exeunte 637 vel ineunte 638 Arabes pugna ad Dschalulam[2]) facta vicerant, an ex Syria, ubi tunc temporis Caesaream urbem obsidebant, hanc expeditionem primam fecerint, ambigi fortasse poterit. Atque A. Müller (I p. 259) rem ancipitem relinquit. Attamen mihi quidem verisimillimum esse videtur, exercitum ex Perside invasisse. Nam hoc ita esse si ponimus, et Leontium ipsum habemus, quocum stemus, et facilius possumus tum intellegere, cur ea potissimum Armeniae pars, quae adiacet ad Araxis ripas in oriente — atque Dschalula non ita multum distat ab hoc flumine — non ea sit prius devastata, quae a Wan lacu occidentem versus spectat.

Sed videamus iam de singulis.

„In servitutem", inquit Leontius (p. 7 sq.), „Arabes redegerunt vicos[3]), Marsorum[4]) et pagum Gołthn[5]) et urbem Nachdžawan.[6]) Deinde Araxe apud Džułaj[7]) vadum traiecto pars captivos reduxit, pars in pagum Artaz[8]) contra Procopium quendam, ducem Romanorum, qui castra posuerat in pago Kogowit[9]) in fine Bazucor[10]) et Mardu-

1) Sic, nisus quaestionibus recentiorum A. Müller I p. 260. Aliter, sed ut videtur, falso, St. Martin, Mémoires sur l'Arménie I p. 336 et Lebeau, Histoire du Bas-Empire. Nouv. Edit. par St. Martin XI p. 332.

2) Oppidum situm ad Dijalam fluvium, qui Tigridi immiscetur.

3) Vocabula Armeniaca geographica sic verti in linguam latinam:
avan vicus
gavaṙ pagus (quod nos dicimus Kanton, Distrikt)
dastakert, khałakh urbs
ašcharh provincia
kołmn latus, regio
givł (parvus) vicus (village).

4) Markh: Mari est unus ex novem pagis Armeniae Persicae (Parskahajkh) a provincia Atrpatakan in septentrionem versus.

5) Unus ex 37 pagis provinciae Waspurakan in occidentem versus ab Armenia Persica.

6) Urbs pagi eiusdem nominis prov. Waspurakan in sinistra parte Araxis; de significatione huius vocabuli vide Petermann, De ostic. Arab. Arm. gub. p. 10.

7) Eadem Araxis in ripa a Nachdžawan ad orientem versus.

8) In dextra ripa Araxis.

9) In provincia Ararat, quae Araxe in duas partes discinditur.

10) De Bazucor nihil inveni: apud Leontium item atque Marduçajkh hoc uno loco occurrit.

çajkh.[1]) Theodorus de Ṙštunikh princeps postquam ter frustra ab eo auxilium petiverat, cum popularibus suis Arabum magnam partem apud colliculum quendam Ełbars[2]) deperdidit et praeda onustus in pagum Gaṙni versus exercitum suum abduxit.[3]) Deinde Procopius ab Arabibus devictus est: Graecorum plus 60000, Arabum 10000 ceciderunt. Arabes hoc facto victores redierunt". Sic Leontius.

De illo Procopio, duce exercitus Graecorum in Armenia, nihil certi constat. Forsitan sit idem, qui a Constante II imperatore a. m. 6142 (649/50) ad Muʿâwîjam pacis petendae causa mittitur. Idem legitur apud Sebēum p. 26.

Theodorus de Ṙštunikh nobis notissimus est.[4]) Post bella civilia quam atrocissima inter principes Armeniorum anno circiter 634 Theodorus dux (marzpan) Armeniae factus coeperat patriae pacem reddere, cum Arabes Armeniam per longum tempus perturbationibus et vexationibus affecerunt. Postea (circiter anno 653) a Constante defecit ad Muʿâwijam; decessit Damasci 654 vel 58.[5])

Narratio illa de tanta Procopii clade summas dubitationes et suspiciones quin excitet fieri non potest, cum et fontes omnes — ne Theophanes quidem quidquam de clade suorum tradit — nullo verbo eam commemorent, neque per se sit verisimile, Constantem illis temporibus, quibus de Syria decertabatur, tantas copias in provinciam tam remotam misisse vel Arabes tot fuisse, ut Procopium signis collatis tanta clade potuerint afficere: praeterea quis omnino putet, Arabes hanc tantam suorum victoriam non summis laudibus praedicaturos fuisse?

Itaque sequitur hoc: expeditio nullo pacto tanta fuit, quantam describit Leontius. Videtur temeraria quaedam ac tumultuosa manus incursionem fecisse ex Perside: per fines Marsorum et pagum Gołthen irrumpentes Araxe fluvio traiecto urbem Nachdžawan diripuerunt, secundum ripam sinistram huius fluminis usque ad Džułaj urbem, ubi vadum erat, terram depopulati et rursus in ripam dex-

1) Locus situs in pago Kogowit. Inčičean (Geographia veteris Armeniae, Venet. 1822) p. 446.

2) Locus alias non nominatur; Inč. p. 447. 2—4: andzanoth anun; nomen ignotum apud Inč. l. a.

3) Non pagus, sed urbs antiquissima pagi Gełarkhuni in prov. Siunikh: St. Martin, Mémoires I p. 145.

4) Ṙštunikh pagus est in parte meridionali Wan lacus provinciae Waspurakan.

5) Singula afferam ad cap. IV p. 16. De victoria apud Ełbars ceteri fontes, quos quidem inspexi, nihil tradunt, ne Sebēus quidem, qui huic tempori proximus est.

tram transmissi regionem ad occidentem versus totam usque ad Kogowit vastaverunt. Deinde praeda onusti, fortasse a Theodoro in recessu oppressi, multis cum captivis in Persidem ad suos redierunt. — Conferas ad hanc primam incursionem testimonia, quae affert Dulaurier[1]), qui et ipse eam in anno 639 ponit. Sed mihi Leontii enarratio magis arridet quam quae Dulaurier adscripsit. Stephanus Asołik duobus locis de hac re agit: primum (p. 70) ponit rem in anno 86 (637), nescio quem auctorem secutus; altero loco (p. 87) rectius tradit de hac incursione. Pendet tamen totus a Leontio; iuxta hunc hoc tempore etiam Sebēo usus esse videtur.[2]) Quodsi Ciracus[3]) annotat, Armenios iam tum tributa Arabibus solvisse, mea quidem sententia ceteris fontibus omnibus de hac re tacentibus non est, cur huic testimonio vel tantillum tribuamus fidei.

Caput III. p. 9—12 (p. 7—10).

Hoc capite exponitur expeditio Arabum in Armeniam secunda atque tertia.

De secunda legimus apud Leontium fere haec[4]): „Anno II regni Constantis[5]) nepotis Heraclii Theodorus certior fit de nova incursione Arabum in fines Armeniorum.[6]) Sed Arabes, quae eorum erat celeritas, postquam eos impedire non potuit, quominus per Coraj[7]) angustias, quas occupaverat, in interiorem Armeniam intrarent, Dvin[8]) urbem nudatam ab omni militum praesidio — omnes apud Theodorum erant — ceperunt, viros trucidaverunt, coniuges liberosque numero 35 000 in servitutem abegerunt.“[9]) Sequitur (p. 10) lamentatio de Armenia tot malis afflicta. Deinde Leontius pergit sic: „Sed principes cum propter parvum militum numerum ulcisci non possent, hostes tuti in Syriam cum captivis redierunt; neque decem, qui secuti sunt, annis Armeniam vexaverunt.“ —

1) P. 225 sqq.

2) Cf. exempli causa Steph. Asołik p. 87 cum Seb. p. 15—17 et Leontio cap. 2 et 3. 3) I p. 31. 4) p. 9, 10, 11.

5) 641—668.

6) Eadem est, quae exeunte capite II p. 8 in fine significatur.

7) Ubi sitae sint, non repperi, eaedem sunt atque Cor (Seb. p. 15). Dulaurier p. 230 opinatur, fuisse hajoç cor i. e. vallis Armeniorum, a Wan lacu in occidentem versus.

8) Caput Armeniae, in prov. Ararat, in ripa fluminis Medzamōr.

9) Idem numerus apud Sebēum p. 17; Ioh. Cathol. p. 71 (ed. Armen. p. 58: falso St. Martin vertit necatos esse) Steph. Asoł. p. 70; Cirac. p. 31.

Haec secunda expeditio a Sebēo fusius narratur.[1]) Sed is quoque rem, ut Leontius, in annum 642, Oct. 6, refert.[2]) Ceterum, quae fuerit via, qua Arabes irruperunt, quas deinceps urbes ceperint, quae omnino quove ordine sint facta singula, semper alta caligine obrutum manebit.[3]) Non possum eruere, utrum Leontius, qui aperte dicit, Armenios Dvin capta Arabes aggredi ausos non esse, án Sebēus praeferendus sit, qui narrat[4]) Arabes, qui nonnullos dies Dvin in urbe recreandi causa morati cum captivis 35 000 in Syriam redibant, Theodorum, qui in pago Kogowit hostibus insidias posuerat, fugasse.[5])

Dux Arabum hac in expeditione erat Ḥabîb b. Maslama, qui tunc praefectus urbis Chalcidis (Kinnesrin) sitae in Syria erat.[6])

Sequitur tertia Arabum in Armeniam invasio.[7]) De hac traduntur haec a

Leontio	et Sebēo:
Anno Hegirae 36[8]) fecerunt Othman et Ogbaj ducibus novam irruptionem. In fine Armeniae tres in partes divisi sunt.	Anno sequenti[9]) Arabes in Atrpatakan profecti tripertiti sunt.
Una irrupit in regionem Waspurakan, quam usque ad Nach-	Una pars in Ararat provinciam irrupit;

1) P. 15—17; expugnationem praesertim Dvin urbis ornatius reddit: eiusque, cum sit harum omnium rerum aequalis (cf. Seb. p. 18 in fine), descriptioni fides habenda est; Leontius totum hoc tempus, ut postea videbimus, neglegentius tractavit. — St. Martin, Mem. I p. 336 falso expugnationem ponit in anno 639.

2) Vide Dulaurier p. 227 sqq.

3) Cf. Leban XI p. 334 sqq. et praesertim Seb. p. 15 sqq. 15 n[6]; 16 n[1], 17 n[2]). — Brosset, Coll. II p. 402 n[1].

4) P. 17.

5) Idem dicit Steph. Asoł. p, 87/88, ubi falso anno Constantis tertio, et p. 106, ubi recte secundo Dvin captam facit. — Cf. Sam. Aniens. II p. 401 (anno 641); Mkhitar. p. 76 (anno 639).

6) A. Müller I p. 260. — St. Martin (Lebeau XI p. 337 et h. p. n[4]) nisus quaestionibus, ut dicit, Mouradja D'Ohsson, describit expeditionem unius ducum Ḥabîbae, nomine Salman, usque ad mare Caspium, ubi ipse cecidit, exercitus maximam partem periit.

7) Leont. p. 11, 12; — Seb. p. 24 sqq. — Steph. Asoł. rursus, ut opinor, et Seb. et Leont. permixte excerpsit (p. 89).

8) 653/54. 9) 643/44.

džawan urbem expugnavit; altera in regionem Taron.[1]) Tertia ingressa est in pagum Kogowit.

Ardzaphkh[2]) Arabes nocte custodibus oppressis expugnant omniaque scelera committunt.

Sed Theodorus cum 600 militibus manum hostium circiter 3000 devincit, captivos liberat, Arabes praeda nudatos redire coegit.

Reliquae duae partes spoliis onusti et in Syriam reversi duos per annos Armeniam aggressi non sunt. Chalifae tres primi moriuntur paulo post.

altera in fines Sephakan-Gund[3]) Tertia in terram Alovanarum.[4]) Altera Sephhakan-Gund devastata captivisque abductis Erevan[5]) loco munito frustra obsesso itemque urbe Ordspu[6]) Ardzaphkh oppugnant, quam incuria 40 militum Armeniorum nocte semita recondita in arcem ascendentium adiuti nocte capiunt.

Hoc factum est anno II Constantis, die XXIII mensis Horhi, die hebdomadis prima, mane.[7])

Sed die sequenti dux Armeniorum eos (erant 3000 milites) aggressus summa clade affecit, captivos liberavit.

Duces Arabum Othman et Ogomaj[8]) ceciderunt.

Sequitur descriptio expeditionis eius partis Arabum, quae in Ararat incurrerat.

Has Sebēi et Leontii narrationes ambas ad eandem expeditionem spectare vix quemquam fugiet. Vides, scriptores Armenii quam non digni sint, quibus in singulis rebus fidem attribuas. Porro duobus his locis inter se comparatis apparere puto, Leontium non

1) In parte occidentali lacus Wan in pago Kogowit.
2) Locus munitus pagi Kogowit prov. Ararat.
3) I. e. selectae cohortis.
4) Populus Caucasi.
5) In pago Kotaiq, prov. Ararat.
6) Inter Erevan et Ardzaphkh.
7) Recte anno III Constantis. Erat teste Dulaurier (p. 232) 10. Aug. 643. Errat Dulaurier, quod dicit, Constantem primis diebus mens. Ian. anni 642 regnum suscepisse: cf. Gelzer, Abriſs der byzant. Kaisergeschichte (Anhang zu Krumbacher, Gesch. der byzant. Literatur) p. 951.
8) Legendum est Ogbaj, ut recte exhibet Leontius, i. e. Arabice ʿOkba.

ex Sebēo hoc loco hausisse; Leontius Sebēum omnino non ad manus habuisse mihi persuasum est: adeo non inter se congruunt. — Denique addam, Leontium in anno huius tertiae expeditionis annotando errasse[1]) atque Sebēum sine dubio praeferendum esse.

Caput IV. p. 12—16 (p. 11—15).

Vertam primum eam huius capitis partem, qua de tempore agitur, quod pacem inter Armenios et Muʿâwîjam ca. 661 factam antecedit (p. 12—14).

„Anno primo Muʿâwîjae[2]) Constantis vicesimo quinto Constans certior factus, Muʿâwîjam bellum parare contra Armenios, praefectum Ciliciae cum Arabibus confligere, Symbatium Bagratunium, quem imperator loco Theodori Ṙštuniensis[3]) praefectum Armeniae fecerat, hunc sequi, Theodorum Ṙštuniensem filium suum Ward cum copiis ad eum (sc. praefectum Symbatium) mittere iussit. Theodorus necessitate coactus misit filium, ei tamen mandavit, ut quavis occasione a Graecis deficiendi propere uteretur: quod fecit Ward in pugna quadam ad Euphratem die septimo (i. e. Sabbatorum sacro) paschae commissa: nam rescindendo ponte sublicio in Euphrate facto effecit, ut Graeci victi fuga sese servare non possent.[4]) Hac tanta clade nuntiata Constans consilium cepit numquam cum Arabibus pugnandi.“ Leontius quidem hactenus. —

Multo copiosius disserunt de hoc tempore Sebēus potissimum atque Iohannes Catholicus.[5]) Sed ne horum quidem enarratione satis confusa nobis imago rerum, quae hoc spatio — dico intra 643—661 — gestae sunt, clara praebetur. Constare tamen videntur fere haec:

1) Haud scio an Leontius hanc expeditionem anni 643/44 confuderit cum iis, quae anno 652/53 acciderunt, de quibus vide Seb. p. 30—35.

2) Eum regnasse dicit annos 19 mens. 4. Itaque primus annus est 661 (mens. Ian. vide supra p. 8). Sed annus Heraclii nepotis (Constantis II) XXV est annus 666/7. Forsitan numerus XXV corruptus est vitio dittographiae propter similitudinem duorum signorum, quibus Armenii utuntur ad significandos numeros XX et V: deinde profecto efficeretur annus 661.

3) Quem propter eius in Procopium perfidiam dignitate exuerat (Leont.).

4) Cum de anno huius pugnae nihil constet, dies quoque hic paschae certius definiri nequit.

5) Accedunt Theoph. atque Bar-Hebr., de quibus paulo infra.

Theodorus post 643 precibus Nersetis[1]) (643—662) a Constante dux atque patricius Armeniae nominatur. Eodem tempore Warazdirots mortuo[2]) Symbatius, filius eius, curopalates et Armeniae praefectus a Constante erat constitutus, quamquam tum Theodorus quoque locum suum iam obtinebat.[3])

Spatio deinde octo fere annorum interiecto[4]) (643—51) Theodorus Ṙštuniensis a Constante defecit. Hoc nuntiato Constans magno cum exercitu Dvin in urbem pervenit[5]), Theodori loco, cui dignitatem praefecturae ademit, Mušeł Mamiconium ducem equitatus nominavit; ipse cum rebus urbanis Constantinopolim reverti cogeretur, Maurianum quendam ducem Armeniae reliquit. Sebēo auctore[6]) Constans in Armenia fuisse videtur ante indutias cum Muʿâwîja factas.[7]) Forsitan cum hac Theodori seditione (a. 652) cohaereat, quod Theophanes ad a. m. 6143 (652/3)[8]) tradit: *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐστασίασε Πασαγνάθης, ὁ τῶν Ἀρμενίων πατρίκιος, τῷ βασιλεῖ καὶ σπονδὰς μετὰ Μαυΐου πεποίηκε δεδωκὼς αὐτῷ καὶ τὸν ἴδιον υἱόν. καὶ ἀκούσας ὁ βασιλεὺς ἦλθεν ἕως Καισαρείας Καππαδοκίας καὶ ἀπελπίσας τῆς Ἀρμενίας ὑπέστρεψεν.*

1) Paulo post Dvin urbis expugnationem (6. Oct. 642) Esram secutus erat; obtinuit sellam patriarchalem per annos 20 (Ioh. Cath. p. 71 et 78, falso Asoł. p. 71: 10 annos).

2) Cf. Dulaurier p. 358 n[5].

3) Cf. Seb. p. 17, 22; Ioh. Cathol. p. 71, 73.

4) Seb. (et Theoph.) nihil tradunt de expeditione quadam Arabum hoc temporis spatio in Armeniam facta. Sed Elias Nis. (p. 111) a. H. 25 Gr. 957, D. 645/6 habet: Hoc anno Muʿâwîja ab ʿOṯmâno iussus Ḥabîb b. Maslama in Armeniam misit, quam depopulatus rediit; atque Bar-Hebr. (p. 110) a. H. 25 (Gr. falso 958): Ḥabîb a Muʿâwîja hieme missus Armeniam invasit: caesis viris, captis hominibus, urbibus incensis rediit. Bar-Hebr. hic non ab Elia pendet, neque Michael Syr. (vertit Langlois), ex quo alias saepissime hausit Bar-Hebr., quidquam de hac invasione habet. Aut igitur ambo erraverunt in anno annotando, aut profecto anno 645/6 invasionem Arabum factam esse ponendum est. Hoc ego malim, praesertim cum Elias (p. 112) a. H. 31 (651/2) quo tempore etiam ceteri fontes invasionem Arabum narrant, et ipse rursus expeditionem Ḥabîbae afferat.

5) Num huc spectat Sam. Aniens. p. 407 a. 664?

6) P. 30 et 35.

7) De his indutiis conferas praeter Seb. (p. 26 et 35 n[2]) Theoph. a. m. 6142 (p. 344, 21 sqq.) 651/2: *πέμπει δ' ὁ βασιλεὺς Κώνστας Προκόπιόν τινα πρὸς Μαυΐαν ζητῶν εἰρήνην· ὃ καὶ γέγονε ἔτη β'.* Seb. p. 30 dicit indutias tres in annos esse constitutas: cf. Wellhausen, Die Kämpfe der Araber mit den Romäern (Gesellsch. der Wiss. z. Götting. Phil. Hist. Klasse 1901, Heft 4) p. 8 n[1].

8) P. 344, 26—29.

Quis hic Pasagnathes fuerit, nescio. Potest factum esse, ut nomen corruptum sit pro Theodoro: nam est idem tempus eademque res.[1]) Sed mirandum est, qui factum sit, ut Theophanes (l. a.) silentio praetermiserit expeditionem Constantis usque ad Dvin urbem.[2]) Constans reverti ex Armenia coactus est nuntiis, qui ad eum de magna expeditione perferebantur, quam terra marique Muʿâwîja summo studio praeparabat.[3])

Contra illum Maurianum Theodoro petente Ḥabîb ille Ibn Maslama missus est, qui eum devicit. Huc referendum est illud Theophanis a. m. 6145 (653/4)[4]): *Τῷ δ' αὐτῷ ἔτει Ἄβιβος, ὁ τῶν Ἀράβων στρατηγός, τὴν Ἀρμενίαν ἐπεστράτευσε καὶ περιτυχὼν Μαυριανόν, τὸν τῶν Ῥωμαίων στρατηγόν, καταδιώκει αὐτὸν ἕως τῶν Καυκασίων ὀρέων καὶ τὴν χώραν ἐλῄσατο.*

Hos in annos referenda videntur, quae Leontius ineunte hoc capite IV enarrat: i. est inter annos 651/54. Iam supra[5]) vidimus, veri esse simillimum Leontium decem annis errasse. Quae facta sunt anno 643/44, posuerat in anno 653/54: sic nunc confudisse videtur res annorum 651/54 et anni 661/2, quo Gregorius pace inter Armenios Arabesque facta praefectus Armeniae a Muʿâwîja constitutus est.[6])

Addam iam pauca de rebus singulis. Causa, cur Theodoro dignitas adempta sit, non tam illa in Procopium perfidia, de qua ceteri auctores omnino nihil tradunt, quam defectio anni 651/52 erat ad Muʿâwîjam: Leontius de rebus his annis gestis non satis eruditus est. Quis ille praefectus Ciliciae fuerit, nescimus. Num intellegendus est Maurianus? Sed is neque Ciliciam administrabat neque victus est in Syria. Fortasse re vera illis temporibus in Syria ad Euphratae ripas pugna est facta, ad quam referendum est testimonium, quod exstat apud Eliam[7]): eo anno Ḥabîb b. Maslama Armeniam quartam in Arabum dicionem redegit. Ponendum sane tum esset, Leontium de illa clade Mauriani vel nihil scivisse

1) Sic coniecit H. Gelzer. Contra Lebeau XI p. 351 putat, eum fuisse ducem Armeniae occidentalis, secutum Méjij.

2) Cf. Seb. p. 31 et Ioh. Cathol. p. 74 sqq.

3) Theoph. a. m. 6146 (654/55) p. 345, 16 et Wellhausen p. 6, 7; cf. Ibn Al Athir (Journ. of hell. Stud. XVIII, 184 et n[1]).

4) P. 345, 11—14. Apud Seb. quoque Maurianus usque ad extremos septentriones ab Arabibus pellitur. p. 41.

5) P. 15 n[1].

6) Cf. secundam huius capitis IV partem.

7) P. 112 a. H. 31: 651/2.

vel nihil tradere voluisse.[1]) De proditione illa Ward, filii Theodori, alias nihil potui invenire. Symbatius Bagratunius, qui, ut videtur, anno 652 loco Theodori Armeniae praefectus est (scil. ex Leontii sententia), mea quidem sententia idem est, qui Sebēo teste[2]) ca. annum 643 Warazdiroc patrem praefectus Armeniae secutus erat. Non alienum est, eum pugna Euphratensi cecidisse.[3])

Sed non diu Armenii ab Arabibus steterunt. Nam cum 'Otmâno chalifa mortuo[4]) bella civilia inter ipsos Arabes exorerentur, rursus in Constantis dicionem reversi sunt. Theodorus, ut videtur, iam anno 654[5]) Damasci mortuus erat — eum tum secutus est Hamazasp Mamiconius, filius Davidis[6]) —; Nerses, qui initio defectionis Theodori fugerat, sex post annos exilii reversus erat.[7]) Hamazasp ipse defecit tunc ad Constantem, qui ei Nersete auctore ignovit.[8]) Mu'âwîja obsides — fuisse dicuntur 1775 — trucidavit.[9])

Sed Armenii, cum Constans nullis auxiliis eos adiuvaret, rursus in fidem Mu'âwîjae sese conferunt.

De hac deditione rebusque, quae deinceps secutae sunt usque ad annum 685, agitur a Leontio parte capitis IV altera hoc fere modo:

„Post pugnam ad Euphratem factam Mu'âwîja ab Armeniis petiit, sese ut dederent. Concilium principum — particeps eius fuit Nerses quoque catholicus Armeniae, qui ecclesiam St. Gregorio dedicatam egregiam aedificavit[10]) —, habitum est. Videbatur Arabibus se dedere. Principes Gregorius Mamiconius et Symbatius Bagratunius Damascum obsidum loco mittuntur.[11]) Pax convenit inter eos

1) Quam multas res Leont. praetermiserit silentio, saepius iam vidimus saepiusque infra videbimus. 2) Vide supra p. 16.

3) St. Martin, Mémoir. I p. 337. — Inde ab hoc tempore Steph. Asoł. fere non hausit nisi ex Leontio, ut apparebit in iis, quae deinceps disserentur. 4) 17. Iuni 656.

5) Eum morbo gravissimo implicitum fuisse (c. ann. 653/54) Seb. testis est (p. 38).

6) Seb. p. 42. Ioh. Cathol. p. 76. Steph. Asoł. p. 70. Cirac. p. 32.

7) Anno 657 vel 658? 8) Ioh. Cathol. p. 77.

9) Seb. p. 43. Ioh. Cath. p. 77. Steph. Asoł. p. 70 (habet 1777 trucidatos).

10) Ruinae huius ecclesiae, iuxta quam etiam domum sibi exaedificavit Nerses munitam, adhuc existunt prope monasterium Ēdžmiadzin (cf. Brosset, Voy. archéol. en Transcaucasie 3e rapport p. 83, et id. in Mém. de St. Petersb. XIII 5 p. 77). Nerses aedificare coepit haec aedificia tempore indutiarum annorum 651/53, et reversus ex exsilio (c. annum 657/58) ad finem perducere properavit (cf. Seb. p. 26, 27, 26 n³, 42. Ioh. Cathol. p. 72. Asoł. p. 63): cf. infra p. 26.

11) Hac in re Leontium contra Seb. sequar. Nam si, ut tradit Seb.

ea condicione, ut Armenii Muʿâwîjae quotannis solverent 500 dahekan, Muʿâwîja autem Armenios adiuvaret contra imperatorem Romanum." — Poterit ambigi, utrum huc spectet, quod Ciracus (p. 31) eumque secutus Samuel Aniensis de pace quadam Arabum cum Armeniis facta tradunt, necne. Id vero pro certo habeo, summam 500 dahekan multo minorem esse quam ut credi possit: sunt enim 500 dahekan fere 3000—4500 Mark, ut nos dicimus.[1]

Quaeritur, quo anno hoc foedus ictum sit. Certe ante mortem catholici Nersetis, qui anno 662[2]) obiit, et post mortem Hamazasp, qui restitutus a Constante in dignitatem, quam a Muʿâwîja acceperat, tribus annis post e vita decessit: eodem autem anno restitutus est, quo revertit Nerses (657/58): itaque mortuus est ca. annum 660/61.[3]

„Deinde", sic pergit Leontius, „idem ille Gregorius Mamiconius a Muʿâwîja toti Armeniae praefectus est. Quamdiu Muʿâwîja regnavit, Armenia pace fruita est: Gregorius magna cum prudentia patriae otium atque tranquillitatem reddidit; aedificavit templum in vico Arač in pago Aragadzotin."[4] De illa clade, quam commemorat Iohannes Catholicus[5], principis Iberum nomine Nersēh aetate Israeli patriarchae[6], qua praefectus Armeniae Arabicus Barabaj illum affecerit, alias nihil inveni.[7]

„Sed postquam" — hic est finis capitis IV — „Armenii 30 annos iugum Arabum tulerunt, deficere animum induxerunt atque cum Iberibus Albanisque sese coniunxerunt, cum viderent, Arabes bellis

p. 43, duo hi viri iam tempore (c. 656), quo Armenii rursus Hamazasp, fratre ipsius Gregorii, duce ab Arabibus defecerunt, in Muʿâwîjae potestate fuissent, dubium non videtur, quin hos quoque, sicut alios 1775 obsides, trucidaturus fuerit: contra Armeniis ex usu fuit tum demum, cum rursus pacem cupiebant facere, hos viros duos amplos atque nobilissimos obsides mitti.

1) Vide de hac re Cirac. p. 31 n[4] et Steph. Orbél. p. 107 n[1] ed. Brosset.

2) 642 (vel 643) — 662, viginti per annos. Ioh. Cath. p. 78; Cirac. p. 31; Sam. Aniens. p. 405; alii; falso Steph. Asoł. p. 71, qui ei decem annos attribuit.

3) Seb. p. 42; Ioh. Cathol. p. 77 et 78.

4) In provincia Ararat. Item Ioh. Cathol. p. 79, Steph. Asoł. p. 71, cf. Mémoires de St. Petersb. XIII, 5 p. 77. Sam. Aniens. ponit hoc in anno 672 (p. 407). Idem dicit l. a. Gregorium decem per annos praefecturam Armeniae administrasse. Quod tamen non recte: administravit enim annos circiter viginti tres 662—685.

5) P. 81.

6) 668—78: Ioh. Cathol. p. 81; Steph. Asoł. p. 71; Cirac. p. 33 falso 6 annos ei dat.

7) Vardan p. 57 a Cathol. pendere videtur.

domesticis in dies magis magisque inter se dilacerari. Haec insurrectio tres per annos ubi duravit, Chazari in Armeniam irruperunt. In pugna contra eos facta multi principes Armenii, Iberii, Albanii ceciderunt, Chazari compluribus Armeniae provinciis vastatis multis cum captivis praedaque onusti in terram suam regressi sunt."

Sic legimus apud Leontium. Iam videamus, quantum hoc vero respondeat. Illi triginta anni sunt 651/52—682: nam inde ab Theodori defectione Armenii in potestate Arabum erant.

Itaque illa insurrectio erat annis 682—685. Tempus perbene quadrat. Tunc ipsum Arabes inter se vehementissime conflixerunt. Quamquam de defectione horum annorum apud nullum alium scriptorem rerum Armeniacarum quidquam inveni[1]), tamen huic Leontii testimonio non esse puto cur diffidamus, praesertim cum Baladhuri quoque[2]) memoriae prodat Armenios ab Arabibus sese liberare conatos esse illo tempore, quo ʿAbd el Melik et Ibn Zubeir de principatu inter se certaverint. Usque ad illud temporis (682) Armenios Arabibus obnoxios atque tributarios fuisse elucet e condicionibus pacis cum ʿAbd el Melik redintegratae inter Romanos Arabesque, cuius facit mentionem Theophanes a. m. 6178[3]) i. e. 686/87: *Τούτῳ τῷ ἔτει ἀποστέλλει Ἀβιμέλεχ πρὸς Ἰουστινιανὸν βεβαιῶσαι τὴν εἰρήνην, καὶ ἐστοιχήθη ἡ εἰρήνη οὕτως· . . . καὶ ἵνα ἔχωσι κοινὰ κατὰ τὸ ἴσον τοὺς φόρους τῆς Κύπρου καὶ Ἀρμενίας καὶ Ἰβηρίας.*[4])

Forsitan dux huius Armeniorum seditionis fuerit Nerses ille de Širak, quem Ciracus[5]) post Gregorium Mamiconium tres per annos principem fuisse dicit[6]): certe is vel idem vel cognatus illius erat Ner-

1) Fortasse ad eam spectat, quod Sam. Aniens. adscribit ad annum 660 (p. 405): Seditio Eriwan in urbe, cuius res singulas invenies apud Šapuh et Steph. Asoł. (Šapuhi liber periit, apud Asoł. nihil de hac re dicitur). Nam in rebus chronologicis Sam. Aniens. vehementissime errare solet.

2) Apud Wellhausen p. 16. 3) P. 363, 6.

4) Idem habet Bar-Hebr. p. 117/118: pacem iniit cum Iustiniano in decem annos . . . Pacti etiam sunt . . . Armeniam una cum Chorazene, Arzanene et Aderbigana Romanorum potestati subiectum iri. Elias Nisib. p. 117 a. H. 65, 7. Tammûz = 7. Juli 685 (cf. Wellhausen p. 15) dicit ʿAbd el Melik iam tum cum Constantino IV pacem fecisse: Haec pax igitur tantum redintegrata est cum Instiniano cf. Elias Nis. p. 117 a. H. 69 (688/89); et Chronic. Syriacum (quod edidit Brooks in DMG 1897) p. 580 (post annum Gr. 996 = 685 in tres annos). Vide de hac pace: A. Müller I p. 376 et h. p. n[1], 383; Ranke: Weltgesch. V, 1, p. 187 sqq. 188 n[2]. 5) P. 33.

6) Cf. Sam. Aniens. p. 407, qui eum in annum primum seditionis refert 682.

setis, quem Stephanus Asołik[1]) 4 annos Armeniae praefuisse tradit[2]), i. e. 689—93. Uterque erat e familia Camsarakanorum: nam Širak aeque atque Pasen erat familiae Camsarakanorum.[3]) Fortasse in hoc tempus referendum illud quoque est, quod Iohannes Catholicus[4]) de clade Nersetis cuiusdam principis Iberum — Vardan appellat eum principem Georgiorum, quos huius insurrectionis participes fuisse, ut iam vidimus, tradit Leontius — memoriae tradit. Camsarakani, ut postea apparebit, etiam auctores defectionis erant ab ʿAbd el Melik anno circiter 703.[5])

Dum hoc modo Arabes — ancipite ut videtur Marte — cum Armeniis seditiosis acerrime pugnant, his Chazari superveniunt: contra eos pugnans cadit Gregorius Mamiconius praefectus Armeniae.[6]) De hac re omnes fere scriptores Armeniaci consentiunt. Iohannes Catholicus[7]) hoc accidisse contendit anno Isaaci catholici septimo i. e. 685[8]) (vel 684): Gregorius contra eos cecidit.[9]) Asołik[10]), qui hoc loco duos diversos fontes secutus esse videtur, dicit altero loco: anno quinto Isaaci (ex eo erat catholicus 678—703) i. e. 783 anno aerae Armeniorum 130 i. e. 681; altero recte: anno 134 (i. e. 685) Chazaros in Armeniam irrupisse, principes multos Armeniorum Iberumque cecidisse; idem[11]) plane congruens cum Leontio tradit Chazaros primo Instiniani II anno (685)[12]) in Armenios, Iberes, Albanos dominationem exercuisse. Samuel Aniensis Gregorii mortem errore chronologiae aperto in anno 681 ponit.[13])

Itaque vidimus id: Armenii seditionem fecerunt contra Arabes annis 682—685. 685 Chazari incursionem faciunt Gregoriumque Mamiconium, praefectum Armeniae, in pugna occidunt eodem anno 685.

1) P. 71.
2) Cirac. p. 34 ei attribuit tres tantum annos.
3) St. Martin. Mémoir. I p. 341.
4) Vide supra p. 19, cf. etiam Cirac. p. 33 n[4].
5) Leont. cap. 7 et 8.
6) Praefuit igitur Armeniae 662—685. 7) P. 81.
8) Isaac (Asoł. p. 71 = 25 ann.; Ioh. Cathol. p. 85: 26 ann.; Cirac. p. 33: 26 ann.; Sam. Aniens. p. 407: 23 ann. [ab anno 680: ergo 680—703]; Mkhithar p. 13: 23 ann.; Steph. Orbél. p. 275: 26 ann.) obtinuit dignitatem 678(677)—703.
9) Ioh. Cathol. p. 81.
10) P. 71. 11) P. 106.
12) Primum 685—695; alterum 705—711.
13) P. 409.

Caput V. p. 16—18 (p. 15—18).

„Gregorio successit Ašot Bagratunius, homo praestantissimus, qui ecclesiam magnificam aedificavit Dariunkh in urbe.[1]) Primus Ašoti annus insignis erat stella crinita.“ Bar-Hebraeo teste[2]) apparuit cometa anno 683, quem tamen vix crediderim eundem esse atque quem Leontius intellegi hic vult. Mkhithar[3]) ad annum 681 habet: apparuit stella crinita, omen famis, belli, magnae perturbationis. Alias nihil de hoc cometa inveni. Sed Dulaurier quoque[4]) eum anno 685, quo ex nostro calculo Ašot praefecturam Armeniae suscepit, apparuisse affirmat. —

„Anno secundo regni Iustinianus exercitum misit in Armeniam, qui terra devastata, monumentis multis deletis praeda onustus rediit.“[5])

Theophanes[6]) ad a. m. 6178 i. e. 685/86 de hac expeditione nobis tradit haec: *Ἰουστινιανὸς δὲ ... ἀποστέλλει Λεόντιον τὸν στρατηγὸν ἐπὶ τὴν Ἀρμενίαν μετὰ Ῥωμαϊκῆς δυνάμεως καὶ τοὺς ἐκεῖσε Σαρακηνοὺς κτείνας ὑποτάσσει Ῥωμαίοις, ὡσαύτως καὶ Ἰβηρίαν καὶ Ἀλβανίαν, Βουκανίαν*[7]) *τε καὶ Μηδίαν*[8]) *καὶ φορολογήσας τὰς χώρας πάμπολλα χρήματα τῷ βασιλεῖ ἀπέστειλεν.* Hic Leontius idem est, qui postea regnavit (695—698). — Fusius hanc invasionem describit Stephanus Asołik (p. 71/72), qui hoc loco certe non Leontium, fortasse Šapuh secutus est. Hic narrat anno regni III Iustinianum duos exercitus in Armeniam misisse: pagos XXV devastatos, familias 8000 in captivitatem abductas esse. Anno deinde quarto Iustinianus ipse in Armeniam profectus est ibique praefectum constituit Nersetem Camsarakanum, qui

1) In pago Kogowit prov. Ararat.: ibi erant sepulcra familiae Bagratuniorum (Seb. p. 23 n[4]); his diebus urbs appellatur Bajazid (Leont. ed. Fr. p. 16 n[1]). Tabula illa picta non incarnationis, ut vult Leontius, sed sepulturae Christi asservatur adhuc in monasterio Ēdžmiadzin (Leont. ed. Fr. p. 16 n[3]). De hac ecclesia tabulaque picta tacent ceteri, quos inspexi, scriptores Armeniaci.

2) P. 116: Hoc tempore cometa magnus apparuit undecim dies . . . Haec acciderunt anno Graec. 994 (683). 3) P. 78.

4) P. 235; Steph. Asoł. p. 89, 90 totus pendet a Leontio.

5) Leont. p. 17. 6) P. 363, 26.

7) St. Martin (Lebeau XII p. 5 n[6]) conicit sagaciter pro *Βουκανίαν*: *Μουκανίαν*. Mukan vel Mugan in parte meridionali Araxis non longe ab ore Cyri in mare Caspium inter Armeniam et Atrpatakan est; cf. Dulaurier p. 358, XVI, 1.

8) St. Martin (Lebeau XII p. 5 n[7]) dicit intellegendum esse Waspurakan.

quattuor annos hoc munere functus est[1] (688—692?). Bar-Hebraeus et Elias Nisibenus omnino de his rebus tacent. — Iustinianum ipsum in Armenia bellum gessisse vix videtur credibile: nam qui fieri potuit, ut Theophanes nihil de hac Iustiniani ipsius expeditione afferret?

Illud, quod Iustinianus anno uno post pacem illam anni 685 (vel 686/87)[2] iam Arabes, qui in Armenia erant, trucidavit, nemo mirabitur, qui eius mores depravatos recte noverit. Intellexit Iustinianus hoc temporis momentum ad Armeniam recuperandam peropportunum esse: Arabes non valere ad hostes exteros arcendos, Armenios pugnare contra Arabes, Chazaros supervenisse Armeniis; itaque non dubitavit occasione tam idonea oblata uti.[3])

„Post Iustinianum expulsum regnaverunt Leontius et Apsimarus et Tiberius et Theodosius.[4]) Iustinianus adiutus a socero[5]) nomine Truēł, rege Chazarorum, regnum recepit; Chazaros magnis donis praeditos remisit.“

Sed errat Leontius: erat rex Bulgarorum, nomine Terbelis[6]), qui non cecidit, sed domum rediit liberaliter ab Iustiniano donatus.[7]) Truēł penitus congruit cum *Τέρβελις*: loco litterae *β* positum est *ου*, quod saepissime invenitur; sic exempli causa: *Βαάνης* Graeci, Vahan Armenii. —

„Anno praefecturae quarto“, sic pergit Leontius[8]), „Arabes denuo in Armeniam invaserunt per fines Markh[9]), diripuerunt Chram[10]) Džułaj[11]) Chošakuni[12]); Arabes fugati Armeniorum sequentium maximam partem retinent praeda ante eos dispersa: Ašotum paucis cum comitibus fugientibus hostibus insistentem vulnerant. Comitum cla-

1) Cirac. ei 3 annos attribuit, idem Sam. Aniens. p. 409, qui eum 689 praefecturam obtinuisse dicit. 2) Vide supra p. 20.

3) Sequi igitur videtur hoc: Iustinianus ab anno 686 conatus est Armeniam suae dicionis facere; tres ibi annos 686—688 pugnatum est. Deinde Armenii sese subiecerunt; Nerses eorum praefectus ab imperatore factus est.

4) Recte sic: Leontius imperator fuit 695—98; deinde Apsimarus, qui ubi imperator factus est, nomen accepit Tiberii III, 698—705. Theodosius vero multo post regnum adeptus est: 716—717. Interim regnaverant Iustinianus iterum 705—711, Philippicus Bardanes 711—713, Anastasius II Artemius 713—716.

5) Falso vertit Chahnaz. vocabulum aner vocabulo beau-frère p. 17.

6) Theoph. p. 374, 2. 7) Ibid. p. 374, 29.

8) P. 17 sq. 9) Vide supra p. 10 n[4].

10) Urbs antiquissima in ripa fluminis Araxis meridionali adversus Nachdžawan. 11) Vide supra p. 10 n[7].

12) Inter Chram et Džułaj. Inčič. p. 523.

more arcessiti Armenii Arabes penitus devincunt. Ašot vero ex vulnere mortuus Dariunkh in urbe paterna sepelitur". Sic Leontius.

Ex ea huius incursionis descriptione, quae apud Stephanum Asołik[1]) exstat, sequitur Ašotum partem tantum Arabum perdidisse, partem vero eorum victricem fuisse.

Annus huius expeditionis statuendus est 689. Hoc optime congruit cum eo testimonio, quod apud Samuel Aniensem invenitur[2]), ubi legimus sic, ad annum 686: Ašot, filius Biurati, annos IV menses VIII inde ab anno I Iustiniani (685) usque ad annum 689; Ašot cecidit contra Arabes. —

Sed magnis viribus hanc expeditionem hoc anno 689 susceptam esse credi non potest, cum in Syria tunc temporis bella intestina inter Arabes saevirent, ut putari nullo pacto possit, Arabes ex Syria ante annum 693, quo tandem Ibn Zubeir victus est, in Armeniam irrupisse. Itaque narratio, qualis apud Lebeau[3]) invenitur, tempore ipso refutatur. Ego puto post pugnam demum ad Sebastopolin[4]) factam Arabes Muhammeda Ibn Merwân duce rursus in Armeniam invasiones facere coepisse.

Caput VI. p. 19 (p. 18).

„Apsimarus, ut mortem militum Romanorum ulcisceretur, quos Symbatius, filius Waraztiroc, propter patris sui internecionem mutilaverat, exercitum in Armeniam misit, quocum Symbatius in palustri planitie Pajik conflixit.[5]) Is ubi intellexit, sese inferiorem esse hostibus, se recepit, quod idem Graeci et ipsi fecerunt."

Ad hoc factum referendum vix est, quod apud Theophanem legimus sub anno mundi 6185[6]): *Τούτῳ τῷ ἔτει Συμβάτιος*[7]) *ὁ πατρίκιος Ἀρμενίας . . . τὴν Ἀρμενίαν παρέδωκε τοῖς Ἄραψι.* Cum teste Wellhauseno[8]) hoc spatio anni mundi recte se habeant, haec deditio attribuenda est a. D. 692/3, Iustiniano adhuc regnante. Statuendum igitur est, nisi forte Leontio prorsus diffidamus, aut

1) P. 72: hoc loco a Leontio non pendet: immo veri est simile eum rursus e Šapuhi libro deperdito hausisse, cf. supra p. 22.
2) P. 409. 3) XII p. 27 sqq.
4) Theoph. a. m. 6192 p. 366.
5) Locus nisi hoc loco non memoratus; cf. Inčič. p. 536.
6) P. 366, 25.
7) Hanc lectionem praefero ei, quam de Boor recepit: *Σαββάτιος*.
8) P. 19.

post Iustiniani expulsionem et Leontii regni finem 698 hanc pugnam apud Pajik ancipitem factam esse, aut Symbatium, quem Leontius intellegit, non eundum esse atque quem Theophanes: atque hoc magis mihi arridet.

Quis fuerit hic Symbatius, filius Waraztiroç, invenire nusquam potui. Fortasse erat nepos illius Symbatii, qui 643 curapolates et praefectus Armeniae a Constante II factus erat.[1]) Ceterum de tota hac re reliqui fontes nihil omnino praebent.

Caput VII. p. 19—22 (p. 19—21).

„Anno ʿAbd el Meliki XVI[2]) Muhammeda[3]) omnia devastans progreditur usque ad pagum Džermacor[4]), trucidat eos, qui verbo eius confisi sese tradiderant."

„Duobus annis praeteritis[5]) monasterium St. Georgii diripitur; monachi vexantur atque crudelissime trucidantur. Arabes cupiditate magnarum monasterii divitiarum inflammati servo ultro interfecto atque loco remoto abscondito, mortem eius monachis insontibus crimini dant. Monachorum fatum deploratur, Muhammeda in Syriam redit."

Nomen plenum huius, de quo agitur, Muhammedae est Muhammed Ibn Merwân; frater fuit ʿAbd el Meliki. Id constat Arabes rursus ab anno 693 (a. H. 74) in Armeniam invehi coepisse.[6]) Ex eodem hoc tempore (a. H. 73 [692])[7]) Muhammeda a fratre praefectus Mesopotomiae, Atrpatakan Armeniaeque nominatus obtinuit hanc dignitatem usque ad a. H. 90 (708/709).

Eius in Armeniae partem meridionalem, quae fontibus Tigridis adiacet, expeditionem quandam Arabici scriptores ponunt in anno 74 (693/94); Theophanes quoque Armeniam quartam a Muhammeda

1) Vide supra p. 16.
2) I. e. 701: regnavit ʿAbd el Melik Apr./Mai 685 — 9. Oct. 705.
3) Leont. scribit Mahmet.
4) Pagus provinciae XIII Mokkh in Armenia meridionali: cf. Inčič. p. 135. St. Martin Mém. hunc non memorat. Nomen significat valles calidas: džerm est calidus, cor est vallis. — Sed mirandum est, cur Muhammeda, quippe qui iuraverit, „sese non reversurum esse, nisi usque ad mediam Armeniam pervenisset", non longius progressus sit, quam usque ad partem Armeniae, quae maxime in meridiem versus sita est.
5) I. e. anno 703.
6) Cf. A. Müller I p. 414 sqq. Weil. I p. 468 sqq. Lebeau XII p. 27 sqq.
7) Lebeau XII p. 21 n[7].

a. m. 6187 (694/95) vastatam esse his verbis tradit[1]): *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐπεστράτευσε Μουάμεδ τὴν τετάρτην Ἀρμενίαν καὶ αἰχμαλωτεύσας πολλοὺς ἀνέστρεψεν.* Inde usque ad annum 700 (81 a. H) quotannis fere Armenia invasionibus vexabatur. In hos annos referam, quod Iohannes Catholicus tradit[2]): Merwân hoc tempore Isaaci (678—703) ostikan (i. e. praefectus) in Armeniam missus locos munitos delevit, Sevan insulam in lacu Gełam[3]) sitam, postquam duos per annos obsedit, tandem expugnat. Ibi Merwân sedem regni ponit. Idem a compluribus aliis scriptoribus Armeniis commemoratur.[4]) Mihi persuasum est hunc Merwânum eundem esse atque Muḥammedam: causa huius erroris haud scio an posita sit in nomine gentili Ibn Merwân. Ceterum per se apparet non omnia, quae huic Muḥammedae ipsi attribuuntur, ab ipso quoque perfecta sint necesse esse: sed ponendum est, permulta eum praefectis singularum Armeniae partium perficienda detulisse[5]), ipsum res tantum graviores suscepisse.

Ad quam expeditionem spectet Leontius, non poterit dilucide intellegi: id utique tenendum est, Leontium multa, quae hoc tempore inter 693 et 700 in Armenia facta sunt, silentio praetermisisse.[6])

De incendio monasterii St. Gregorii[7]) Samuel Aniensis[8]) quoque et Mkhithar tradunt.[9]) Idem quod Leontius narrat, etiam apud Iohannem Catholicum invenimus.[10]) Sed hic ponit facinus in tempore Ioabi patriarchae.[11]) Verum tamen cum hoc ipso tempore Leontius librum suum composuerit, vix credi potest, eum tanta neglegentia factum novissimum in tempus tam remotum rettulisse; praeterea scriptores duo, quos modo attuli, rem in fine saeculi septimi acci-

1) P. 368, 13.
2) P. 82; Lebeau XII p. 27: certe tempus non quadrat.
3) Inter Araxem et Cyrum flumina in Armenia septentrionali.
4) Sam. Aniens. (p. 409) a. 704; cf. ibid. p. 408 n[11]. Mkhith. p. 78 a. 696.
5) Sic exempli causa Ioh. Cathol. (p. 52) dicit Muḥammedam ʿAbd Allah quendam ostikanum, Leont. ipse p. 23 „quendam“ (fortasse intellegendus est Abu Shaikh, filius ʿAbd-Allah, de quo cf. Ibn Al Athir a. H 82 [701/2]) in Journ. of hell. Stud. XV p. 190) in Armenia reliquisse: quod idem saepius occurrit.
6) Vide his de factis Weil I p. 469 sqq. A. Müller I p. 414, Lebeau XII p. 27 sqq.; Theoph. p. 370, 2. a. m. 6189 i. e. 696/97. Ioh. Cathol. p. 82, 83.
7) Est idem, de quo supra p. 18 n.[10] vidimus: Nerses id aedificavit.
8) P. 409; vel sub anno 691 vel 700.
9) P. 78; a. annum 698.
10) P. 96, 97, 98. 11) Post annum 790.

disse dicunt; sed in tempore huius facti constituendo Samuel Aniensis et Mkhithar prae Leontio nulla auctoritate sunt. Itaque putandum est monasterium St. Gregorii anno 703 deletum esse. Ad hunc annum quadrat, quod Weil[1]) — unde hauserit, nescio — dicit, annum H. 84 i. e. D. 703/4 ab Armeniis annum incendii appellari, quod hoc anno Muhammedae, chalifae fratris, iussu permultae ecclesiae incensae[2]) fuerint.[3])

Caput VIII. p. 23—28 (p. 22—27).

„Muhammeda discedens suo loco reliquit ducem quendam Arabicum.[4]) De huius consilio nobilitatem Armeniae exstirpandi certiores facti Symbatius Bagratunius, Symbatius, filius Ašoti, Ward, filius Theodori, Ašot, frater primi illius Symbatii, alii principes in fines Romanorum aufugiunt. Sed nonnulli nobiles terrae Waspurakan sese contulerunt ad eremitam quendam, qui domicilium posuerat in regione Arest.[5]) Is iis suasit, ut hostes caverent. Deinde Araxe traiecto per fines Uzajē[6]) profecti in magno vico Akoři[7]) consederunt. Inde cum Arabum manus 8000 militum, qui collocati erant Nachdžawan in urbe, appropinquaret, Araxe iterum transmisso in vico Wardanakert[8]) sese muniverunt locumque strenue custodiverunt. Deinde ad pugnam processerunt, 2000 militum manus. Arabes pugna devicti sunt; qui e caede aufugerant, fluctibus Araxis — nam glacies non tam firma erat, ut tot hominum fugientium pedes ferre posset — mersi sunt; 300 tantum, qui in fidem Šušan reginae cuiusdam sese receperant, precibus eius a Symbatio,

1) P. 472/73.

2) Weili sententiae, qua dicit, has ecclesias incensas esse, quia Armenii defecerint, non assentior. Quidni contra haec facinora potuerunt esse causa Armeniis ab Arabibus deficiendi, praesertim cum illo ipso anno Arabes a Graecis Heraclio, Tiberii III fratre, duce victos viderent? Cf. Theoph. p. 372, 18 a. m. 6195 a. D. 702/703.

3) Steph. Asoł. p. 90 fortasse a Leontio pendet: habet idem tempus.

4) Cf. supra p. 26 n[5].

5) Locus munitus prov. Turuberan, a Waspurakan in occidentem, ab Ararat in meridiem versus, prope lacum Wan; Chahnaz. non satis recte vertit (p. 22); cf. St. Martin Mém. I p. 26, 252.

6) Ignotum, ubi siti sint.

7) Situs in radicibus Ararat montis. St. Mart. Mém. I p. 266 et Chahnaz. p. 23 n[1].

8) Caput pagi eiusdem nominis parvae Prov. Phaitakaran. St. Mart. ibid. p. 153.

filio Ašoti, servati redierunt ad ʻAbd el Melik, qui reginae summas gratias egit.“[1])

„Armenii victores ad imperatorem Constantinopolis[2]) mittunt equos excellentes et nasos hostium, qui ceciderant. Symbatius, cui imperator titulum curopalatae dedit, se recepit in locum munitum Thucharkh in provincia Tajkh.[3])“ —

„Eodem tempore Arabes apud vicum Gukankh in pago Ṙštuni provinciae Waspurakan[4]) omnes a parva Armeniorum manu interficiuntur, praeter 280, qui in ecclesiam (sc. vici Guhankh) fugerunt. Symbatius, filius Ašoti, praefectus Waspurakan, consilio ecclesiae incendendae restitit. Arabes a duce, qui ab Armeniis in lacum (sc. Wan) deicitur, proditi sua sponte ex ecclesia exeunt et ad unum omnes occiduntur.“ Leontius hactenus.

Tempus huius Armeniorum defectionis ab Arabibus Leontio teste erat annus 703. Hoc recte se habere Theophanes quoque testis est[5]): *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐστασίασαν οἱ ἄρχοντες Ἀρμενίας κατὰ τῶν Σαρακηνῶν καὶ τοὺς ἐν Ἀρμενίᾳ Σαρακηνοὺς ἀπέκτειναν.* Hoc accidit eo auctore a. m. 6195 a. D. 702/703.

Iohannes Catholicus[6]) paucissimis rem absolvens: „Hoc tempore“[7]), inquit, „bellum Wardanakert exortum est, quo copiae Arabum penitus deletae sunt. Etiam proverbium dicitur apud Arabes usque ad hoc tempus usurpari: Wardanakert nos non delevit.“

Stephanus Asołik[8]), si e Leontio hausit, rem aliquatenus ultro mutavit; nisi vero alium — cogitari potest de Šapuh — omnino secutus est: tempus erat post 701.[9]) Is rem sic explicat: „Audito, ostikanum, quem Muḥammeda discedens reliquerat, nobilitatem Armeniae delere animum induxisse, apparuit perfidia ac dolus Symbatii Bagratunii, qui cum comitatus a Symbatio, filio Ašoti, Wardo, filio Theodori, fratre ipsius Ašoto in Graecorum fines aufugere

1) Verti vocabulum tikin (est forma feminina verbi ter (ter + ajr) nata ex ti + kin = domina) per reginam. Vide de ea notam Chahnaz. p. 24 n¹. Ei assentitur Brosset (Hist. de la Siunie Steph. Orbél. II p. 21: fuisse videtur coniunx unius e principibus provinciae Siunikh. Cf. Brosset. ibid. p. 21 n¹. — Vide Sam. Aniens. p. 411 a. a. 715.

2) Tiberius III 698—705.

3) In septentriones a prov. Ararat versus, abundante locis natura et opere munitis. St. Mart. Mém. II p. 187, 189.

4) St. Martin, Mém. II p. 365. 5) P. 372, 13. 6) P. 83.

7) Anno mortis, ut apparet e legatione, Isaaci catholici, i. e. 703.

8) P. 90. 91.

9) Ibid. anno XVI ʻAbd el Meliki.

conaretur, ab Arabibus[1]) apud vicum Wardanakert petitus est, eos tamen — pugna exorta erat luce prima — penitus vicit.“ Reliqua cum Leontii enarratione congruunt, nisi quod de liberalitate Šušan reginae Asołik tacet. — Talis rei descriptio magis mihi arridet quam Leontii: nam Symbatius, filius Ašoti[2]), apud hunc quamquam modo aufugit in fines Graecorum, quamquam disertis verbis eos, qui remanserint, pugna Wardanakertensi vicisse dicit, tamen idem contendit, Symbatium statim e proelio equos nasosque hostium interfectorum ad imperatorem Romanum misisse. Hoc quomodo fieri potuerit, nemo intelleget. — Samuel Aniensis, Ciracus, Mkhithar, quod nihil de hac pugna tradunt, mirandum est.[3]) —

Quaeritur, quis fuerit Symbatius, qui curopalates factus est. Iohannes Catholicus[4]) dicit post Gregorium[5]) Symbatium Bagratunium, filium Symbatii, praefecturam Armeniae obtinuisse; quis pugna Wardanakertensi vicerit, non tradit. — Stephanus Asołik[6]) nominat Symbatium Bagratunium. Eum comitatur Symbatius, filius Ašoti. — Leontius, ut memineris, dicit hunc Symbatium, filium Ašoti, vicisse. Mihi errasse videtur Leontius egoque puto intellegendum esse Symbatium, filium Biurati, quem Stephanus Asołik[7]) post Nersetem Camsarakanum viginti annos principatum in Armenios exercuisse dicit ann. 140—160, i. e. 691—711. Samuel Aniensis quoque[8]) huic Symbatio 20 annos dat; item Ciracus[9]), qui eum Arabes apud Wardanakert vicisse addit.

Itaque sequitur hoc: anno 703, tempore hiemis — pugna incipit prima luce — 2000 Armenii duce Symbatio, Biurati filio, qui postea ab Apsimaro curopalates nominatus est, devincunt apud vicum Wardanakert in ripa sinistra Araxis 8000 Arabes, quorum dux ʿAbd Allah a Muḥammeda Ibn Merwân anno eodem 703 ex Armenia post monasterium St. Gregorii incensum discedente ibidem praefectus relictus erat. —

De clade Arabum eodem tempore apud Gukankh vico in pago

1) Eorum numerus erat 5000; Armeniorum 2000.
2) Num recte hoc se habeat, postea videbimus.
3) Cf. Brosset: Steph. Òrbél. II p. 21. 22. Weil I p. 472.
4) P. 82. 5) Qui cecidit contra Chazaros 685.
6) L. a. (p. 90). 7) P. 72.
8) P. 409; num „695—703, 9 annos“ additamentum Brosseti sit ipsius Samueli, nescio.
9) P. 34; ex eo regnavit 689—708 (statim igitur post mortem Ašoti, frater erat), nam eius anno 18. principes crematos esse dicit: quod actum esse veri est simile 706; expugnata est Cirac. teste insula Sev... anno 701 (cf. Ioh. Cathol. p. 82, et supra p. 26).

Ṙštuni alias nihil inveni. Hic fortasse Symbatius, Ašoti filius, vicit: sed iustum atque magnum proelium fuisse non videtur, cum, si ita esset, ceteri scriptores vix plane tacerent. — Theophanes a. m. 6194 = 701/702 tradit hoc[1]): *Τούτῳ τῷ ἔτει Βαάνης, ὁ ἐπίκλην Ἑπταδαίμων, τὴν τετάρτην Ἀρμενίαν ὑπέταξε.* Nomen certe est Armenii (Wahan): sed alias de hoc facto nihil usquam inveni.

Caput IX. p. 28—31 (p. 27—30).

Tempus seditionis Armeniis opportunissimum fuerat: nam inde ab anno 700 usque 702 ʿAbd er-Raḥmân in Perside insurrectionem susceperat, ad quam opprimendam Muḥammeda Ibn Merwân omnibus cum copiis profectus erat.[2])

De iis, quae sequebantur pugnam Wardanakertensem, rebus Leontius sic explicat: „ʿAbd el Melik Muḥammedam (Ibn Merwân) magnis cum copiis ad Armenios puniendos cum mitteret, Armenii Isaacum catholicum comitatum a nonnullis episcopis ei obviam mittunt, qui diceret, sese paratos esse Arabum in potestatem redire. Qui cum Harrān (Charan) in urbem[3]) venisset, mortuus est: testamento, moriturus quod fecerat, Muḥammeda motus est, ut a crudeli consilio abstineret. Deinde anno XVIII ʿAbd el Meliki[4]) profectus iterum in Armeniam tres ibi annos moratus est, neque tamen ullo modo Armenios vexavit, nisi quod principes in suspicione habuit.“

De ea Isaaci legatione, quae anno eius mortis 703, anno XVIII ʿAbd el Meliki, facta est, tradunt Iohannes Catholicus quoque et Stephanus Asoɫik. — Ille[5]) legationem post pugnam ad Wanand factam[6]), noster calculus si recte se habet, post mortem ʿAbd el Meliki (9. Oct. 705) ponit: quod tamen non quadrat, nam tum Isaac mortuus iam erat. Ducem Arabum nominat ʿOkba (Ogbaj), de quo nihil apud Weilium potui invenire. Idem fere exstat apud Stephanum

1) P. 372, 6.

2) A. Müller I p. 391, et p. 415. Eodem tempore Arabes magnopere a pestilentia vehementi in Syria exorta laborabant: Theoph. p. 371, 23 a. m. 6192 = 700/701.

3) Mesopotomiae, diei itinere ab Edessa abest; his diebus Charrān, temporibus Romanorum Carrhae.

4) Aestate vel autumno 703; pugna Wardanak. facta erat vel initio 703 vel fine 702. Ibn Al Athir (Journ. of Hell. Stud. XV p. 191) a. H. 85 (Ian. 704/5): Muḥammeda in Armeniam irrupit ibique moratus est per aestatem hiememque.

5) P. 83—85. 6) De ea vide cap. X.

Asołik (p. 73): ambo eodem fonte usi esse videntur, nisi quod Stephanus Asołik pugnam Wanandiam omnino non memorat. Sed idem Stephanus Asołik[1]) Muḥammedam, non ʿOkba nominat. Itaque Leontius praeferendus videtur.[2])

Pari modo atque ut supra[3]) Iohannes Catholicus atque Stephanus Asołik (l. a.) dicunt, Isaacum tum (703) adhuc in Arabum captivitate vixisse, in quam circa annum 700 abductus erat.[4]) Sed sequar Leontium, cum hic ante Catholicum Stephanumque Asołik scripserit et disertis verbis exponat, Isaacum ab ipsis Armeniis missum ex Armenia profectum esse in Syriam usque ad urbem Harrān.

Caput X. p. 31—37 (p. 30—35).

„Welīd[5]) (Wlith), qui regnavit annos 10, menses 8, iniit consilium principes Armeniae exstirpandi: Symbatio curopalate petente imperator Romanus exercitum mittit, qui, postquam Symbatius cum eo se coniunxit, castra posuit in vico Drašpet in pago Wanand.[6]) Graeci a Muḥammeda victi sunt; plus quam 50 000[7]) militum eorum cecidisse dicuntur; ceteri fugiunt in terram suam: Muḥammeda redit Dvin in urbem.“ Hic paulisper subsistamus.

Apsimarum Armeniis auxilia misisse Theophanes quoque narrat[8]): *Καὶ αὖθις πρὸς Ἀψίμαρον πέμπουσι* (sc. *οἱ Ἀρμενίας ἄρχοντες*) *καὶ Ῥωμαίους εἰς τὴν αὐτῶν χώραν φέρουσιν. ὁ δὲ Μουάμεδ ἐπιστρατεύσας κατ' αὐτῶν πολλοὺς κτείνει καὶ τὴν μὲν Ἀρμενίαν Σαρακηνοῖς ὑποτάσσει* ...

Hoc a Theophane in anno 6195 i. e. 702/703 ponitur: sed facile potuit fieri, ut res, quae annis diversis deinceps acciderant, in unum annum contraheret. Itaque mea quidem sententia hoc Theophanis testimonium non obstat, quin pugnam apud Wanand uno vel duobus annis post factam putemus, siquidem ex aliis fon-

1) P. 91; hoc loco sequitur alium fontem, fortasse Leontium; vide supra p. 28.

2) Cf. A. Müller I p. 415, qui et ipse Muḥammedam ad Armenios puniendos anno 703 missum esse affirmat. — Cirac. quoque p. 33 habet „Mahmet“. 3) P. 18 n[11].

4) Ioh. Cathol. p. 82. Steph. Asoł. p. 72/73. Sam. Aniens. p. 409.

5) 9. Oct. 705—715 (fine mens. Febr.).

6) In provincia Ararat.

7) Numerus sine dubio magnopere amplificatus, ut saepius.

8) P. 372, 14.

tibus hoc putare cogamur. Magnam cladem — id certe e Theophanis loco elucet — acceperunt Graeci his primis saeculi octavi annis. —

Iohannes Catholicus[1]) refert de hac pugna haec fere: deinde (sc. post pugnam Wardanakertensem 702/703) Kamsarakan in pago Wanand Arabes Ogbaj duce in fugam vertit. Stephanus Asołik tacet de ea re, item Ciracus, Samuel Aniensis, Mkhithar. Ogbaj[2]) ignotus est; nomen principis Kamsarakanensis Iohannes Catholicus non affert. Mihi videtur Leontius esse praeferendus, qui pugnam a Graecis et Symbatio curopalate contra Muḥammedam factam esse dicit; princeps Kamsarakanensis fortasse in exercitu Symbatii sub eo imperium tenuit.

Priusquam propius accedamus ad quaestionem de tempore huius pugnae apud vicum Drašpet in pago Wanand, praestat antea illam principum Armeniae concremationem in urbe Nachdžawan et vico Chram suum in annum referre.

De hac re legimus apud Leontium: „Welîd iubente Muḥammeda praefecto urbis Nachdžawan, nomine Kasm[3]), imperavit, ut nobiles Armenios eorumque equitatum necaret. Is eos invitavit, tamquam ut eorum nomina in tabulis poneret stipendiaque solveret. Nobiles venerunt. Divisi in duas partes, hi in ecclesiam urbis Nachdžawan, hi in ecclesiam vici Chram[4]) includuntur. Nobiles exire sinunt; ceteri flammis templo subiectis obruuntur. Nobiles, qui pecunias magnas, quas locis remotis absconderant, Arabibus dederant — hac enim condicione promiserant Arabes sese illos incolumes dimissuros — tamen omnes trucidantur; in his Symbatius, filius Ašoti Bagratunii, Gregorius et Koriun Ardzrunii, Waraz-Šapuh fraterque eius, Amatunii, multi alii.“

Iohannes Catholicus, qui Leontio tempore proximus scripsit, habet ea de re idem fere atque Leontius[5]): tacet de Kasm et Chram, de perfidia Arabum, qua nobiles, ut pecunias ederent, moverunt, addit liberos crematorum primum Dvin in urbem adductos, deinde Damascum captivos abductos esse. Ponit factum inter ʿAbd el Melik et Welîd post mortem Isaaci a. 703.

1) P. 83.
2) Idem esse videtur, de quo supra iam disputavimus p. 30 sq.
3) Cf. Petermann, De ostikanis p. 5.
4) Urbs munita Waspurakan provinciae, adversus Nachdžawan in ripa Araxis dextera.
5) P. 86 et 87.

Thomas Ardzrunius[1]) rem Welîdi temporibus accidisse tradit.

Stephanus Asołik[2]) enarrat factum hoc esse anno primo Welîdi (705/706) a. aerae Arm. 153 i. e. 704: puto annum Armeniorum ipsum calculo falso computasse.

Apud Samuel Aniensem[3]) vel 707 vel 711, Ciracum[4]) ʿAbd el Melik regnante; Mkhitharum 711 vel 704; in elegia malorum Armeniae et martyrii St. Vahan[5])[6]) dicitur res evenisse a. H. 85 (i. e. 704/5) anno ʿAbd el Melik XVI. Ex hac elegia[7]) elucet, scriptorem eius primum Welîdi annum posuisse in anno Arm. 152 (4. Iun. 703 — 2. Iun. 704): itaque si a. H. 85 recte se habere statuimus, etiam nobilium cremationem in primum Welîdi annum referre putandus est. Vardan[8]) (saec. XIII) habet aerae Arm. 150 i. e. 701, chalifa Welîdo.

Mkhithar[9]) solus numerum annotat: Nachdžawan 800, Chram 400 cremati sunt; Stephanus Siunenis[10]) dicit Nachdžawan in urbe 800 nobiles crematos esse. —

Theophanes[11]) quoque a. m. 6195 habet: *Τοὺς δὲ μεγιστᾶνας τῶν Ἀρμενίων σωρεύσας ἐν τόπῳ ἑνὶ ζωοκαύστους ἐποίησεν* (sc. *Μουάμεδ*), et Elias Nisibenus[12]) a. H. 88 (Dec. 706/707): Muḥammeda in Armeniam invectus victor rediit; Michael Syrus[13]): Muḥammeda nobiles Armenios Nachdžawan in urbe cremavit.

Omnibus his fontibus collatis apparet, factum accidisse anno 705/706 primo Welîdi anno. Hoc verum esse posito sequitur pugnam ad Drašpet in Wanand pago eodem anno commissam esse. Erravit igitur Iohannes Catholicus, quod eam ante Isaaci mortem (703) posuit.[14])

Pergit tum Leontius: „Armenii deinde summis vexationibus afficiuntur. Symbatius curopalates ab imperatore Romano urbem Phojth in regione Eger[15]) obtinet, ubi sex annos moratur. Tandem Welîd de crudelitate Muḥammedae certior factus loco eius ʿAbd el

1) Brosset, Coll. I p. 93: nota falsa, nam 704 Welîd nondum regnum capessiverat.
2) P. 91: Leontius non solus fons esse videtur.
3) P. 411. 4) P. 34. 5) Dulaurier p. 238 sqq.
6) Petite bibliothèque armén. vol. XIII p. 13—19 et 58.
7) Dulaur. p. 239. 8) Apud Brosset, Steph. Orbél. I p. 83 n[2].
9) l. a. 10) Brosset, Steph. Orbél. I p. 83.
11) P. 372, 17; cf. supra p. 31. 12) P. 121.
13) P. 247 (vertit Langlois). 14) Vide supra p. 32.
15) Sic Armenii Colchidem appellant St. Mart. Mém. I p. 328 n[2]. De Phojth urbe vide Chahnaz. p. 34 n[1]: his diebus Pothi nominatur. Egrus erat frater octavus Haikh.

ʿAzîz misit in Armeniam, hominem surdum, sed astutum et in litteris versatum. Huius promissis fisi principes Armeniae, qui in Colchidem emigraverant, urbe Phojth diruta in Arabum gratiam redierunt. Quare imperator Romanus[1]) vehementissime iratus per metropolitam[1]) eos excommunicari iussit formulamque excommunicationis eodem quotannis die, quo defecerant — erat autem dies Paschae — legi: quod usque ad nos duravit. ʿAbd el ʿAzîz Armeniae tranquillitatem reddidit. Dvin urbem admodum amplificavit et munivit. „„Nam ego““, inquit, „„Dvin primus dirui, atque restituenda mihi quoque est.““ Nam duodecim annos natum se per aquae fossam clam incolis in urbem ingressum muro ascenso suos accessisse, qui tum oppugnando urbem cepissent.“

ʿAbd el ʿAzîz, qui post annum 706 Muḥammedam Ibn Merwân secutus est in Armeniae praefectura, filius Welîdi chalifae intellegendus videtur, quem anno Arabum 91[2]) una cum Maslama pugnante tum apud Derbend fuisse Ṭabarî tradit.[3]) Veri est simillimum eum eodem hoc anno 91 (709/10), quo Muḥammedae Mesopotomiae Armeniaeque praefectus Maslama successit[4]), administrationem Armeniae suscepisse atque ad annum 724 habuisse, quo anno eius loco Herth quidam ab Hiśâmo missus est.[5]) Eum surdum fuisse alias memoratum non inveni.[6]) Non alienum est putare, hunc ʿAbd el ʿAzîzum confusum esse cum Merwâno, qui anno circiter 732 praefectus Armeniae ab Hiśâmo constitutus est: nam is ab Iberibus quidem cognomem Surdi accepit.[7])

Symbatius, qui Muḥammedam fugerat, anno 711/12, si quidem Leontio fidem attribuamus, rediit, fines Graecorum depopulatus. Et profecto cum videret Symbatius Iustiniani res iam labefactatas, Arabum feliciter progressas, quisnam dubitet, quin libenter occasionem arripuerit a Graecis ad Arabes deficiendi? Cum hac re illud

1) Philippicus 711—13; metropolita Cyrus (vel Iohannes?).
2) 9. Nov. 709 — 29. Oct. 710.
3) Weil I p. 511 n² et p. 512; cf. Ibn Wadhih a. H. 90 sq. in Journ. of Hell. Stud XV p. 193.
4) Auctore Chron. Syriac. ed. Brooks. DMZ 1897 p. 582 a. Sel. 1021 = 710.
5) Leont. p. 101; cf. Eliam Nis. p. 121 a. H. 90; contra, sed falso, Petermann p. 5.
6) Scilicet praeter apud Steph. Asol. p. 92, qui hoc tempore rursus a Leontio pendet.
7) Cf. Brosset, Histoire de la Géorgie, Pars I, p. 238. Appellatus est (sc. Merwân) Qrou i. e. Surdus, „quia non bis aurem eis, qui ei suaserunt aliquid, praebuit“.

quoque Theophanis aliquatenus cohaerere mihi quidem videtur, ubi sic est[1]): *Τούτῳ τῷ ἔτει Φιλιππικὸς τοὺς Ἀρμενίους τῆς ἑαυτοῦ γῆς ἐξελάσας Μελιτενὴν καὶ τὴν τετάρτην Ἀρμενίαν οἰκῆσαι ἠνάγκασεν.* Annus hic 6204 respondet anno 711/12.[2]) Idem habet Michael Syrus[3]) et Bar-Hebraeus[4]), ubi legimus: „(Philippicus) Imperium adeptus expulit Armenios, qui in dicione eius erant. His Arabes sedem concesserunt Malatiae et in regione vicina atque Armandarbae." Itaque Lebeau[5]) aperte errat, cum contendit, Philippicum Armeniis ab Arabibus expulsis domicilia in Armenia quarta concessisse. Huic sententiae obstant verba dilucida Theophanis, Michaelis Syri, Bar-Hebraei et illud quoque, quod tunc temporis haec Armeniae pars Arabum dicionis erat[6]). Ego putaverim hos, qui a Philippico expulsi sunt, Armenios intellegendos esse eos, qui tum, cum Muhammeda Ibn Merwân tanta crudelitate Armeniam vexavit, in fines Romanorum sese receperant. In his erat Symbatius quoque curopalates, filius Biurati.

Expeditio ʿOtmâni cuiusdam a. D. 709/10, a. H. 91, a. m. 6203[7]), qua *τὸ Κάμαχον*[8]) expugnatur, et Maslamae in Armeniam[9]) a. D. 713/14 (a. m. 6206) a Leontio ceterisque scriptoribus Armeniacis silentio praetermittitur.

De illa excommunicationis formula alias nihil inveni praeter Stephanum Asołik[10]), qui verbis paucioribus eadem narrat. Dvin urbis restauratio a Mkhitharo quoque commemoratur ad annum 711[11]): ʿAbd el ʿAzîz rursus Dvin aedificat. Quando haec, cuius ʿAbd el ʿAzîz mentionem facit, expugnatio prior acciderit, compertum non habeo.

Nunc vero antequam transeamus ad caput proximum, liceat de chalifarum ordine ac tempore apud Leontium inde ab ʿAbd el Melik[12]) quam paucissimis disserere usque ad regnum Merwâni II

1) P. 382, 6.
2) Cf. Wellhausen p. 24 ad hunc annum. 3) P. 249.
4) P. 121. 5) XII p. 86 et h. p. n[1].
6) Theoph. p. 372, 6 (a. m. 6194 [701/2]): *Βαάνης . . . τὴν τετάρτην Ἀρμενίαν τοῖς Ἄραψιν ὑπέταξε.*
7) Theoph. p. 377, 21; Elias Nisib. p. 121 a. H. 91.
8) Kamach: urbs antiquissima et munitissima Armeniae altae ad Euphratae ripam sinistram sita; cf. St. Mart. Mém. I p. 72; memoratur a Bar-Hebr. quoque p. 129 ad ann. 755.
9) Elias Nisib. p. 122, a. H. 95 (713/14); Selâme idem atque Maslama ibid. a. H. 98. Theoph. p. 383, 27; cf. Wellh. p. 24 et 25.
10) P. 92. 11) Sua sponte mutavit cod. scripturam Brosset p. 76.
12) Vide supra p. 8.

(705—750), finem Omaijadarum et deinde Abassidarum usque ad annum 788.

Regnaverunt:	Leontius habet:
Welîd I (L.[1]) p. 31; Ch. p. 31).	
9. Oct. 705—715 fine Febr. ann. 9 mens. 5.	ann. 10 mens. 8 differt ann. 1 mens. 3.
Suleimân (L. p. 40; Ch. p. 38).	
715 fine Febr. — 22. Sept. 717 ann. 2 mens. 8.	ann. 2 mens. 8 recte.
'Omar II (L. p. 42; Ch. p. 40).	
22. Sept. 717 — 5. v. 10. Febr. 720, ann. 2 mens. 5.	ann. 2 mens. 5 recte.
Jezîd II (L.[2]) p. 99. Ch. p. 98).	
5. v. 10. Febr 720 — 27. Ian. 724 ann. 3 mens. 11.	ann. 6 differt: ann. 2 mens. 1 (fortasse signa numerorum 6 et 4 confusa sunt; idem Thomas Ardzrunius [p. 94].
Hišâm (L.[3]) p. 100; Ch. p. 99).	
27. Jan. 724 — 6. Febr. 743 ann. 19.	ann. 19[4]) recte.
Welîd II (L.[5]) p. 115; Ch. p. 112).	
6. Febr. 743 — 16. Apr. 744 ann. 1 mens. $2\frac{1}{2}$.	ann. 1 mens. 6 differt: mens. $3\frac{1}{2}$.
Jezîd III ap. Leontium deest.[6])	
16. Apr. 744 — 12. Oct. 744 mens. 5 dies 26.	
Merwân II (L. p. 116; Ch. p. 113/114).	
12. Oct. 744 — 5. Aug. 750 ann. fere 6.	ann. 6 recte.

1) L. significat Leontii ed. Armen. Ch. significat Leontii ed. Francogall. 2) Scribit errore Jazkert; recte Steph. Asoł. p. 94.
3) Scribit Šam vel Hešm.
4) Ch. p. 112 falso vertit ann. tres; cf. ed. Arm. p. 114.
5) Wlith. 6) Eius loco nominatur Suleimân. L. p. 115. Ch. p. 113.

ʿAbd Allah abû-l-ʿAbbâs Al Saffâḥ (L. p. 129[1]); Ch. p. 119).

750 — 9. Iun. 754.	ann. 4.
ann. 4.	recte.

Abû Ǵaʿfar Manṣûr (L. p. 129[2]); Ch. p. 125).

9. Iuni 754 — 7. Oct. 775	ann. 22
ann. 21 mens. 4.	differt: mens. 8.

Al Mahdî Muḥammed Ibn Manṣûr (L.[3]) p. 154 et 168; Ch. p. 155).

7. Oct. 775 — 4. Aug. 785	ann. 8
ann. 10.	differt: ann. 2.

Abû Muḥammed Mûsâ Alhadi.[4]) (L. p. 161; Ch. p. 156).

4. Aug. 785 — 15. Sept. 786	ann. 1
ann. 1 dies 52.	recte.

Hârûn Er-Raschîd (L.[5]) p. 166; Ch. p. 160).

15. Sept. 786 — 23. Mart. 809	regni spatium deest:
ann. 22 mens. 6.	opus finem capit anno 788.

Vides calculum Leontii satis quadrare; desunt inde a Welîdo I anni circiter $1\frac{1}{2}$, vel $3\frac{1}{2}$, si non putaveris Iezîdi tempus lapsu potius calami quam errore mero duobus fere annis diutius durasse dici a Leontio.

Revertamur nunc ad rem. Sequitur:

Caput XI. p. 37—40 (p. 35—38).

„Muḥammeda[6]) cum 200000 militum[7]) Damasco profectus per Syriam, Persidem, Chorasan in fines Chinae[8]) invadens ad Bothim[9]) (Bōthis) fluvium ubi pervenit, ad Chinae regem Čen-bakur[10]) nuntios misit, qui ut sese traderet ab eo poscerent. Sed huius regis dolo deceptus maxima exercitus parte amissa ipse paucis cum comitibus aegre evasit.“

1) Abdlaj. 2) Abdla. 3) Mahmet Mahadi.
4) Apud Leontium: Musē. 5) Aharon.
6) Est intellegendus Muḥ. Ibn Merwân.
7) Numerus certe maximopere amplificatus. 8) Čenkh.
9) Qui fluvius sit, ambigi potest. Chahnaz. p. 35 n[1] eum Gihonem esse putat; cf. St. Martin. Mém. II p. 20.
10) Non nomen proprium, sed titulus regis: vide ibid. p. 205 (Mos. de Chor. II, 78).

Tales expeditiones vel contra ipsos Seres vel populos Chinae finitimos perfacile illud temporis suscipi ab Arabibus potuisse vix quisquam erit qui neget. Sed de hac ipsa, quam Leontius tradit, expeditione nihil certi eruere potui. Muḥammeda quidem — erat autem non filius Merwâni, sed Qâsimi cuiusdam — usque ad Pendschab meridionale progressus erat annis 708/11: sed redierat invictus. In Chorasan autem illo tempore nemo praefectus nomine Muḥammedae erat. Errare igitur puto Leontium in nomine hoc Muḥammedae, filii Merwâni, afferendo; forsitan substituendum sit nomen Quteibae Ibn Muslim, qui annis 705—715 magnas expeditiones in illas terras remotas fecit. Sed ne tum quidem enarratio cladis tam fabulosae quadrat. Nam Quteiba semper fere victor numquam in insidias tam apertas irruisset. Conferas ad has res A. Müller[1]), Weil[2]), St. Martin.[3])

Caput XII. p. 40—42 (p. 38, 39).

Hoc capite agitur de expeditione Maslamae (Ibn ʿAbd el Melik) contra Hunnos anno secundo regni Suleimâni (716/717) facta.

„Exercitu Hunnorum fugato cum Derbend expugnatam diruere iam Maslama vellet, inscriptione Marciani imperatoris, in qua erat, eum, qui muros delevisset, eos rursus aedificaturum esse, ab hoc incepto retentus in interiorem terram invasit. Čora, loco munito, capto Hunnorumque finibus devastatis Thargou, caput terrae, expugnare conatus magno cum periculo sese recepit in montes Caucasi, cum Chazari auxilio venirent, quorum Chakan ab Hunnis auxilio arcessitus non nisi Alph-Tharchani cuiusdam adventum iam exspectabat. Maslama[4]) hoc ipso tempore mortuus est.“

Videamus iam de singulis. Derbend (idem atque Bâb el Awâb) medio in litore occidentali maris Caspici ad portas Albanicas sita est. Čora forsitan eadem sit urbs, quae ab Arabibus Suriah nominatur[5]); Brosset[6]) dicit: Pylae Albanicae, Pylae Caspicae sunt eaedem,

1) I p. 411 sq. 2) I p. 497—508.

3) Mém. II p. 18 sqq.; et potissimum ibid. p. 20. Puto — pro certo dicere non audeo, cum Tschamtschean non ad manus habeam —, Tschamtschean eandem expeditionem intellegere ordine tantum temporis non recte servato.

4) Pro Maslama (Msliman) Suleimân scribendum esse iam Chahnaz. recte vidit. Praeterea in codice T quoque exstat Sulējman: nam hic profecto hoc tempore 717 mortuus est, cum ille Maslama vixerit usque ad annum 732/33 (a. H. 114). Weil I p. 635. 5) Weil I p. 511 n[1].

6) Voyage archéolog. en Transcauc. I p. 79.

quae nominantur Čoł vel Čor ab Armeniis, Tzur a Graecis. Thargou paululum a Derbend in septentriones versus in litore eiusdem maris sita est.[1]) — Marcianus imperator (450—457) Hunnis tributum solvere desiit. —

Conferas ad hanc expeditionem, quae habeant Stephanus Asołik[2]), Ciracus[3]), Samuel Aniensis[4]). —

Maslama iam inde ab anno 89 (707)[5]) in hanc Chazarorum regionem irruptiones fecit, si auctoribus Arabicis fidem habemus.[6]) Itaque haec expeditio, de qua Leontius capite XII verba facit, in tempus regni Welîdi I (705—715) referenda est: ultimam ante Constantinopolis oppugnationem Maslama expeditionem in Chazaros suscepit a. 715 primo anno Suleimâni auctore Bar-Hebraeo[7]): „Anno 1026 (i. e. 715) Moslema Turcos in terra eorum aggressus est multaque praeda inde abacta rediit.“

Eodem fere tempore Leo[8]) illam expeditionem contra populos Caucasi fecit, de qua Theophanes refert.[9]) Tum Iustiniano etiam regnante (ante 711)[10]) hos populos Arabibus iam paruisse Theophanes aperte dicit[11]): ... *τῶν Σαρακηνῶν ἐπικρατούντων τήν τε Ἀβασγίαν καὶ Λαζικὴν καὶ Ἰβηρίαν.* et[12]): *Κάστρον οὖν ὑπῆρχε ἐκεῖσε, ἐπιλεγόμενον Σίδηρον, ἐν ᾧ ἦν τοποτηρητὴς Φαρασμάνιός τις τοὔνομα ὑπὸ τοὺς Σαρακηνοὺς τυγχάνων καὶ εἰρήνην ἔχων μετὰ τῶν Ἀρμενίων.*

Caput XIII—XV. p. 42—99 (p. 40—98).

Mores ʿOmari II, quales Leontius laudat, haud ita multum abhorrent a vero. Eum captivos Armenios, qui inde ab anno 705/706, quo nobiles cremati erant, in servitutem abducti erant[13]), in patriam

1) Chahnaz. p. 38 n[2]; p. 39 n[1]. Lebeau XII p. 32 n[2].

2) P. 94: rursus filum enarrationis abrumpit; deest totum ʿOmari II (717—720) regnum; Leontis epistulam nullo verbo attingit. Deinde enarrat mores Jezîdi (p. 94), obsessionem Constantinopolis (p. 94—96) et transit statim ad Merwâni praefecturam. Ex hoc tempore paucioribus tantum verbis Leontium refert. 3) P. 34. 4) P. 413.

5) Weil I p. 511 n[1]. 6) Weil I p. 511 sq., A. Müller I p. 415.

7) P. 122. Weil de hac expeditione nihil tradit.

8) Qui postea imperator erat 717—741. 9) P. 391, 14 — 395, 1.

10) Theoph. p. 394, 32: *κἀκεῖθεν . . . ἦλθε πρὸς Ἰουστινιανόν* (sc. *Λέων*). 11) P. 391, 18. 12) P. 393, 28.

13) Vide supra p. 32; hoc anno captivos multos Armenios in captivitatem abactos esse Steph. Asoł. (p. 91) narrat; idem invenimus in: Elegia malorum Armeniae: Petite biblioth. armén. XIII p. 13—19 et 58 apud Dulaurier p. 240). Sed ex ea hi captivi nondum ab ʿOmaro re-

remisisse et pecunias a chalifis, qui antecesserant, accumulatas distribuisse[1]) etiam Thomas Ardzrunius[2]) et Ciracus[3]) tradunt; quantum fisco ʿOmar nocuerit quibusque rationibus, exponit A. Müller.[4])

De epistula ʿOmari ad Leontem huiusque ad illum postea fortasse fusius agam; nunc hoc si facerem, longius a proposito ne abstraherer timendum esset. Huius litterarum commercii mentionem faciunt Thomas Ardzrunius quoque[5]) et Theophanes[6]): *Ἐποίησε* (sc. ʿOmarus) *δὲ καὶ ἐπιστολὴν δογματικὴν πρὸς Λέοντα τὸν βασιλέα οἰόμενος πείσειν αὐτὸν τοῦ μαγαρίσαι.*

Etiam illud, quod Leontius dicit, ʿOmarum Christianos magnis beneficiis affecisse, recte se habere Weil exemplis allatis demonstrat. Theophani[7]) igitur ʿOmaro opprobrio danti eum Christianos a fide Christiana apostatare coegisse (... *καὶ* [sc. *Οὔμαρ*] *μαγαρίζειν τοὺς Χριστιανοὺς ἠνάγκαζεν ... καὶ πολλοὺς μάρτυρας ἀπειργάσατο* ...) nulla fides habenda est.[8])

Sed nihilo setius eo quoque regnante fines Romanorum ab Arabibus vexati sunt.[9])

Caput XVI. p. 99, 100 (p. 98, 99 cap. VIII).

In moribus Iezîdi II (720—724) describendis Thomas Ardzrunius[10]) et Stephanus Asołik[11]) cum Leontio congruunt. Ambo crimini ei tribuunt, quod simulacra sacra incarnationis Christi, cruces in honorem Christi exstructas delevisset; ambo dicunt, eum omnes porcos trucidari iussisse, obisse mortem miserrimam. Ceteri scriptores de hoc tristi fine nihil tradere videntur.[12]) —

Simulacra eum persecutum esse Theophanes quoque testis est[13]): ... *ὁ ἀνόητος Ἰζὶδ δόγμα καθολικὸν ἐψηφίσατο κατὰ τῶν ἁγίων εἰκόνων.* Similiter Bar-Hebraeus[14]): „Iezîd iussit, deleri

missi sunt: „Captivi in Arabum potestate erant ab anno 152 (703) per annos XXXIV usque ad annum 186 (26. Mai 737 — 25. Mai 738).“ Cf. Ioh. Cath. p. 87: „liberi Damasum abducti sunt.“

1) Leont. cap. XV p. 99; Chahnaz. p. 97, 98.
2) Brosset I p. 93 et 94. 3) P. 35. 4) I p. 440 sqq.
5) Brosset I p. 93, 94. 6) P. 399, 25. 7) P. 399, 21.
8) Idem tradit Bar-Hebr. p. 124: „... odio magno habuit Christianos ʿOmarus“ ...
9) Conferas de hac re Wellhausen sub verbo Umar II p. 29. Morum ʿOmari descriptiones invenies apud Weil. I p. 579—594, et A. Müller I p. 438—445. 10) Brosset I p. 94.
11) P. 94; cf. Mkhith. p. 79: „Jezîd vetat Christianos vinum bibere.“
12) Cf. Weil I p. 615. 13) P. 401, 29; praecipue p. 402, 3.
14) P. 124: hausit ex Mich. Syr. p. 253.

figuras cuiuscumque viventis ex templis, parietibus, lignis, lapidibus, libris. Idem fecit Leo, imperator Romanorum, qui imagines sanctorum regumque ex ecclesiis domibusque eiecit."

Caput XVII. p. 100, 101 (p. 99).

„Hiśâm, qui Iezîdum II secutus est, regnavit annos 19.[1]) Primo regni anno (724/25) misit praefectum in Armeniam, nomine Herth, qui chalifae iussu liberalitatem atque largitionem ʿOmari aegerrime ferentis Armenios maximis tributis imponendis plus aequo vexavit."

Idem habet Stephanus Asołik[2]), nisi quod praefectum nomine non appellat: Hiśâmum pecuniis fisci omnibus modis subvenire ac parcere necesse erat.[3]) Eius mores describuntur a Weilio I p. 651 sqq.

Herth praefectus etiam a Mkhitharo p. 79 nominatur. Ibi legimus ad annum 170 (721): Herth missus iussu Šam-Hischami censum Armeniorum habet.[4]) Mkhithar penitus a Leontio hic pendet, ut infra in Constantinopolis oppugnationis descriptione apparebit.[5]) Sed erravit in tempore, quod est vitium huius potissimum scriptoris proprium. — Ceterum apud hunc auctorem solum Herth nominatum inveni.

Itaque quoniam, quoad video, nemo nihilque contra Leontium dicit, eum sequi debemus atque pro certo habere, Herthum anno 724 in Armenia praefectum constitutum esse ab Hiśâmo. Fortasse is idem Herth est atque quem Weil[6]) in terra Chorasan ad hostes transisse narrat; causa potest fuisse, quod ab Hiśâmo praefectura Armeniae pulsus erat; mortuus est anno 128 mens. Radjab: i. e. 746 mens. Aprili.[7])

Utrum ʿAbd el ʿAzîz, quem Leontius ultimum praefectum Armeniae memoraverat, usque ad illud tempus, quo Herth terrae praeesse coepit, hac praefectura functus sit necne, discernere non possum[8]): numquam enim quidquam de morte ʿAbd el ʿAzîzi in-

1) Chahnaz. p. 112 errore vertit XIII, nam cod. (p. 114) habet XIX, regnavit: 27. Ian. 724 — 6. Febr. 743. Leont. scribit Čam vel Hešm.

2) P. 94.

3) Cf. A. Müller I p. 445 sq., ubi exemplum magnae eius avaritiae affert.

4) Šam-Hischam est simplex dittographia, cf. Leont. p. 100; idem error occurrit apud Sam. Aniens. p. 413 ad ann. 733.

5) Cap. XIX, XX. 6) I p. 631. 7) Weil I p. 696.

8) Al Ṭabarî (Journ. of hell. Stud. XV p. 197) a. H. 102 (720/1) dicit: ʿOmarum, filium Hubeirae, in Armeniam profectum 700 captivos abduxisse; Ibn Wadhih et Ibn Al Athir (ibid.) idem referunt.

veni. Herth hoc munus administrasse videtur annos quattuor vel quinque; nam anno 628 (vel 629?) Ǵarrâḥ iam praefectus nominatur.[1])

Caput XVIII. p. 101—103 (p. 99—101).

„Chacano mortuo mater regina nomine Pharsbith iussit Tharmač̣ ducem in Armeniam invehi. Is per Čor[2]) et fines Mazkhuthkh[3]) terra Phajtakaran[4]) vastata, postquam Araxem transmisit, in Persidem irrumpens Artavēt[5α]) et Gancak[5β]) urbibus dirutis pagosque Ẹthšibagvan, Spatar-Pheroz, Ormizd-Pheroz depopulatis[5γ]) Arabes, qui Džaṙ duce eis obviam ierant, in fugam vertit et usque ad Zarevand[5δ]) pagum progressus Ambriotik, locum munitum[5ε]), oppugnare coepit, sarcinis captivisque Artavēt in urbe male custodita relictis. Hanc urbem Arabes interim expugnaverant duce Seṭh-Harašo[6]) captivosque liberaverant. Sed a Chazaris ab Ambriotik, quam adhuc obsederunt, celeriter profectis fugati sunt signumque eorum aheneum captum est, quod his (sc. Leontii) diebus adhuc in tribu Haraš asservatur.“

„Huius cladis nuntio allato a chalifa Maslama magnis cum copiis in Persidem missus nihil iam proficere potuit atque non nisi seditione cognatorum Seth-Haraši, quae oritura videbatur, re-

1) Theoph. a. m. 6220 (628) p. 407, 3.

2) Vide supra p. 25 n[4]. 3) Massagetarum?

4) Prov. XI in Armenia maxime in orientem versus circa ripas fluminis Araxis usque ad mare Caspium.

5α) Pro Artavēt ponendum esse videtur nomen Artebil, urbis in provincia Atrpatakan sitae, non longe a litore maris Caspii, apud quam urbem Elmacin (p. 79; Weil I p. 604 n[3]) et Elias Nisibenus (p. 124, a. H. 112 a. D. 730/31) Ǵarrâḥ, ducem Arabum, a Chazaris victum interfectumque tradunt memoriae. — β) Gancak — Chahnaz. in versione sua has duas urbes, Artavēt dico atque Gancak, falso ordine posuit — huius nominis existunt urbes duae: altera Ganzaca, caput provinciae Atrpatakan, his diebus non Tebriz nominatum, sed Tacht-i-Solaimân a Marâgha situm inter meridiem atque orientem; cf. Nöldeke, Ṭabarî p. 100 n[1]. — γ) Ẹthšibagvan, Spatar-Pheroz, Ormizd-Pheroz: mihi quidem ignotae; in Perside sitas esse necesse est. — δ) Zarevand pagus est provinciae Persicae Armeniae (Parskahajkh). — ε) Ambriotik: nihil eius de situ comperi.

6) Num idem sit atque Džaṙ ambigi poterit: ambo possunt intellegi pro Ǵarrâḥo. Ego putaverim illum solum pro Ǵarrâḥo intellegendum esse; nam Ǵarrâḥ pugna occisus est apud Artebil, itaque Set-Haraš, qui huic pugnae erat superstes atque a Maslama paene occisus est — de quo facto alias nusquam potui invenire quicquam — alius atque Džaṙ et Ǵarrâḥ intellegendus erit.

tentus, quin eum supplicio afficeret, infecta re ad Hiśâmum rediit.“ Hoc legimus apud Leontium.

De magna hac Chazarorum usque ad Persidem invasione legimus apud Theophanem ad a. m. 6220 (627/28)[1]) haec: *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐπεστράτευσεν ὁ υἱὸς Χαγάνου* — erat Elmacino teste filius Hafi regis[2]) — *τοῦ δυνάστου Χαζαρίας, τὴν Μηδίαν καὶ Ἀρμενίαν, καὶ εὑρὼν Γάραχον, τὸν τῶν Ἀράβων στρατηγόν, κατὰ τὴν Ἀρμενίαν ἀνεῖλεν αὐτὸν μετὰ τοῦ συνόντος αὐτῷ πλήθους καὶ ληϊσάμενος τὴν τῶν Ἀρμενίων χώραν καὶ τῶν Μήδων ἀνέκαμψεν, φόβον μέγαν ἐμποιήσας τοῖς Ἄραψι.*

Elias Nisibenus ad a. H. 112 (Mart. mens. 730/31) habet hoc[3]): „Turci interficiunt Ǵarrâḥ ibn ʿAbd Allah, Arabes in captivitatem abducunt, diripiunt Merǵ ʾArdebîl. Deinde Saʿîd Ibn ʿAmr Turcos vicit praedamque eis ademit.“ Opinor hunc Saʿîdum atque Leontii Seth-Haraš eosdem esse. Quod si verum est, statuendum erit, Eliam Nisibenum, fortasse quia fontes tantum Arabici praesto erant, nihil de clade huius Saʿîd comperisse, atque Leontium melius de his rebus fuisse eruditum: hoc praesertim pro certo cum ponamus, eum in Armenia orientali vitam degisse.

In chronico Bar-Hebraei ad annum Graec. 1042 i. e. 731 scriptum videmus hoc: „Anno 1042 Turci urbes Aderbîjanae[4]) expugnarunt, contra quos Moslema magnas copias eduxit. Turci occupatis urbibus, quas ceperant, reliquam partem dicionis Arabum non adorti sunt; pacem composuerunt Arabes cum Turcis.“

Elmacin[5]) expeditionem Ǵarrâḥi (appellat eum Gjerrahum) in regnum Iezidi II (720—724) ponit.

Ceterum complures tunc temporis pugnae commissae sunt inter Arabes Chazarosque. Iam Iezîdi temporibus[6]) Ǵarrâḥo duce incursiones Arabum in Chazaros susceptas esse auctores Arabici nuntiant; etiam pacem cum iis anno 724 factam memorant. Deinde Maslamam ex anno 110 (Apr. 728/29) irrupisse, post Ǵarrâḥi mortem eundem expeditiones nonnullas in has regiones fecisse. Nomina Pharsbith et Tharmač alias mihi non occurrerunt.[7])

1) P. 407, 5. 2) P. 79 versionis Latinae ab Erpenio curatae. 3) P. 124. 4) P. 125 cf. Mich. Syr. p. 255. 5) P. 79.

6) Elmac. l. a. et Elias Nisib. p. 123 a. H. 104 (Iun. 722/23): „Ǵarrâḥ in finibus Turcorum urbem Śebâ expugnat.“ Cf. Weil I p. 604 sq.

7) Conferas his de rebus Theophanem p. 407, 11 ad a. m. 6221 (728/29), Eliam Nisibenum ad a. H. 109 (Apr. 727/28), 110 (Apr. 728/29); 113 (Mart. 731/32), Elmac. p. 79, 80; Abulfedam (Annal. Mosl. vert. Lat. I. Reiske. Lpz. 1754) p. 123, 126. Weil I p. 604 n[3], 634 n[4]).

Capita XIX, XX. p. 103—112 (p. 101—110).

„Illo tempore[1]) chalifa Hišâm[2]) cum per legatum a Leonte ut sese subiceret frustra petiisset, Maslamam fratrem in Romaniam irruere iussit; is per Ciliciam, Mesopotamiam, Bithyniam itinere facto castra posuit ad Sagarim[3]) fluvium."

„Adversus hos Graeci in altera (i. e. sinistra) fluminis ripa castra muniverunt a Leonte Arabes ultro petere vetiti. Sed ubi viderunt campos suos vastatos, non diutius pugna abstinuerunt. Maslama omnibus sarcinis retro remotis duas partes exercitus a dextra laevaque itineris in insidiis collocavit, ipse cum tertia parte hostes incautos atque impeditos aggressus est funditusque vicit. Cecidisse dicuntur 80000 Romanorum. Deinde Arabes magno cum gaudio chalifae redierunt."

„Anno sequenti[4]) Maslama ipsam Constantinopolim expugnaturus per omnes Asiae minoris provincias cum profectus esset, ad litus Ponti Euxini castris positis a Leonte superbissime[5]) postulavit, sese ut dederet. Is vero supplicationibus in Sancta Sophia per tres dies factis fortiter respondit[6]), urbem omnibus rebus ad defendendum idoneis instruxit. Hostium deinde classe innumerabili ad urbem appulsa Leo ad litus prodiit sollemni processione et ter mare cruce sacra percussit. Subito tempestate vehementissima exorta plus dimidio classis periit, pars ad Thraciae litus delata est, pars ad insulas. Erant antem plus 500000 militum. Imperator necari quemquam vetuit, omnes tamquam obsidens effecit, ut mox summa fame laborarent. Maslama denique animo demisso a Leonte, ut sibi abire cum parva manu, quae adhuc superstes erat, liceret, petivit. Quod ei concessum est. Deinde per mare Mediterraneum domum reversus numquam in bellum exiit usque ad vitae finem."[7]) Hactenus Leontii enarratio, satis, ut primo statim aspectu apparet, aliena ab ea, quae apud scriptores Graecos vel Arabicos de hac Constantinopolis oppugnatione invenitur.

Iam perscrutemur singula. Iohannes Catholicus omnino de

1) Post 730: postquam expeditio Maslamae in regionem Chazarorum ad irritum cecidit (teste sc. Leont.).

2) Chahnaz. scribit Jezîd, qui a Leontio hoc loco non memoratur.

3) Est Sangarius veterum, qui per Bithyniam fluens non longe a Nicaea Nicomediaque Ponto Euxino immiscetur.

4) Hic incipit caput XX p. 105—112 (p. 103—110).

5) Epistulae summa a Leontio enarratur.

6) Responsum Leontius ad verbum reddit.

7) I kłzis heravors (Chahnaz. lointaines)?

tota re tacet. Stephanus Asołik paene ad verbum a Leontio pendet.[1]) Mkhithar[2]) habet sub anno 745: auxilio atque vi crucis Christi 50 myriades Arabum mari submersae sunt; Maslama a Leonte imperatore remissus est gloriae Christi praedicandae causa. Item Vardan[3]) expeditionem in Hiśâmi[4]) regno ponit. Hi omnes e Leontio hausisse videntur.

Leontius primam expeditionem Maslamae anno II regni chalifae factam tradit i. e. 725. Sed anno II Suleimâni (716/17) susceptam esse apparet e Theophane[5]) ad a. m. 6208 indictione XV.[6]) Facile tota res ex regni anno II Suleimâni referri potuit in regni eundem annum Hiśâmi: atque haud scio an causa ea quoque fuerit, ne 'Omari regnum, quem Leontius tantis laudibus extulerat, tanto scelere macularetur.

De clade illa permagna Graecorum ad Sagarim fluvium ceteri fontes rursus tacent omnes: Leontius, ut saepius iam vidimus, clades Romanorum enarrat, de quibus Romani ipsi nihil produnt: fides scilicet hac in re Leontio abroganda est.

Deinde quantopere singula, quae Leontius praebet, cum vero non congruant, videre licet e Theophane[7]) et Nicephoro[8]) et Bar-Hebraeo.[9]) Conferas etiam Weilium.[10]) Contra Wellhausen[11]) contendit, expeditionem Maslamae iam anno 715 inceptam esse. Sed siquidem, ut mihi persuasi, in Theophanis chronographia indictiones plus auctoritatis exhibeant quam anni mundi, tum Weil et A. Müller[12]) recte initium ponunt in anno 716. Nam a. m. 6209[13]) indictio huius anni prima significatur, quae tamen 1. Sept. 717 a. m. 6210 initium cepit. Huc accedit, quod ex ipso Theophane[14]) patet, Suleimânum mediam inter oppugnationem mortuum esse; et cum constet, Suleimânum post 1. Sept. 717 obiisse[15]), profecto pro 6209 substituendus est 6210. Obsessionem usque ad ver anni 718 durasse testis est etiam Bar-Hebraeus.[16])

1) P. 94—96. Brosset (in versione Mkhithari p. 80 n[1] ad ann. 745) errat, cum contendit, Stephanum quoque nihil referre; de Mose Caghamcatovatsi (saec. X) iudicare non possum. 2) P. 80.

3) Brosset ibid., Vard. mortuus est 1271.

4) Nomen Hiśâmi — is enim intellegendus est — nusquam affertur.

5) P. 386, 25.

6) Nam 6209 (p. 395, 22) indictio I nominatur (717/718).

7) P. 395, 13. 8) P. 53. 9) P. 122 sq. 10) I p. 567 sqq.

11) P. 28 sq. 12) P. 417. 13) P. 395, 22.

14) Theoph. p. 396, 23.

15) Weil I p. 569 et h. p. n[2]. 16) P. 124.

Caput XXI. p. 112 sq. (p. 110 sq.).

Ašot, filius Wasaki Bagratunii, a Merwâno[1]) patricius Armeniae factus est; Gregorius et David, filii Symbatii Mamiconii, qui Ašoti dignitati invidebant, in deserta Yemen in captivitatem abducti sunt. Ašot ab Hiśâmo benigne exceptus tres in annos ab hoc chalifa centena milia nummum accepit. Deinde totum per Hiśâmi regnum equitatui Armenio stipendia recte pensa sunt."

Ašot Leontio teste[2]) hoc munere functus est per 17 annos; Stephanus Asołik (p. 75 et 97) dicit 15 annos: sed 5 et 7 persaepe in codicibus Armeniacis confunduntur. Tum a Gregorio correptus et oculis privatus est atque ex hoc tempore etiam 13 annos vixit.[3]) Itaque Ašot mortuus est circa annum 762/63.

Eum Symbatium, filium Biurati, secutum esse dicunt scriptores Armeniaci. Sed id vix credi potest. Nam Symbatius Stephano Asołik et Ciraco testibus[4]) circa annum 710 iam mortuus est; interest inter Symbatii mortem et initium praefecturae Ašoti spatium annorum fere 20: quis hoc tempore illo munere functus sit, a nullo scriptore traditur.

Caput XXII. p. 113 sq. (p. 111 sq.).

„Haec postquam facta sunt[5]) Merwân, quocum Ašot coniunctus erat, caput terrae Chazarorum[6]) cepit; qui in eo habitabant divitiis in mare (num Caspium?) iniectis maximam partem ipsi se in idem mare deiecerunt. Reversus deinde Merwân Partav[7]) in urbe praedam divisit, quintam partem ad Hiśâmum misit, reliqua inter Arabes Armeniosque distributa sunt. Merwân hoc facto Armeniae pacem securitatemque reddidit."

1) Idem, qui postea (743) chalifa factus est. Secutus est Merwân Maslamam (Seth Haraš pro Maslama Armeniam administrasse videtur) a. H. 114 (732/33). Cf. Weil I p. 635; Wellhausen p. 30 ad a. m. 6223.

2) P. 124 (Chahnaz. p. 121); Sam. Aniens. p. 417 recte habet annos 17.

3) Asoł. l. a. habet annos 14: rursus 3 et 4 confunduntur.

4) Asoł. p. 72; Cirac. p. 34; cf. Sam. Aniens. p. 409.

5) Scilicet statim post initium praefecturae Merwâni 732.

6) Hunnorum habet Leont. Caput: intellegenda esse videtur urbs Thargou, vide supra p. 39.

7) Est caput provinciae IV Uti in Armeniae partibus aquilonis, finitima quae est Cyro flumini; refecta est haec urbs teste Djalal-eddin Asiouthly (apud St. Mart. Mém. I p. 87 n[4]) a. H. 85 (704/5) ab ʿAbd el ʿAzîz ben Hatem: estne is idem, qui inde ab anno 705/6 Muḥammedae loco Armeniae praefectus erat et Dvin urbem refecit?

Non crediderim huc spectare, quod legimus apud Theophanem[1]) a. m. 6227 (735/36): *Τούτῳ τῷ ἔτει ἐπεστράτευσε Σουλεϊμάν, ὁ τοῦ Ἰσάμ, τὴν τῶν Ἀρμενίων χώραν καὶ οὐδὲν ἤνυσεν*: videtur intellegenda esse Armenia parva, non magna, cui Merwân „pacem securitatemque reddiderat". — Sed novit Theophanes Merwânum praefectum Armeniae[2]): *Μαρουάμ, υἱὸς Μουάμεδ, τὴν Ἀρμενίαν διέπων*, quamquam de eius contra Chazaros expeditione nihil tradit. Ṭabari[3]) facit nos certiores de incursione Merwâni contra Chazaros a. H. 121 (738/39): „Chazari coguntur tributa solvere Arabibus". Hanc expeditionem eandem esse puto atque de qua Leontius cogitat. Urbs, quae expugnatur[4]), Tumanschah nominatur. Elias Nisibenus[5]) a. H. 119 (737) Merwânum Turcos vicisse, Abulfeda[6]) Asadum, filium Abdellahi, Turcos vicisse eorumque Chacanum interfecisse tradunt.[7])

Fusius de his rebus disserunt Lebeau[8]), qui res, quas narrat, ex libro, qui mihi ad manus non erat, Mouradja d'Ohssoni[9]) hausit, et Brosset.[10]) Forsitan huc sit referendum, quod legimus apud Mkhitharum.[11])

Caput XXIII. p. 115 (p. 112, 113).

Post Hiśâmum regnavit Welîd II[12]) annum unum menses sex: eum omnibus libidinibus obnoxium fuisse constat.[13]) Illud autem nusquam traditum inveni, eum certamina alterius in alterum magni habuisse[14]) et viros doctos sententiam rogatos esse ab iis, quos Welîdi vitae libidinosae poenitebat. Etiam modus mortis ab Arabibus aliter describitur. Welîd fortiter postquam se defendit lapideque vulneratus est, in Palatio suo a seditiosis necatur, quibus Iezîd III praefuit, qui tum per menses V dies XXIII regnavit.[15]) Non secutus

1) P. 410, 27. 2) P. 418, 20.
3) Weil I p. 636 et h. p. n[1].
4) Nomen eius a Leontio omissum est.
5) P. 125. 6) P. 130 eodem anno CXIX.
7) Cf. ad has Merwâni expeditiones A. Müller I p. 418.
8) XII p. 165 sqq.
9) Inscribitur: Des peuples du Caucase et des pays au nord de la mer Noire et de la mer Caspienne (Par. 1828).
10) In nota *A* p. 245 libri inscripti 'Histoire de la Géorgie'.
11) P. 78.
12) 6. Febr. 743 — 16. Apr. 744. 13) Weil I p. 658 sq.
14) Immo vero hoc ab indole eius alienissimum videtur.
15) Weil I p. 670 sq.

est Suleimân, ut vult Leontius; sed is[1]) Iezîdum III tantum in regno retinendo adiuvit[2]) et postea contra Merwânum conflixit: vide caput sequens.

Stephanus Asołik[3]) totus ab hac Leontii enarratione pendet.

Caput XXIV. p. 116—118 (p. 113—115).

„Merwân suo loco in Armenia Isḥâq, filio Muslimae, relicto ipse in Syriam profectus est, ut mortem Welîdi eiusque filii ulcisceretur. Apud Ṙusph non longe a Damasco complures per dies postquam acerrime pugnatum est, tandem Suleimâno necato Merwân victor e proelio exiit. Deinde Damascus vi et armis capitur: omnes Arabes, qui in urbe erant, crudelissime trucidantur."

Fere omnia hac in enarratione emendationis indigent. Isḥaq erat profecto filius Muslimi[4]): is iam ante mortem Merwâni ex Armenia magno cum exercitu[5]) contra ʿAbd Allah profectus est. A chalifa ei ignoscitur.[6]) Obtinuit igitur praefecturam Armeniae 743—750. — Ṙusph non longe abest a Kinnesrin, palatio Hiśâmi, ubi mortuus est.[7]) — Suleimân non cecidit in pugna, sed aufugit.[8]) — Ṙusph satis a Damasco abest. — Nusquam alias traditur pugnam per complures dies continuos durasse, sed vespere eiusdem, quo coeperat, diei finita est. — De suppliciis Damasci crudeliter factis fontes Arabici silere videntur itemque de urbe vi et armis capta.[9]) Theophanes tantum[10]) de internecione multorum nobilium eorumque, qui mortis filiorum Welîdi participes fuerant, Damasci facta verba facit: *Καταλαβὼν δὲ καὶ Μαρουὰμ τὴν Δαμασκὸν ἀνεῖλε πολλοὺς τῶν ὑπερεχόντων καὶ τοὺς συνεργήσαντας τῷ φόνῳ τοῦ Οὐαλὶδ καὶ τῶν τέκνων αὐτοῦ, καὶ ἄλλους ἠκρωτηρίασεν.*

Ex Leontio hausit Stephanus Asołik, quod[11]) de Merwâno tradit.

1) Erat filius Hiśâmi; Leont. dicit: ex eadem familia regia.
2) Weil I p. 673; 675. 3) P. 96.
4) Weil II p. 9. 5) Ibid. p. 11 n[1]: 60 000 militum.
6) Ibid. p. 9—11.
7) Weil I p. 657; Bar-Hebr. p. 126 a. Gr. 1066: „Hescham Rosaphae (sive) Calinici mortuus est."
8) Bar-Hebr. p. 127: „Ex Armenia erumpens (sc. Merwân) Solimanum agressus est iuxta litora Euphratis, qui strage facta 12 000 suorum Rosapham aufugit."
9) Weil quidem nihil de hac re tradit; I p. 682 sq.
10) P. 419, 2. 11) P. 96 sq.

Caput XXV. p. 118—121 (p. 115—118).

„Bello deinde continuo inter ipsos Arabes saeviente[1]) Gregorius et David, filii Symbatii Mamiconii[2]), in Armeniam qui aufugerant Damasco, Ašoto noctu insidias parabant: is quidem mortem effugit, sed divitiae eius a coniuratis direptae sunt. Deinde ad Merwânum ut coniuratos accusaret profectus cum 15000 sagittariis optime armatis adventu suo et auxilio effecit, ut eodem die Merwân tandem vinceret.[3]) Interim ab Isaaco Gregorius ille Armeniae praefectus erat. Sed Merwân Ôkhbaj misit, qui Davidem Mamiconium trucidavit. Ašot deinde in suum locum restitutus est, sed Gregorius semper summo in Ašotum odio utebatur."

Has omnes res Leontius solus nos cum doceat, perdifficile est diiudicatu, quatenus haec enarratio recte se habeat: nihil tamen mihi quidem graviores dubitationes movet, nisi quod miror, scriptores Arabicos nihil dicere de hoc Ašoti auxilio haud spernendo. Frustra Weilium de hac re volves.

Caput XXVI. p. 121—124 (p. 118—121).

Idem, quod modo diximus, etiam ad res hoc capite expositas pertinet: Leontius solus fons est atque cum iam tempori admodum appropinquemus, quo vixit, eo magis fides cui tribuatur dignus est. Enarrat autem fere haec: „Civilia inter Arabes bella dum geruntur, Armenii a Mamiconiis incitati iugum Arabum abicere conantur neque, ut ab hoc consilio desistant, precibus Ašoti moventur; quin etiam coniurationis ipse particeps esse cogitur. Seditiosi Armenii bonis familiisque Tajkh in provinciam[4]) deportatis spem in exercitu Romano in Ponto provincia collocato posuerunt: etenim foedus fecerant cum Constantino.[5]) Deinde vero cum omnis generis homines perditi atque desperati manum coniuratorum in dies magis augerent et in ipsos populares crudelissime saevirent, Ašot, quem nonnulli principes sequebantur, in vicum Hazr[6]) sese contulit, ut cum Arabi-

1) Cf. de his bellis Weil I p. 685 sqq.
2) Cf. supra Leont. p. 112 cap. XXI.
3) Num intellegenda est pugna ad Rosapham in Euphratae ripis anno 744?
4) Armeniae septentrionalis natura loci optime munitam.
5) V Copronymo, 741—775.
6) In pago Bagrevand prope a fontibus Euphratae ab Araxe in meridiem versus in provincia Ararat; vicus alias mihi ignotus.

bus se coniungeret. Sed proditus a comitibus a Gregorio prehenditur, qui eum famulis Davidis fratris tradidit; hi eum caecant. Gregorius deinde Karin[1]) in urbem triumphans ingressus est. Sed ibi ex morbo turpissimo moritur; ac ne heredem quidem reliquit. Secutus eum est breve per tempus frater Mušeł. Ašot annis XIII post moritur atque Darivns sepelitur."

Hoc accidit, si Leontium sequimur, anno circiter 749.[2]) De foedere illo cum Constantino testimonium non exstat nisi hoc loco. Per se facile potuit fieri; conferas quae addidi ad caput XXIX. — Miror, quod Stephanus Asołik de hac Armeniorum seditione nihil prodit. Tempus, ut fere semper, ab Armeniis rursus peropportune electum erat: nam tum (circa 749) iam tempestas illa exoritura erat, qua Mu'âwîjae gens penitus exstirpata est.

Caput XXVII. p. 125—127 (p. 121—123).

„In Chorasan, quo multi nobiles Arabes, ut sese periculis bellorum civilium eriperent, aufugerant[3]), nonnulli Alidae, qui aliquantum iam temporis ibi per tranquillitatem degerant, exercitu reconciliato contra Merwânum coniuraverunt."

„Summa imperii penes Kachtabam[4]) et Abû-Muslim[4]) (Abu-Mslim Leont.), virum astrologiae studiosum, erat."

„Praefecto"[5]) necato hae „copiae 'Abd Allah" (Leont. Abdlaj) vel „filii Hišâmi"[6]) (Leont. Hescham) palam Merwânum aggressi sunt. In Syriam profecti exercitum Merwâni saepius fuderunt. Tigride[7]) traiecto multisque urbibus subiectis regionem totam — nam semper victores e proeliis discesserunt[8]) — usque ad campum Tačikkh vel Akoła[9]) subegerunt. Bassrae incolae portas

1) Eadem atque Theodosiopolis vel Erzerum.

2) Vide supra p. 46.

3) Cf. Theoph. p. 424, 16 et p. 425, 16. Iam inde ab anno 123 (740/41) Abassidae in Chorasan satellites sibi parare conati erant. Palam contra Merwânum ab anno 129 (746/47) seditiosos se praebuerunt. Cf. A. Müller I p. 454.

4) Apud Leontium „Kahathba"; dux sub Abû Muslimo, qui in pugna apud Kerbelam (20. Aug. 749) cecidit. Abû-Muslim anno 128 (745/6) in Chorasan venerat. Plenum nomen Kachtabae est: K. Ibn Šebîb.

5) Naṣr Ibn Ṣeijâr; moritur in fuga Ṣawae in urbe Mediae 9. Nov. 748. A. Müller I p. 455.

6) Cf. Theoph. p. 424, 18: οἱ λεγόμενοι υἱοὶ τοῦ Ἐχλμ καὶ τοῦ Ἀλίμ.

7) Weil I p. 699. 8) Recte, vide Weil ibid.

9) Vel idem atque Kufa vel urbs non longe a Bagdad. Cf. Chahnaz. p. 122 n[3]. Vide Bar-Hebr. p. 106: „. . . Saades castra posuit iuxta Cu-

seditiosis patefecerunt[1]); Merwân timore perterritus ex pecuniis fisci militibus conductis[2]) complures per dies usque ad anni finem[3]) ancipite Marte cum pugnavisset, tandem 'Abd Allah (Abdlaj) in castra Merwâni irrupit; multi — fuisse affirmantur 300000[4]) — trucidantur: Merwân ipse in tabernaculo suo interficitur."[5])

Videre licet ex adnotationibus adscriptis, quantum fidei his in rebus enarrandis Leontio attribuendum sit. Ceterum conferas praeter Weilium (I p. 686 sqq.) etiam A. Müller (I p. 454 sqq.).

Caput XXVIII. p. 127 sqq.[6]) (p. 123 sqq.).

„Abû-l-'Abbâs 'Abd Allah (Leontius scribit Abdlaj)[7]) statim fratrem Manṣûr[8]) per totum regnum misit, ut res singularum partium cognosceret atque ordinaret. Initium fecit huius itineris ab Armenia: Armeniis, nobilibus non minus quam plebi — ne mortuis quidem

fam, quae eadem est cum Akula." Cf. etiam Abulfeda, Op. Geogr. (ed. Reiske) p. 257 n[82].

1) Hoc falsum est; Bassra etiam post mortem Merwâni a Ṣelm Ibn Quteibae Ibn Muslim, qui Omaijadis favebat, occupata erat: Weil II p. 10; A. Müller I p. 459. Expugnatur urbs fine anni 750. Cf. Weil II p. 13; A. Müller I p. 459/460.

2) Cf. Weil I p. 693 n[2]; Merwân militibus singulis centenos denarios, singulos equos et mulos dedit, teste Ṭab. XII f. 6—10.

3) Merwân al abû 'Aun, non 'Abd Allah is erat, qui Merwânum chalifam apud Sab flumen penitus vicit (25. Ian. 750). 'Abd Allah quidem, filius ipsius chalifae, qui a patre stetit, imprimis causa cladis fuit (Weil I p. 701 et h. p. n[1]).

4) Exercitus circiter 120000 erat; permulti fluctibus Sab fluminis submersi sunt.

5) Hoc falsum: Merwân incolumis e pugna effugit et demum 5. Aug. 750 in ecclesia urbis Buṣir in Aegypto superiore non longe ab urbe Uśmunein (= Hermopolis maior) interemptus est.

6) Steph. Asoł. excerpsit Leont. p. 98/99; falso dicit Manṣûr duos tantum per annos regnasse: excidisse veri est simile signum numeri XX, nam Leontius habet XXII recte.

7) Ipse nomen sibi dedit Es-Saffâḥ i. e.: qui sanguinem fundit. Kufae in urbe iam 29. Oct. 749 (13. Rabi I 132) a copiis chalifa proclamatus erat (A. Müller I p. 457 et h. p. n[1]). Iam initio anni 134 (Iul. 751/752) provinciae maximae novo chalifae oboedierunt. Weil II p. 13.

8) Leont. habet Abdla. Plenum nomen est: 'Abû Ǵa'far 'Abd Allah; postea ubi chalifa factus est, ipse El-Manṣûr sese nominavit vel, ut nos dicere solemus, Almansor, i. e.: cui a Deo gloria datur. Ambo erant filii Ibrâhîmi, filii Abassidae Muḥammedae. Manṣûr praefectus est provinciis Atrpatakan, Armeniae, parti Mesopotamiae a. 134 = 751/52 teste Weilio (II, p. 13); anno 133 (750/51) teste Elia Nisib. (p. 127).

temperatum est[1]) neque orbatis neque viduis neque ecclesiae ministris[2]) — tributa vix ferenda imposuit: omnes in collo notas plumbi ferre coacti sunt.“[3])

„Inde Manṣûr in Perside, Media (fines Markh)[4]) Chorasan, Aegypto, in provinciis Pentapoli[5]) et Aphrikaj[6]) (sc. Africa) exempla similia avaritiae atque crudelitatis edidit, ita ut ipsi populares eum appellarent „„patrem denarii““.“[7])

„Praefectum Armeniae fecit Iezîdum, filium Useid[8]), qui principem (išchan) nominavit Isaacum (Isahak), filium Bagarati, e familia Ašoti, qui eius erat frater patruelis[9]), virum eximia corporis figura; principes coacti sunt, suis ipsi sumptibus eundem atque antea militum numerum praestare.“

De Iezîdo conferas Weil II p. 99. Baladhuri quoque testis est, Iezîdum Ibn Useid a Manṣûro Armeniae praepositum esse.[10]) Hic Isaac, quantum video, ab aliis Armeniorum scriptoribus non nominatur. Leontio auctore accepit hanc dignitatem ca. annum 750. St. Martin[11]) falso, ut mihi quidem videtur, eius principatum ponit intra annos 760 et 766.[12])

1) Idem habet Cirac. p. 37. Mkhith. ad ann. 758 annotat: „ʿAbd Allah chalifa tributum imponit viro tres iam annos mortuo et omne aurum argentumque e terra rapit.“

2) Cf. Theoph. p. 430, 15: *Τούτῳ τῷ ἔτει Ἀβδελὸς τὴν φορολογίαν ἐπέτεινε Χριστιανοῖς, ὥστε ἅπαντας μοναχούς τε καὶ ἐγκλείστους καὶ κιονίτας τοὺς τῷ θεῷ εὐαρεστοῦντας φορολογῆσαι· ἐσφράγισε δὲ καὶ τὰ τῶν ἐκκλησιῶν κειμηλιαρχεῖα* ...

3) De hac Manṣûri legatione alias nihil inveni. Sed tanta eum usum esse avaritia ab eius moribus malis prorsus non abhorret. Cf. horum descriptionem apud Weil II p. 86 sqq. — Item Cirac. p. 37 eum hominem avarum et pecuniae cupidum appellat. — Notae illae plumbeae simili modo infra cap. XLI quoque memorantur. 4) Vide supra p. 10 n[4].

5) Pentapolsakan habet Leont. i. e.: Pentapolis vel Cyrenaica.

6) Scriptura, quam secutus est Chahnaz., Atekh, deterior est, neque quid significet Atekh, exploratum habeo.

7) hajr dangi. Idem exstat apud Thomam Ardzrunium (Brosset I p. 95). Cf. infra p. 63. 8) Leont.: Usaj.

9) P. 128. Chahnaz. non recte vertit (p. 125).

10) Weil III Appendix ad vol I p. IV. 11) Mém. I p. 342 et 417.

12) Vide infra quoque cap. XXXIII.

Caput XXIX.[1]) p. 129 sq. (p. 125 sq.).

„Hoc tempore (i. e. ca. annum 750) imperator Graecorum[2]) Theodosiopolim in pago Karin cepit munitionesque eius diruit. Magnis pecuniis et parte crucis Christi inde ablatis cum iis, qui Theodosiopolim incoluerant, multisque aliis Armeniis, qui iugum Arabum diutius ferre noluerunt — concessa sunt iis domicilia in finibus regni Graeci —, Constantinopolim rediit.“

„Anno sequenti[3]) Iezid[4]) Theodosiopolis munitionibus restitutis incolisque magnis tributis impositis urbem rursus colonis ex Arabia arcessitis implevit, qui eam contra hostes defenderent.“

Iam temporibus Merwâni Constantinus in fines Arabum irrupit.[5])

Ad eam autem, quam Leontius hic intellegi vult, Constantini expeditionem pertinet Theophanes[6]) a. m. 6243 i. e. 750/51[7]): *Καὶ τῷ αὐτῷ χρόνῳ Κωνσταντῖνος τὴν Θεοδοσιούπολιν παρέλαβεν ἅμα τῇ Μελιτηνῇ καὶ ᾐχμαλώτευσε τοὺς Ἀρμενίους.* Conferas eundem p. 429, 19: .. *Κωνσταντῖνος .. Ἀρμενίους, οὓς ἤγαγεν ἀπὸ Θεοδοσιουπόλεως καὶ Μελιτηνῆς, εἰς τὴν Θρᾴκην μετῴκισεν.*[8])

Bar-Hebraeus[9]) (brevi post 750): Aschchirasch, dux exercitus Armeniorum, Malatiam perveniens totam regionem vastavit.

Idem[10]): Anno primo Manṣûri a. Gr. 1066 (= 755) a. H. 135 (= 752/3): Kalikala, quae eadem est atque Arzerum, spoliatur, praesidio in castello Chamach[11]) posito. Eam ab Iezîdo rursus aedificatam esse Bar-Hebraeus non tradit, tradit autem Michael

1) Idem habet Steph. Asoł. brevissime p. 98; cf. ibid. p. 106: „Konstandin annos 33. Suo anno XXI, anno Aerae Arm. 204 (i. e. 762 et 756) Karin expugnavit. Anno sequenti ab Iezîdo, Armeniae praefecto, rursus aedificata est.“ Sam. Aniens. p. 417 ad ann. 768. Cirac. p. 37.

2) Est Constantinus V Copronymus 741—775.

3) Scriptores Armenii, quos modo attuli, habent omnes praeter Steph. Asoł. p. 98 duos annos, non unum.

4) Est praefectus Armeniae: vide caput praecedens.

5) Vide Theoph. a. m. 6237 (744/45) p. 422, 11; Niceph. (p. 62, 21) ad a. 746: capta est Germanicia, urbs Ciliciae, non Euphratesiae, ut habet Niceph. l. a. Cf. St. Martin, Mém. I p. 200.

6) P. 427, 14.

7) Rectius 751/52: ut apparere mihi videtur ex eo, quod indictiones, quae ad a. m. 6238 (p. 423, 19), 6241 (p. 426, 14), 6245 (p. 428, 1) apponuntur, semper ad annum mundi sequentem significandum valent.

8) Idem habet Niceph. p. 65 ad ann. 752.

9) P. 128, cf. Mich. Syr. p. 260, ubi tamen Aschchirasch nullo verbo nominatur; quis fuerit, mihi non constat. 10) P. 129.

11) Ignotus; nomen Armenium sonat.

Syrus[1]): Mansûr restauravit Melitenem et Karin, quam quidam etiam Calinicon appellant.[2])

Apud Eliam Nisibenum legimus[3]): Constantinus Melitenem expugnat; et porro[4]): Constantinus Kalikalam cepit, diripuit, incolas omnes in captivitatem abduxit.

Ibn Wadhih[5]) a. H. 133: Constantinus Melitenem circumsedit conditionesque pacis accepit etc. Abulfeda tradit[6]): Constantinus Malatiam et Kalikalam cepit; et[7]): Constantinus Malatiam capit, muros detrahit, parcit praesidiis eorumque liberis. „Qui casus idemne sit cum illo, quem ad annum 133 attulimus, penes alios iudicium esto"; et[8]): 'Abd al Wahabus Ibn Ibrâhîm mittitur ad restaurandam Malatiam. „Semestri confectum opus."

Baladhuri[9]) a. H. 133 a. D. 750/51: Kalikala ab Kusan[10]) Armenio capitur, restauratur a Mansûro; Armeniis rursus deficientibus, munitur a Mutassim.

Tabari[11]) ponit expugnationem Malatiae Kalikalaeque in anno 138 (755/56).

Vides, quanto errore res chronologicae laborent. Apparet Malatiam et Theodosiopolim bis captas esse, deinde ab Arabibus restitutas. Leontius in regno Abû-l-'Abbâsi rem ponit.

Caput XXX.[12]) p. 130, 131 (p. 126, 127).

„Arabum nonnulli perditi homines ac scelesti Suleimâno[13]) quodam duce in Waspurakan ingressi in proelio Isaacum[14]) et eius fratrem Hamazasp, filios Wahani Ardzrunii, qui ambo fortissime pugnaverant,

1) P. 261.

2) Cf. Tab. (Engl. hist. Rev. XV p. 732): a. H. 138 Melitenem captam, a. H. 139 a Salih restauratam, deinde pacem factam tradit.

3) P. 127 a. H. 133 a. D. 750/51.

4) P. 128 a. H. 140 a. D. 757/58.

5) The engl. hist. Rev. XV, p. 731.

6) P. 143 a. H. 133 a. D. 750/51.

7) P. 145 a. H. 138 a. D. 755/56.

8) P. 146 a. H. 140 a. D. 757/58.

9) Weil III. appendix IV.

10) Alias mihi non occurrit; cf. Engl. hist. Rev. XVI p. 91 n[222].

11) Weil II p. 15 n[2].

12) Idem habet Asoł. p. 98; cf. Sam. Aniens. p. 415 ad ann. 756.

13) Leont. Sulējman, Steph. Asoł. Sliman. — Fortasse cogitandum est de Suleimâno Ibn 'Alî, patruo al Saffâhi (Weil II p. 13, cf. p. 14).

14) Sahak (ne confuderis eum cum Isaaco e familia Ašoti, qui ca. annum 750 ab Iezîdo Armeniae praepositus est. Cf. St. Martin, Mém. I p. 343).

trucidant. Gagiko, fratri eorum, fugientes Arabes quamquam consequi non iam potuit, tamen contigit, ut Suleimânum multis cum eius satellitibus conficeret.“ — Hanc Gagiki ultionem neque Stephanus Asołik neque Samuel Aniensis memorant.

Caput XXXI. p. 131—133 (p. 127—129).

„Iezîd[1]), Armeniae praefectus, Chatunam, filiam Chachani, Chazarorum regis, in matrimonium duxerat.[2]) Pax, quae hoc propter affinitatis vinculum inter duas nationes, Arabes dico et Chazaros, convenerat, morte Chatunae soluta cum esset, Ražtarchan et Chathirilithber[3]) a Chachano contra Armeniam missi sunt. Ražtarchan Cyro flumine traiecto[4]) per pagos Albaniae Hēdžar, Khała, Ostani, Marzpanean, Haband, Gełavu, Šakhē, Bech, Cheni, Kambechčan, Chołmał[5]) e regione Bataskani magna pecudis multitudine abacta septem Iberiae provincias ingressus est: Šučikh, Khuēškaphor, Čelthd, Dzukheth, Welisçchē, Thianēth, Erk, quas omnes Iezîdo nullo modo prohibente penitus depopulatus est. Brevi post Ražtharchan[6]), cum a suo rege ad Arabes defecisset, quibus filium suum obsidis loco dederat, subita morte ad portas Albanicas absumptus est.“[7])

Stephanus Asołik, qui res cum Chazaris gestas fere semper silentio praetermittit, ne de hac quidem incursione tradit quidquam.

Forsitan hanc ad rem pertineat, Theophanes quod refert sub a. m. 6255 (i. e. 762/63)[8]) et a. m. 6256 (763/64)[9]); Elias Nisibenus ad a. H. 147 i. e. 764/65[10]): Turci Tiflim venerunt, Arabes, qui ibi erant, in his Ḥarp ibn ʿAbd Allah trucidaverunt, multos captivos abegerunt. Eodem spectat Bar-Hebraeus[11]) ad annum 762: Hoc anno egressi sunt Chazari et abduxerunt homines 50000 ex

1) Vide supra caput XXVIII.

2) Weil III append. ad vol. I p. IV: Iezîd Ibn Useid chalifa iubente filiam regis Chazarorum uxorem duxit (e Baladhuri haustum, qui tamen de Chazarorum incursione tacet, dicit tantum ante hanc affinitatem Iezîdum Bab Allan cepisse. 3) Varia lectio: Chathirligber.

4) Inde ab ipsa huius fluminis ripa Albania in meridiem versus usque ad Armeniae fines extenditur. 5) Varia lectio: Chołmaz.

6) Is intellegendus sine dubio est.

7) De situ horum pagorum Albaniae Iberiaeque alias nihil inveni. De portis Albanicis vide, quod disserit Brosset (Voyage archéolog. I p. 96 sqq.).

8) P. 433, 26. 9) P. 435, 20. 10) P. 129. 11) P. 130.

Gurzanis.[1]) — Etiam Ṭabari a Turcis Tiflim captam compluresque in Armeniam incursiones susceptas esse tradit.[2])

Haec igitur, quam Leontius enarrat, Chazarorum invasio accidit circa annum 762, siquidem testimonia, quae ad Leontium illustrandum attulimus, ad hanc rem spectant.

Caput XXXII. p. 133—135 (p. 129, 130).

„A Dzalēh quodam, quem Abdla (i. e. Manṣûr) in Armeniam miserat, Gagik[3]) — multi Armenii in fines Romanos aufugerant[4]) — in locum munitum Nkan[5]) sese recepit. Inde manu comitum conducta in pagos Zarevand[6]), Butaks[7]) (varia lectio Rutaks), Zidṙōj[7]) (v. lectio Šidṙeç), Tasuk[7]), Gaznak[8]), Yormi[9]), Surenapat[10]) irruptiones fecerunt eosque vexaverunt. Sed in pago Her[11]) a duce Arabum Ṙuh[12]) pars interfecta, pars Nkan sese recipere coacta est. Hunc locum postquam alius Arabum dux Mûsâ[13]) unum per annum frustra obsedit, Gagik fretus foedere icto exiit, sed a chalifa, cui petenti omnes, quas in Perside exegerat, pecunias ediderat, crudelissima morte affectus est. Filii eius, Hamazasp et Isaac, postea cum honore in Armeniam remissi sunt.“ —

Dzalēh putaverim eundem esse, quem Weil[14]) appellat Salih.

1) Cf. Mich. Syr. p. 261, qui nominat Curdos vel Medos, qui 50 000 ex Causana abegerint.

2) Cf. Weil II p. 40 n[2]. — Cf. Brosset quoque: Histoire de la Géorg. tr. p. 257 n[1].

3) Idem, de quo capite XXX dictum est.

4) Huc referendum esse puto, quod legimus apud Theoph. a. m. 6248 (755/56) p. 430, 12: *Μόνον δὲ ὀλίγους Ἀρμενίους προσρυέντας αὐτῷ λαβὼν ὑπέστρεψε* (sc. *Κωνσταντῖνος*).

5) Arx munita in pago Thomavan prov. Waspurakan. Inčič. p. 209 sq. Steph. Asoł. — fortasse minus recte, nam Ardzrunii in Waspurakan bona sua habuerunt — p. 98 nominat arcem Ołokan pagi Taron prov. Turuberan. Inčič. p. 107.

6) Vide supra cap. XVIII p. 42 n[5 δ].

7) Mihi ignoti.

8) Fortasse Gancak, de quo vide supra p. 42 n[5 β].

9) Urbs in provincia Atrpatakan.

10) Contractum ex Surenaj anapat: i. e. deserta Surenae(?) Sita in prov. Ararat; cf. Inčič. p. 475.

11) Prov. Parskahajkh.

12) Idem, ut opinor, quem Weil II p. 111 memorat: Ruh Ibn Hatim praefectus Kufae Muḥammeda El Mahdî (775—85) chalifa.

13) Duces huius nominis permulti illo tempore occurrunt. Cf. indicem ap. Weil. vol. III p. 80: quis hic intellegendus sit, discernere haud audeo.

14) II p. 35: miror, quod Weil. hoc nomen et sine quadam conexione cum verbis antecedentibus ponit atque nomine patris omisso, neque in indicem recepit.

Erat filius ʿAlidis[1]), Abassida, avunculus Manṣûri chalifae. Praefectus erat inde ab anno 754/55 (137 a. H.) Syriae septentrionali; mortuus est anno 769 (152 a. H.). Non negaverim hanc Gagiki insurrectionem non cohaerere aliquatenus cum expeditione, quam Constantinus[2]) illo tempore contra Arabes fecit: Malatiam aliosque quosdam in Armenia locos[3]), quos Constantinus 755/56 ceperat, circa annum 139/40 (756/57) Arabes recipiunt.[4]) Arabum scriptoribus testibus deinde pax septem annorum convenit inter Constantinum et Arabes (756—763): Theophanes eius nullo verbo facit mentionem, quin etiam a. m. 6251 (758/59)[5]) Arabum incursionem in Romaniam enarrat.[6])

Ponam igitur hanc Gagiki seditionem hoc fere in tempore anno circiter 757, quamquam me nequaquam fugit, tum statuendum esse apud Leontium errorem chronologicum. Nam Chazarorum irruptionem, quam anno circiter 762 evenisse capite priori vidimus, posuit ante Gagiki defectionem. Forsitan Chazari iam inde ab annis ante 757 irruere coeperint.

Caput XXXIII.[7]) p. 135—137 (p. 130—132).

„Isaac[8]), princeps Armeniae, et Trdat[9]), catholicus e gente principum Wanand, cum Armenii summis vectigalibus adeo vexarentur, ut ad summam perducerentur egestatem, postquam diu frustra apud Iezîdum, praefectum Armeniae, questi sunt, tandem Manṣûr[10]) Iezîdi locum misit Bagarum quendam, Muslimi[11]) filium, quem cum nondum unum annum hoc munere functus esset, chalifae iussu Ḥasan, filius Kachtabae[12]), subsecutus est. Is ubi magna cum parte exercitus Chorasani in Armeniam pervenit, etiam, si fieri omnino potuit, magis quam ipse Iezîd Armenios vexavit."

1) Engl. hist. Rev. XV p. 732 a. H. 137: Salih, filius ʿAlidis etc.
2) Theoph. p. 430, 7 (a. m. 6248 = 755/56).
3) Vide supra p. 53 sq. 4) Weil II p. 35. 5) P. 431, 3.
6) Theophanes Dzalēh nominat Σαλίμ vel Σαλήμ(g): Quaeritur, num is idem sit, atque Σέλιχος (p. 432, 6) (g habet rursus Σαλήμ) vel Σάλεχ (p. 445, 1). Eundem esse mihi quidem apparere videtur, quod profecto Salih hoc anno 6262 (669/70) mortuus est.
7) Idem narrat Steph. Asoł. p. 98/99.
8) Vide de eo supra p. 52 cap. XXVIII.
9) Ca. 741—764. Cf. Steph. Asoł. p. 76; Ioh. Cath. p. 75; Cirac. p. 36; Sam. Aniens. p. 413: hi omnes 23 annos ei dant. — Wanand est pagus provinciae Ararat. 10) Abdlaj II habet Leontius.
11) Leont.: Mslim. 12) Leont.: Kahathbae.

Ḥasan, filius Kachtabae illius, de quo iam supra[1]) egimus, teste Elia Nisibeno[2]) a. H. 155 (a. D. 771/72) in Armeniam missus est. Hoc si recte se habet, Iezid anno 769/770 loco depositus est, eumque eodem anno secutus est Bagar, de quo alias nihil certi potui invenire, praeter id, quod a St. Martin[3]) adnotatum video, Bekir[4]) quendam Armeniam administrasse annis 769—778, quo demum anno Ḥasan secutus eum sit. Sed Leontius disertis dicit verbis, Bagarum ne unum quidem annum munere functum esse; Elias Nisibenus, iam anno 771/72 Ḥasanum in Armeniam missum esse. De hac re postea videbimus.

Caput XXXIV. p. 137—152 (p. 132—147).

„Artavazdem Dvin in urbe omnibus, quae ad bellum necessariae erant, rebus praeparatis, deinde Kumajr[5]) in vico pagi Širak[6]) quaestore Arabum suppresso eiusque pecuniis ablatis, in Iberiam versus cum tota familia nonnullisque aliis principibus exercitum ubi duxit, Muḥammeda[7]), apud quem Symbatius, filius Ašoti, et alii quidam Armeniae principes erant, persecutus est et ei in pago Iberiae, Samcchē[8]) qui vocatur, partem praedae eripuit, instititque Armeniis, donec finibus Armeniae excesserant. Tum Artavazd in terram Egeracikh[9]) et Iberiam confugit.[10]) Ḥasan hoc audito Armeniam etiam magis vexavit.“

Symbatius, filius Ašoti[11]), post patrem erat Armeniae princeps per annos XXII teste Stephano Asołik[12]) et Samuel Aniensi.[13]) De eo infra accuratius videbimus.

„Mušeł Mamiconius, filius Hrahat principis, consilio cum nonnullis Armeniae aliis principibus deficiendi ab Arabibus inito Ar-

1) Capite XXVII. 2) P. 130. 3) Mém. I p. 417.

4) Eum anno certe 770 osticanum fuisse apparet e nummo in eius nomen facto, qui in Mus. Ac. Petrop. asservatur. Cf. Petermann p. 14.

5) Ignotus. 6) In prov. Ararat.

7) Filius Abrahamae, non al Ash'athi fuisse videtur, qui a. H. 146 (763/64) expeditioni Arabum praefuit teste Al Wadhih (Journ. of hell. Stud. XV p. 733).

8) Pagus provinciae Taikh, in Armenia, quod nomen substituendum est pro Iberia, nam tunc temporis Taikh nondum in Iberum potestate erat.

9) Vide supra cap. VI. Cf. Brosset, Hist. de la Géorg. I p. 18.

10) Weria idem significat atque Wirkh, quo nomine Leont. alias semper utitur. Cf. indicem ed. Arm. Vide Brosset, Hist. de la Géorg. I p. 15 n5. 11) Vide supra p. 46. 12) P. 75. 13) P. 417.

tagers[1]) in locum munitum sese recepit, unde cum 260 militibus[2]) in pagum Bagrevand[1]) incursionem fecit ibique Apumčur[3]), Arabum in Armenia quaestorem, eiusque comites omnes interfecit. Deinde, cum manum hostium ex urbe Erzerum missam — erant 200 milites — in vineto quodam vici Chars[4]) devicisset, Muhammeda, (Mahmet), dux Arabum, Apunčip[3]) quendam cum 4000 equitibus Armenios ulcisci iussit. His tamen apud vicum Bagavan[1]) in pago Bagrevand in fugam versis Mušeł, quem 200 fere milites sequebantur, institit eorumque ducem necavit apud arcem Aruč."[5])

Muhammeda idem esse videtur, atque qui occurrit eodem hoc capite.[6])

„Deinde Armenii omnes defecerunt inflammati a monacho quodam — ne Symbatius quidem, filius Ašoti, qui tunc Armeniae praeerat, ab hac coniuratione abstinuit; numerus erat circiter 5000 — Theodosiopolim per totam hiemem frustra obsederunt. Ašot Bagratunius, filius Isaaci[7]), postquam frustra populares ab incepto retinere conatus est, ipsi, qui defecerant, inter se dissenserunt. Altera pars, Hamazasp Ardzrunius, Wasak, filius Ašoti[8]), principes familiarum Amatuni et Truni, remanserunt in provincia Waspurakan[9]); alii Darivns urbem, alii verticem occupaverunt montis Maku[10]), alii ex angustiis Arageł[11]), ubi sese muniverunt, in regionem vicinam irruptiones factitabant: quod idem fecerunt Arabes in urbe Dvin

1) In pago Aršarunikh in ripa Araxis meridionali in prov. Ararat. Bagrevand in eadem prov. non longe a fontibus Euphratae; Bagavan (vel Bagaran) urbs pagi Bagrevand in ripis fluminis Achurean, quod Araxi immiscetur.

2) Chahnaz. habet 60 secutus variam, sed peiorem, ut videtur, lectionem. 3) Ignotum mihi; nomen corruptum videtur.

4) Adsolet scribi Kars (Inčič. p. 433 sq.) in pago Wanand prov. Ararat, in ripa fluminis eiusdem Achurean.

5) Aruč vicus pagi Aragadzotn prov. Ararat est (Inčič. p. 440).

6) Vide supra p. 58 n[7]. Eius expeditio facta est a. H. 152 (769/70) teste Al Ṭabarî (Journ. of hell. Stud. XV p. 734).

7) Ne confuderis eum cum Ašoto, filio Wasaki, patre Symbatii, de quo modo dictum erat.

8) Erat igitur frater Symbatii, huius temporis praefecti?

9) I. e.: discesserunt ab Erzerum (in provincia Armenia alta) in provinciam Waspurakan.

10) In pago Kogowit prov. Ararat sita est urbs Darivns; Maku est urbs quoque pagi Artaz e recto urbi Nachdžawan ab Ararat in orientem versus Waspurakan provinciae. St. Martin, Mém. I p. 136: Cette ville a une forteresse située dans une gorge au milieu des montagnes.

11) Neque a St. Martin, neque ab Inčič. commemoratae.

collocati, qui vicos Pałuns[1]), Thalin[2]), Kołb[3]), alios devastaverunt.“

„Vere sequenti“, sic pergit Leontius[4]), „ʿAmr cum 30000 militibus, qui in Chorasan collocati fuerant, Bagdad[5]), ex urbe ab ipso Mansûro (Abdla) condita, profectus in Armeniam urbem Chlath occupavit. Armenii, qui adhuc Theodosiopolim obsederunt, non paruerunt consiliis Ašoti, filii Isaaci, qui tunc in urbe Chlath erat, suadentis, ut unum in locum omnes copias contraherent.“

De ʿAmr vide infra ad caput XXXV. — Bagdad a Mansûro condita est: fundamenta prima iacta sunt a. H. 145 (a. D. 762), anno 766 urbs perfecta erat.[6]) — Chlath est urbs pagi Beznuni in litore Wan lacus in provincia Turuberan. —

„Hamazasp quique eum sequebantur ex vico Berkri[7]) in pago Aṙberani — is erat locus, quo omnes convenerant; nuntius, qui Hamazaspo in hoc vico occurrit eumque de adventu copiarum Arabum certiorem fecit, ut proditor interemptus est — adversus vicum magnum Arčēš[6]) profectus est. Sed ibi ab ʿAmr, qui insidias posuerat, devictus est; omnes fere pedites perierunt — erant circiter 1500 — et quattuor principes ceciderunt: tres e familia Truniorum, quartus erat praefectus vici Yurdza.“[8])

„Haec pugna facta est die IV mensis Hrotic hebdomadis die septimo. Arabes fugientes persecuti sunt usque ad vicum Taj[8]), deinde paululum morati per pagum Apahunikh[9]) irruentes vicum Arcni[8]) in pago Bagrevand expugnaverunt.“

„Altera pars[10]) Armeniorum eorum, qui defecerant, postquam Erzerum, quam urbem qui incolebant dedituri sese iam fuerant,

1) Ignotus; Chahnaz. (p. 140) habet nescio qua lectione nisus Petghuns.

2) Pag. Aragadzotn pr. Ararat. Inčič. p. 441. Mkhith. p. 81 ad a. 771 n[1].

3) Kołb est magna arx pagi eiusdem nominis in prov. Taikh, non longe a finibus prov. Ararat.

4) Esse videtur ver, quod secutum est hiemem, per quam Theodosiopolis obsidebatur. 5) Leont.: Bałdad.

6) Weil II p. 76, 77; nota igitur Chahnaz. tertia ad p. 140 perversa est.

7) Urbs antiqua pagi Aṙberani prov. Waspurakan in aquilonem versus a Wan lacu, in orientem ab Arčēš, vico in ripa septentrionali lacus Wan in pago Khadžberunikh sito (his diebus Arčišakowit). St. Martin, Mém. I p. 136.

8) Desunt apud St. Martin et Inčič. De Yurdza conferas Dulaurier p. 360 n[4]. 9) Est pagus provinciae Turuberan. Inčič. p. 128.

10) Vide supra p. 59.

reliquerunt — erant non plus 5000 — per fines Basen[1]) pagique Bagrevand usque ad flumen Aradzani[2]) cum pervenissent, bis cum Arabibus, quorum numerus 30000 erat, conflixerunt. Primum paene cum Arabes iam fudissent, tandem fugere Armenii coacti sunt. Deinde — non iam plus 1000 erant — rursus summa audacia hostes aggressi sunt, neque prius finis pugnae est factus, quam Armenii omnes ad unum pro patria mortui erant: ceciderant fere 3000, in his Symbatius Bagratunius, praefectus Armeniae, Isaac et ipse Bagratunius[3]), Mušeł Mamiconius, Samuēl, senior familiae Mamiconiorum, socer Symbatii[4]), Wahan, cognomine dašnak."[5])

„Haec pugna commissa est XIV Hrotiç die hebdomadis secunda."

Dulaurier[6]) calculo tempus harum duarum pugnarum invenire sibi visus est. Contendit primam pugnam ad Arčēš commissam esse XVIII Apr. die hebdomadis septimo anni 761; alteram in pago Bagrevand XXVII Apr. die Lunae eiusdem anni 761. —

Sed habeo gravissima, quae contra hunc Dulaurieri calculum dicam. Primum exstat in codicibus, non die XIII mensis Hrotiç die hebdomadis secunda[7]), sed die XIV: quod Dulaurier suo ipse arbitrio mutavit in XIII. — Deinde, quod est gravius, hic pugnarum harum annus non congruit cum ordine temporum, quem apud ipsum Leontium invenimus. — Nam vidimus[8]) Ḥasanum, filium Kachtabae, teste Elia Nisibeno anno demum 771/72 in Armeniam missum esse. Eo vero praefectura fungente Armenii defecerunt teste Leontio. Tum supra[9]) apparuit, Ašotum, filium Biurati, fere usque ad annum 749 praefectum Armeniae fuisse; eum secutus est filius eius Symbatius, qui Armeniam administravit annos XXII[10]), cecidit in pugna in pago Bagrevand commissa. Sequitur duabus his rationibus, hanc pugnam factam esse non posse ante annum 771. — Accedit tertium hoc, quod Leontius statim post enarrationem huius defectionis Manṣûrum decessisse dicit. Decessit autem anno 775. Itaque ex ipso Leontio id luce clarius sequitur, ut pugna facta sit inter annos 771 et 775:

1) Pagus prov. Ararat, ab Erzerum in orientem versus non longe a fontibus Araxis, Φασιανή Graecorum.

2) Est Euphrates meridionalis, hodie qui nominatur Mouradtschaï, cuius fontes ex parte exeunt e pago Bagrevand; respondet Arsaniae veterum.

3) Quod omisit Chahnaz. in versione (p. 146; Leont. p. 150).

4) Aner: Chahnaz. nescio quo iure corrigendum esse dicit „affinis" (beau-frère) p. 146 n[1]. Dulaurier vertit: parent du généralissime, p. 246.

5) I. e. pugio. 6) P. 242—248.

7) P. 152 (Leont.), p. 147 (Chahnaz.).

8) Cap. XXXIII, vide supra p. 58. 9) Cap. XXI p. 46.

10) Vide supra p. 58.

tempus accuratius definiri auxilio dierum diligenter annotatorum non poterit.[1])

Nostra sententia aliquantum etiam fulcitur fontibus ceteris, qui has res attingunt: Stephanus Asołik, qui Leontium excerpsit, hanc enarrationem omisit. Iohannes Catholicus eundemque fontem secuti Ciracus, Mkhithar, Samuel Aniensis referunt de hac insurrectione haec:

Iohannes Catholicus[2]) temporibus Sionis patriarchae[3]): Khałin, Aren, Thalna diruta; in hac arce 700 interfecti, 1200 capti sunt.

Ciracus[4]) circa annum 773: Khałin, Mren, Thalin (ubi 700 interfecti, 1200 capti sunt) diruuntur.

Mkhithar[5]) ad annum vel potius post annum 771: Khałina, Thalin, Aren diruuntur; Mušeł, Samuēl, alii tempore Paschae trucidantur.

Samuel Aniensis[6]) ad annum 772: Khałiun, Mren, Thalin in urbibus multi interimuntur, 700 interfecti, 1200 capti sunt. Mušel Mamiconius et Samuēl multis cum aliis tempore Paschae trucidantur.

Vides haec omnia testimonia redire ad eundem fontem, qui certe non liber Leontii, sed fortasse Šapuhi liber deperditus erat. — Illud vero pro certo constat, haec ad eandem, quam narrat Leontius, insurrectionem pertinere: nam primum quadrat tempus optime, deinde omnibus a scriptoribus, qui omnino hanc rem attingunt[7]), Thalin nominatur, ubi 700 interfecti, 1200 capti sunt: occurrit eadem Thalin apud Leontium[8]); reliquae duae urbes non congruunt — ne apud eos quidem, qui illo uno fonte usi sunt —; opinor Pałuns illum vicum fortasse corruptum esse aliquo modo ex Khałin vel Khałiun, praesertim cum vicus nomine hoc Pałuns ignotus sit.[9])

Apparet igitur ex hac disputatione, has duas pugnas apud Arčēš et in pago Bagrevand, non, ut voluit Dulaurier, cui assensus est, quamquam non libenter, Brosset[10]), anno 761, sed decem fere annis post ca. 772 tempore Paschae — hac in re omnes scriptores congruunt inter se — commissas esse.[11])

1) Per se Dulaurieri calculus recte se habet; putandum igitur est, lectionem codicum esse corruptam: certe corruptus est numerus vel IV vel XIV. 2) P. 95. 3) Ca. 767—775. 4) P. 37.
5) P. 81. 6) P. 417.
7) Vardan, qui et ipse de hac re agit, mihi non praesto erat.
8) Vide supra p. 60. 9) Vide supra p. 60 n[1].
10) Sam. Aniens. p. 416 n[5]. 11) Vide etiam cap. sequens XXXV.

Caput XXXV. p. 152, 153 (p. 147/48).

„His rebus factis Arabes pagum Bagrevand pagosque finitimos devastaverunt, ecclesias incenderunt, vasa sacra rapuerunt, locos munitos ceperunt praesidiis eorum Armeniacis permittentes, ut libere exirent. — 'Amr in Persidem cum pervenisset, atrocissimo morbo confectus est."

Id ex nostra computatione factum est circa annum 773 vel 774. Ad totam hanc rem spectat, quod tradit Baladhuri[1]): „(Iesîdum Ibn Useid) secutus est Ḥasan Ibn Kachtaba, quo regnante Armenii Muschasilo[2]) duce insurrexerunt. Manṣûr Amir Ibn Ismail misit, qui seditionem oppressit, Muschasilum interfecit."

Caput XXXVI. p. 153, 154 (p. 148, 149).

„Illo tempore[3]) Ḥasanum secutus est iterum ille Iezîd.[4]) Eodem anno mortuus est Manṣûr (Abdla), vir summae avaritiae atque crudelitatis."

Manṣûr mortuus est die VII m. oct. anni 775: itaque Ḥasan Armeniam administraverat per annos 771—775. Anno 778 certe non iam in Armenia erat, nam tum in Romaniam invasit teste Elia Nisibeno.[5])

De Manṣûri avaritia vide supra caput XXVIII p. 52 n[3]. Conferas Elmacinum quoque p. 104: „Ceterum summe avarus, unde Obolarii cognomen accepit"; et „terribilis, sola suspicione prehendens et cum aviditate quadam interficiens". — Bene cum Leontii descriptione Armeniae tributis exhaustae congruit Bar-Hebraeus[6]) „. . . homines nummis carebant" etc.

Caput XXXVII. p. 154—156 (p. 149—150).

„Muḥammed El Mahdî[7]) (Mahmet Mahadi), filius eius, vir satis magnae liberalitatis, Manṣûro successit.[8]) Tum in Armenia metalla argentea inventa sunt.[9])

1) Weil III appendix I p. V.
2) Idem scilicet atque Mušeł. 3) A. 775.
4) Iam antea praefectus fuerat ca. 750—770. Vide supra p. 52 et 58.
5) P. 131 a. H. 162 (778/79).
6) P. 132, cf. Sam. Aniens. p. 417 ad a. 773.
7) 7. Oct. 775—4. Aug. 785.
8) Cum hac morum enarratione congruit prorsus Weil II p. 95 et Bar-Hebr. p. 133.
9) Notum est, Armeniam abundare metallis, etiam argenteis.

„Dum Al Mahdî Muhammed Ibn Mansûr — id est eius nomen plenum — ʿAbbâs duce, filio chalifae[1]), parat expeditionem contra Romanos[2]), Leo exercitum, cui praeerant tres duces[3]), Tačat e familia Ancevaç, Artavazd Mamiconius, uterque genere Armenio, tertius erat Graecus[4]), contra Arabes misit: Graeci a provinciis Cilicia[5]) et Syria (Bišam[6]) vel Basanastan) et quae his sunt finitimae circiter 150000 hominum in servitutem abduxerunt: reversi deinde reliquam anni partem quieti sese dederunt." Sic Leontius.

Leontius res, quae in complures annos distribuendae sunt, in unum contraxit: nam prima ʿAbbâsi irruptio a victoria hac Graecorum distat annis tribus.

ʿAbbâs primo El Mahdî anno (7. Oct. 775/6) in Romaniam irrupit.[7])

Expeditionis quoque anni sequentis Leontius nullam mentionem facit. Dux erat Thoumamas (Ibn Welid).[8])

Tertio demum anno Leo magnum exercitum[9]) misit, qui Germanicia frustra obsessa ex Syria multos captivos abegit.[10])

Caput XXXVIII. p. 156—158 (p. 150—152).

„Anno sequenti (778/79; 162) litteris inter El-Mahdî (Mahmet) et Leontem mutatis[11]) is omnes, qui ruri habitabant, in locos munitos

1) Id falsum: nam non filius, sed patruus erat chalifae ʿAbbâs Ibn Muhammed Ibn ʿAlî, Weil II p. 97.

2) Recte Leont. dicit, eodem quo Mansûrum Constantinum quoque anno mortuum secutumque esse Leontem (775—780). Const. mortuus est 14. Sept. 775: 6267 (774) ind. 14. (775): quod recte (Theoph. p. 448, 18). Eius mortem cum Mansûri Theophanes quoque componit; neque tamen recte eodem mense ambos decessisse contendit.

3) Theoph. nominat quinque p. 451, 14.

4) Theoph. teste (ibid.): Michael Lachanodrakon.

5) Leont.: Kilikeçikh.

6) Šam illud, quod Ioh. Cathol. p. 87 pro Syria usurpat, sine dubio cum Bišam Leontii arte cohaeret.

7) Theoph. (p. 449, 9), a. m. 6269 = 676/77. Weil II p. 97 et h. p. n[1]. *Κάσιν* antrum ab Arabibus Metmurah nominatur, non longe ab Ancyra, urbe quadam, itinere VII dierum ab Amuria quae abest. (Weil l. a. et II p. 312 n[2]. *Ἀβασβαλί* i. e. ʿAbbâs (excidit non recte Ibn Muhammedae) Ibn ʿAlî. Arabes testes sunt etiam Ancyrae huius ab ʿAbbâso captae.

8) Theoph. p. 451, 4; Ibn Wadhih et Al Tabarî a. H. 160 in Engl. hist. Rev. XV p. 735. 9) *χιλιάδας ρ'* Theoph. p. 451, 13.

10) Theoph. p. 451, 21. *Ἰσβααλί* est nomen corruptum pro ʿÎsâ Ibn ʿAlî, patruus magnus chalifae. Cf. Theoph. (p. 451, 11) a. m. 6270 a. D. 777/78, a. H. 161. Ibn Wadhih et Al Tabarî in Engl. hist. Rev. XV ibid.

11) De hoc litterarum commercio tacent, ut videtur, ceteri fontes omnes.

sese recipere iussit[1]), ille magno cum exercitu ʿAbbâsum[2]) eundem misit, qui cum in Galatiam[3]) venisset, tres per menses obsedit Amuria[4]) munita muris firmis et aqua fluminis palustris, quod ibi fontes habet, Sagaris; deinde infecta re rediit, postquam Iezîd, praefectus Armeniae, frustra ʿAbbâso duci subvenire conatus est: is enim in Pontum profectus Kołoniam urbem munitissimam, Gowatha, Kastiłon, pagum Marithenēs adortus est, neque tamen quidquam proficere cum potuisset, abiit rursus.“

Colonia postea thema proprium factum est. De Gowatha, Kastiłon, pago Marithenēs nihil compertum habeo.

De hac Iezîdi expeditione ceteri fontes nihil memoriae tradiderunt praeter Al Ṭabarî, qui tamen contra contendit a. H. 162: Iezîd, tribus locis munitis captis (intellegendi sunt sine dubio Colonia, Gowatha, Kastiłon) cum aliquot captivis rediit. Utrum testimonium sit praeferendum, vix poterit diiudicari. Cf. Engl. hist. Rev. XV p. 736.

Caput XXXIX. p. 158—161 (p. 152—155).

„Anno El Mahdî (Mahmet) septimo[5]) Leone mortuo Constantinus regnare coepit, admodum adulescens.[6]) Hoc audito El Mahdî exercitum duce Hârûno[7]) (Aharon), filio chalifae, misit, qui tamen a Graecis, qui omnia itinera intercluserant, vehementissime vexabatur. Sed Arabes liberati sunt a Tačat[8]), qui deinde ab El Mahdî Hârûni

1) Idem habet Theoph. p. 452, 9.

2) Errat Leontius; erat Ḥasan Ibn Kachtaba. Theoph. p. 452, 5 *Ἄσαν*. Idem Elias Nisib. p. 131 a. H. 162. Numerus Arabum 80000 fuisse dicitur. Weil II p. 98 sq. cf. Engl. hist. Rev. XV p. 735 n[64].

3) Leont.: Gałatacikh.

4) Erat potius Dorylaeum (Arab. Edrulia) in ripa dextra Sangarii: Ḥasan hoc (Theoph. p. 452, 13) XV dies, deinde in receptu Amorium I diem frustra obsedit.

5) Recte sexto, nam mortuus est Leo 780.

6) Est Constantinus VI, 780—797; natus est anno 771, mens. Ian. die XIV. Theoph. p. 445, 12: erat igitur tum puer decem fere annorum.

7) Est intellegendus sine dubio Hârûn Er-Raschíd, idem qui postea (15. Sept. 786—23. Mart. 809) chalifa erat. Chahnaz. nescio qua causa hoc dubitat p. 152 n[2].

8) Vide supra caput XXXVII p. 64. De eo habet Theoph. p. 456, 11: *Προσέφυγε δὲ αὐτοῖς Τατζάτιος, ὁ τῶν Βουκελλαρίων* (est Asiae thema quoddam) *στρατηγός, μίσει τῷ πρὸς Σταυράκιον .... καὶ δοὺς αὐτοῖς βουλὴν ᾐτήσαντο εἰρήνην*. Ex scriptoribus Arabicis (cf. Weil II p. 100 et h. p. n[2]) apparet, copias Tačati — Arabes eum nominant Tassitam; Al Ṭabarî Tazadh (a. 164) Engl. hist. Rev. XV p. 737 — pecuniis corruptas

precibus Armeniae praefectus est, Armeniorum principibus patriae proditorem sibi praefici valde dolentibus. Etiam 'Otmân[1]), praefectus Armeniae, eum omni modo retinere studuit, donec ab El Mahdî iussus est, Tačat ut praefectura fungeretur permittere."

„Deinde media aestate hic 'Otmân — secuti eum sunt Tačat, Bagarat, Nersēh Camsarakanius, alii Armeniorum principes — contra Derbend (Darband) profectus in planitie saxosa Cheran castra posuit.[2]) Tačat, Bagarat, alii tanto aestatis calore non assuefacti mortui sunt. El Mahdî (Mahmet) hoc audito postquam 'Otmâni loco Roh quendam in Armeniam misit, mortuus est post regnum annorum VIII."[3])

Igitur Iezîdum, qui anno 778/79 adhuc Armeniae praefuerat[4]), secutus erat inter 780 et 785 'Otmân Ibn Welîd, cuius loco anno 785 Ruh Ibn Hatim missus est.[5])

Rursus a Leontio duae expeditiones in unam contrahuntur: Anno enim 780/81, a. m. 6273, indictione IV[6]) a. H. 164 'Abd el Kebir (i. e. *Κεβήρ* Theophanis) haud prospere pugnavit cum Romanis.[7])

ad Arabes transfugisse. — Leontius de Tačato — atque eius testimonio summa fides danda est — narrat fere haec: „Emigraverat ex Arabia in fines Graecos; benigne a Constantino (V 741—775) exceptus fortiter in Bulgaros (Sarmataçikh vel Bulîarkh vel Bulkarkh) postquam pugnavit — de hac re Theophanes tacet, quamquam saepissime verba facit de bellis contra Bulgaros continuis — exercitui Graeco 60 000 militum praepositus est. — num cogitandum est de themate *Βουκελλαρίων*? — Per annos XXII imperatoribus Constantino V, Leoni IV, Constantino VI officia praestiterat — i. e. 758—780 —, cum Irena, mater regia, palam eum circumvenire coepit. Itaque rursus ad Arabes aufugit, quorum exercitum a Graecis interclusum tunc servavit." Cf. Lebeau XII p. 311 n[5], p. 325 n[2], p. 328: unde haustum sit, eum fidem Muhammedanorum amplexum esse, nescio.

1) Fortasse idem, quem Theoph. appellat: *Θουμάμας, ὁ τοῦ Βάκα* (g: *Οὐτθμᾶς* A: Ithamas), Thumama Ibn Welîd (Weil II p. 98 n[1]).

2) De hac re Leont., ut videtur, solus tradit. Cheran planities ubi sita sit, ignoro. Fortasse ad idem spectat, quod Ibn Wadhih (Engl. hist. Rev. XV p. 739) a. H. 166 (782/3) adnotat: Thumama, filius Al Welîd, expeditionem facit. Id eo magis arridet, hanc expeditionem contra Turcos factam esse, quod Al Ṭabarî (l. a.) propter pacem hoc anno expeditionem factam esse in Romaniam negat.

3) Recte X: 9. Oct. 775 — 4. Aug. 785. Roh fortasse idem est atque Ruh Ibn Hatim, praefectus Cufae. Weil II p. 111.

4) Vide supra p. 65. 5) Cf. infra p. 68.

6) Indictionis annus cum anno mundi congruit hoc loco. Theoph. p. 454, 8.

7) Theoph. p. 455, 5—8; Weil II p. 99 et h. p. n[2]; idem Elias Nisib. p. 131 a. H. 164. Cf. contra Ibn Wadhih a. H. 164 (Engl. hist. Rev. XV p. 737).

Deinde anno sequenti 781/82 Rabia Ibn Iunus[1]) comitatus ab Hârûno, quem Theophanes aeque atque Leontius falso ducem summum faciunt — teste Weilio, sed et Al Ṭabarî et Kitab Al 'Uyun stant a Leontio Theophaneque[2]) —, Graecos vicit quidem, deinde vero summum in periculum deductus non nisi Tačati proditione ab interitu servatur: pacem trium annorum, quae tum facta est, Leontius silentio praetermittit.[3])

Caput XL. p. 161—166 (p. 156—160).

„Abû Muḥammed Mûsâ Alhadi (Musē ap. Leont.)[4]), filius El Mahdi, qui unum tantum per annum regnavit, erat tanta crudelitate[5]), ut sui exercendi causa in homines tela mitteret. Is paulo postquam ad regnum pervenerat, loco Ruh Chazm[6]) quendam in Armeniam misit, qui Dvin in urbe duos principes Ardzrunios, Hamazasp et Isaacum[7]), postquam tres per annos in vinculis capti fuerunt, crudelissime trucidavit."

„Hoc factum est Mûsâ regnante praefecto Chazm tempore (iavurs p. 165) Epiphaniae aera Armeniorum 233: idem accidit principi adulescentulo Iberum.[8]) Anno post mortuus est Mûsâ."

Annus 233 respondet anno 14. Mai 784—13. Mai 785. Martyrium Hamazaspi et Isaaci ponendum igitur est inter 6.—12. Ian. 785.[9])

Sic recte se habere statuit Dulaurier p. 251. Sed illi ponendum tum erat, primum Leontium errasse in chalifa: Mûsâ enim non ante 4. Aug. 785 regnum adeptus est, deinde in anno, quo Chazm in Armeniam venit.

1) I. e. *Βούνουσος* = Ibn vel Bun Iunus Theophanis p. 456, 5. Weil II p. 100 n[1]. *Βουρνιχέ* = Al Barmaki (p. 456, 7) respondet Jachja „Barmakidae". Weil. ibid. 2) Engl. hist. Rev. XV p. 737 sqq.

3) Cf. de hac expeditione Theoph. p. 456, 2 a. m. 6274 a. D. 781/82; Bar-Hebr. p. 135 a. Gr. 1094 i. e. 783; Eliam Nisib. p. 131 a. H. 165 a. D. 781/82; Weil II p. 100 sq.

4) 4. Aug. 785—15. Sept. 786 ann. I dies 52.

5) Contra Weil II p. 118 mores eius bonos laudat.

6) Vocabulum Armeniacum, quod bellum, discordiam significat. Quis fuerit, eruere non potui: cogitari potest de Chazim Ibn Chuzeima. Weil II p. 158 n[1].

7) Tertius et ipse Ardzrunius, nomine Mehružan, supplicium effugit fidem Muḥammedanorum amplexus.

8) Nomen huius principis ignotum manebit; Brosset opinatur, esse regem Iberum nomine Artchil. Hist. de la Géorg. pars I add. p. 136 n[2].

9) Non recte vertit Chahnaz. die Epiphaniae p. 159 et h. p. n[3].

Ego rem melius sic posse explicari puto: erravit Leontius in anno — aut potius ne erravit quidem, sed lapsu calami numerus corruptus est; habet enim Stephanus Asołik, qui totus pendet a Leontio[1]), recte annum 234. Itaque malim martyrium ponere Ian. 786. Quod Leontius dicit Mûsâm anno post mortuum esse, non tanti momenti est.

Deinde aut putandum est Leontium errasse in eo, quod dicit disertis verbis Mûsâm misisse Chazm, aut, quod magis mihi arridet, eum ad rem tantum magis illustrandam tempore neglecto ultro captivitatem trium annorum finxisse.

Tum omnia perbene quadrant: Ruh[2]) per breve tantum spatium munere functus cum esset, eum secutus est Chazm, qui et ipse summum unum annum Armeniae praefectus erat, ut apparebit e capite sequenti.

Caput XLI. p. 166—167 (p. 160—161).

„Secutus est Hârûn Er-Raschîd (Aharon)[3]), filius El Mahdî, (Mahmet), frater Mûsae, vir crudelissimus. Is fratrem Owbedla[4]), ut belli, quod inter ambos intercesserat, finem faceret, praefectum fecit provinciarum Atrpatakan et Armeniae una cum Iberia Albaniaque (Ałuanckh). Owbedla in Armeniam misit deinceps Iezîdum, filium Muzîdi (Mzdē), ʻAbd el Kebir (Abdalkhbir), Suleimân (Soliman), virum sceleratissimum, quem ipse Partave in urbe (capite provinciae Uti) praefectura exstruxit. Suleimân in Dvin urbem Ibndokē quendam misit, qui — precibus omnium principum, ne Esaiae (Esajias) quidem catholici quidquam cessit — terram inauditis antea tributis in praeceps paene dedit. Unumquemque incolarum notam plumbeam in collo portare coegit, quae maximo pretio stetit.“[5])

Owbedla est scriptura corrupta pro Fadl Ibn Jachja, collactaneo, non fratre chalifae, qui anno 176 (792) praefectus Armeniae, Adherbeidschân (Atrpatakan), Mediae et provinciarum Caspiarum nominatus est ab Hârûno.[6]) Sed facile fieri potest, ut iam antea patris Jachjae loco his muneribus fungeretur.[7]) Illud falsum est, bellum exortum esse inter Hârûnum et Fadl. — De Alfadl Ibn Rabia[8]) vix cogitari poterit. —

1) P. 99. 2) Vide supra p. 66.
3) 15. Sept. 786—23. Mart. 809.
4) Steph. Asoł. p. 99 habet Awbethla; pro Ibndokē: Ibn Dôlk; addit, nescio unde hauriens, eum Romanum fuisse. 5) Vide supra p. 52.
6) A. Müller I p. 480. 7) Weil II p. 135. 8) Weil II p. 136.

Iezîd Ibn Muzid idem est, quem Weil compluribus locis commemorat: is circa 800 a Chazaris devictus est.[1])

'Abd el Kebir fortasse idem atque qui occurrit capite XXXIX.[2])

Suleimân: videtur esse Suleimân Ibn 'Abd Allah, qui anno 170 (786/87) contra Graecos profectus est.[3])

Ibndokē: cf. Ciracum p. 39: Ibn Docl ecclesias spoliavit; et Samuēl Aniensem p. 419: Ibn Docl spoliat ecclesiam urbis Dvin.

Esaia erat catholicus per XIII annos 775—788.

Recte Leontius Hârûnum crudelissimum hominem nominat.[4]) Conferas Theophanem[5]): *Ὃς* (sc. *Ἀαρών*) *καὶ πολλὰ κακὰ τοῖς Χριστιανοῖς ἐνεδείξατο.*

Caput XLII.[6]) p. 168—170 (p. 161—163).

„Anno sequenti (788) Owbedla in Armeniam cum venisset, Armenios adeo vexavit, ut permulti emigrarent in diversas terras. Plus 12000 in fines regni Graeci aufugerunt duce Šapuh Amatunio, Haman, eius filio, aliis principibus. Arabes eos aggressi in pago Koł[7]) in finibus Iberiae victi sunt. Armenii deinde Akamsi (vel Akamphsi)[8]) flumine traiecto, cuius fontes sunt in provincia Tajkh quodque per Eger fluens mari Pontico (Pontosi) immiscetur[9]), a Constantino benigne excepti sunt. Armenii, qui remanserant in patria, exemplum Gabawnacikh (= *Γαβαωνῖται*: cf. l. Iosue cap. IX) secuti in servitutem miserrimam redacti sunt."

De hac pugna apud Koł(b) facta atque Armeniorum emigratione alias nihil inveni.

„Ibndokē ille Esaia mortuo (788) omnes res pretiosas ecclesiae[10]) conferri iussit iisque, quae ei placuerunt, electis, reliquas

1) Weil II p. 158 n[1]. 2) Vide supra p. 66.

3) Weil II p. 156; eum a. H. 170 (786/7) aestate expeditionem fecisse Al Ṭabarî testis est (Engl. hist. Rev. XV p. 740). Eam factam esse in Armeniam eo veri est similius, quod Ibn Al Athir hoc anno 170 Hârûnum ipsum expeditioni (sc. in Romaniam) praefuisse contendit (l. a. n[105]).

4) Cf. Weil II p. 127 sqq.: ibi mores eius depravati describuntur.

5) P. 461, 10. 6) Idem habet Steph. Asoł. p. 99, 100.

7) Fortasse scribendum est Kołb pagus prov. Taikh; de Colonia (vide supra p. 65) cogitari non potest, nam haec urbs longe ab ripa Acampsis sinistra in occidentem versus sita est.

8) Est Acampsis Graecorum, ab Armeniis adsolet nominari Čoroch.

9) Recte alveus fluminis descriptus est.

10) Urbis Dvin scilicet, ubi degit Ibndokē.

custodi templi tradidit, donec Stephanus[1]) dignitatem catholici pecuniis magnis redemit atque in bona ecclesiae recuperanda omnes suas fortunas impendit."

Idem narrant Ciracus p. 39 et Samuel Aniensis p. 419; conferas etiam cap. XLI.

Hoc anno 788 liber Leontii finitur. Librarius addidit[2]): Scripsit hunc Leontii librum Šapuh Bagratunio[3]) iubente compositum Sargis sumptibus atque iussu Hamazaspi Mamiconii.

1) 788—790. 2) Id plerumque fieri adsolet Chahnaz. p. 164 n[1].
3) Fortasse hac ex re potest declarari, cur Leontius libro suo familiae Bagratuniorum adeo faveat.



DE VARRONIS ET VERRII FONTIBVS QVAESTIONES SELECTAE

SCRIPSIT

ROBERTVS KRIEGSHAMMER

Praemonita.

Infelici quodam casu accidit, ut cum Graecorum tum Romanorum grammaticae primordia magna obscuritate involuta sint. Etenim ut omittamus Graecos, de primis Romanorum grammaticis, de Aelio Stilone, Terentio Varrone, Verrio Flacco, perpauca novimus, quae ex libris grammaticorum inferioris potissimum aetatis viri docti eruerunt. Atque L. Aelii Stilonis Praeconini, „hominis" ut ait Varro de lingua latina VII, 2 „in primo in litteris Latinis exercitati", ne de titulis quidem librorum consentimus (cf. F. Mentz „De L. Aelio Stilone" comment. Ienens. vol. IV p. 17 ss. ed. Lipsiae 1890, qui de Aelio Stilone omnia in unum contulit et fragmenta Aeliana dissertationi addidit p. 27 ss.). Ipsius M. Terentii Varronis Reatini, Stilonis discipuli, libri XXV de lingua latina incolumes ad nos non pervenerunt: nam libri I usque ad IV et XI ad XXV perierunt, quorum fragmenta A. Wilmanns libello, quem „de M. Terenti Varronis libris grammaticis" inscripsit, collegit. Ex illis sex libris servatis progressus et incrementa grammaticae Latinae per multa decennia solis cognoscimus. Easdem ex parte res, quas Varro libris suis de re grammatica scriptis explicuerat, sub exitum divi Augusti Verrius Flaccus secundum litterarum ordinem singulis articulis discriptas vasto suo thesauro tractavit, quem ad nos integrum non pervenisse antiquitatum studiosi semper lugebunt. Quas Verrii copias exeunte secundo p. Chr. n. saeculo Sextus Pompeius Festus diligentissime in XX libros contraxit, qui aliqua ex parte a media littera M usque ad mediam litteram V extant, etsi margine codicis Farnesiani combusto etiam in his litteris permulta sunt mutilata. Ut Festus sua e Verrio Flacco, ita IX saeculo e Festo excerpsit Paulus Diaconus, cuius epitome usque ad nostram aetatem mansit, sed excerpsit ita, ut ipsorum auctorum et nomina et testimonia saepissime omitteret.

Ex magno numero quaestionum, quae ad hos quos dixi scriptores pertinent, mihi proposui tractare illam, quae est de ratione qua Aelius Stilo, Varro, Verrius Flaccus inter se cohaereant. Qua in quaestione mihi magno auxilio fuisse librum egregium Reitzensteinii, quo quaestiones Verrianas doctissime tractavit, vix est quod diserte moneam (Verrianische Forschungen, Breslauer Philologische Abhandlungen I. 1887).

Cap. I. De locis Stilonis Varronisque sub ipsorum nominibus a Verrio Flacco commemoratis.

Varro d. l. l. Aelium Stilonem libri titulo non adscripto septem locis affert (V, 18. 21. 25. 66. 101. VI, 7. 59); uno autem loco (VII, 2) Stilonis interpretationem carminum Saliorum commemorat. Quibus locis collatis Varronem in libris de lingua latina scriptis Aelio Stilone ipso usum esse probabilis est coniectura.

Idem num de Festo iudicandum sit quaerentibus magnae oriuntur difficultates, cum Festus et Aelium Stilonem et Aelium Gallum, nonnunquam solum Aelium attulerit. His 'Aelianis' in articulis disceptandum est, utri locum tribuamus, quia Verrium praeter Aelium Gallum et Aelium Stilonem tertio Aelio auctore usum cognomen illius consulto omisisse, ut Aelios distingueret, probabile non est. Hanc de Aeliis internoscendis quaestionem, ut alios omittam, iam tractaverunt R. Schoell („Legis duodecim tabularum reliquiae" 1866 p. 26 ss.) et Reitzenstein (l. c. p. 88 ss.).

Aelii Stilonis XVI locis mentionem facit Festus, bis diligenter verbis *in carminibus Saliaribus* sive *in carmine Saliari* (s. v. *Manuos* p. 146 b 20 et *Pescia* p. 210 b 5) additis, semel *in XII significare ait* s. v. *Sonticum* p. 290 b 24. Novem locis solum Aelii Stilonis nomen affertur: s. v. *Manias* p. 129 a 26, *Monstrum* p. 138 b 18, *Nebulo* p. 165 a 31, *Naucum* p. 166 b 6, *Nusciciosum* p. 173 a 21, *Ordinarium* p. 182 b 32, *Petauristas* p. 206 b 26, *Portisculus* p. 234 b 4, *Victimam* p. 371 b 6. Coniunctum cum Cloatio Aelium Stilonem bis afferri videmus s. v. *Obstitum* p. 193 a 4 et *Subuculam* p. 309 a 25, semel cum Cincio s. v. *Salias* p. 329 a 18, semel cum Aurelio Opilio s. v. *Tanne* p. 359 a 26. Quae ad lemmata accedit articulus s. v. *Tongere* p. 356 a 9, cuius verba mutila quidem sunt, sed extare vidi in Farnesiani codicis apographo litteras *lo ait*, quas supplendas esse *Aelius Stilo ait* iam veteres Verrii editores intellexerunt.

Aelium Gallum XVIII locis nominat Festus, ipso titulo *in libro I significationum quae ad ius pertinent* semel s. v. *Postliminium* p. 218 b 19 addito, *libro II significationum quae ad ius pertinent* verbis tribus articulis adscriptis *Reus* p. 273 a 13, quo

loco etiam Ateius Capito commemoratur, *Saltum* p. 302 b 20, *Torrens* p. 352 b 27. Uno loco s. v. *Municeps* p. 142 b 6 cum Servio filio Aelius Gallus coniungitur. Praeterea Aelii Galli nomen in his XIII glossis affertur: s. v. *Necessari* p. 162 b 9, *Nexum* p. 165 a 20, *Petrarum* p. 206 b 12, *Perfugam* p. 214 b 14, *Possessio* p. 233 a 1, *Rogatio* p. 266 b 2, *Reciperatio* p. 274 b 21, *Remancipatum* p. 277 a 12, *Relegati* p. 278 b 6, *Religiosus* p. 278 b 10, *Sobrinus* p. 297 a 6, *Sacer mons* p. 318 b 20, *Senatusdecretum* p. 339 a 20. Ad hoc in glossis mutilis s. v. *Orba* p. 182 a 1 litteras *allus Aelius,* s. v. *Sepulchrum* p. 339 b 29 *Gallus Ael,* s. v. *Stirpem* p. 313 b 21 *quam Gall* . . . . . *finit* legimus, quae vestigia Aelii Galli esse nemo non fatebitur.

Nunc glossemata tractemus, quae habent solum Aelii nomen. Tribus in articulis post Aelii nomen codex igne mutilatus est, s. v. *[Novalem a]grum* p. 174 a 16, *Puticulos* p. 217 b 8, *Sanctum* p. 317 b 22. Glossam s. v. *Puticulos* traditam Aelii Stilonis esse testatur Varro d. l. l. V, 25; glossam *Novalem agrum* verbis quae extant in codice *aiunt* et *incius,* quod Cincius significat, Stilonis nomen attulisse verisimillimum est, quia Cincius et Aelius Stilo s. v. *Salias* p. 329 a 18 nominantur; item articulus *Sanctum,* ubi et *Sanctum Aelius* reliquamque litteram S, ut affirmavit Reitzenstein l. c. p. 89, scripta videmus et in verbis praecedentibus litterae *lius* supplendae sunt *Aurelius Opilius,* qui etiam s. v. *Tanne* p. 359 a 26 cum Aelio Stilone nominatur, ad Aelium Stilonem referendus est. Quod glossema Odofredus Mueller confisus glossa *Religiosus* p. 278 b 10 Aelio Gallo vindicavit, sed perperam iudicavit, quod Aurelio Opilio addito semper Aelium Stilonem, non Aelium Gallum esse nominatum veri est simile. Praeterea Aelii mentionem facit Festus septem vel octo locis: nam in articulo *Vacerram* p. 375 a 3 Muelleri et Thewrewkii editiones inter se discrepant. Mueller enim scripsit *Vacerram Aelius et alii complures,* Thewrewkius autem lacunam esse post verbum *vacerram* ratus *Vacerram* . . . . *et alii complures.* Sed cum hanc discrepantiam explicare non possim, glossam *Vacerram* praetermittendam esse arbitror. In glossa *Molucrum* p. 141 a 20 extant verba *Aelius in explanatione carminum Saliarium* et nominantur Cloatius et Aurelius Opilius; in lemmate *Nuptias* p. 170 b 24 Santra, Cornificius, Curiatius, Aelius et Cincius, in glossa *Refriva faba* p. 277 a 17 Cincius, Aelius, in glossa *Vapula Papiria* p. 372 b 22 praeter Sinnium Capitonem Aelius et Varro commemorantur, quae omnia Aelii Stilonis esse puto. Glossema quoque *Transque dato* p. 352 a 5 habet verba *Aelius in XII signi,*

quae similia sunt glossae *Sonticum* p. 290 b 24, ubi legimus: *Sonticum morbum in XII significare ait Aelius Stilo.* Quo fit, ut articulum *Transque dato* Aelio Stiloni vindicem. Unam glossam *Tumulum Aelius sic definit* p. 355 b 27 Aelio Gallo ascribo, quod verbis „sic definit" Festum solis in tribus glossis Aelii Galli propriis (s. v. *Saltum* p. 302 b 20, *Stirpem* p. 313 b 21, *Possessio* p. 233 a 1) usum esse Reitzenstein primus l. c. p. 84 animum advertit.

In Pauli Diaconi epitoma neque Aelius Gallus neque Aelius Stilo ullo loco commemorantur, cognomine autem omisso Aelius quattuor locis s. v. *Dalivum* p. 68, 1, *Minam* p. 122, 8, *Militem* p. 122, 15, *Procestria* p. 225, 12, quae lemmata ad Aelium Stilonem referenda esse persuasum habeo, cum s. v. *Dalivum* Aurelius et Santra coniuncti sint cum Aelio, s. v. *Procestria* Aelius cum Artorio afferatur, s. v. *Militem* ratio *κατὰ ἀντίφρασιν*, per contrarium, adhibeatur, quae in Aelii Stilonis fragmentis saepius adhibita invenitur, *Minam* glossa, qua fortasse Bacchidum Plautinae fabulae versus 1129 explanatur, potius ad Aelium Stilonem quam ad Aelium Gallum pertinere videatur. Quibus locis adscitis Verrium Aelio Stilone ipso fonte usum esse nulla ratione negare possumus.

His verbis de Aelio Stilone factis ad Terentium Varronem a Festo permultis locis commemoratum nunc transeamus. Ex sescentis libris eius viri, quo nemo tum erat copiosiore ingenio, apud Festum afferuntur bis 'Antiquitates' s. v. *Raudusculana* p. 274 a 2 his verbis *[ut Varro ait in libris Antiqui]tatum* et s. v. *Murrata potione* p. 158 b 22 *ut ait Varro in antiquitatum libro I.* Earundem Antiquitatum pars prior, qua egit Varro de antiquitatibus rerum humanarum, quater affertur s. v. *Pro censu classis iuniorum* p. 246 b 30 *ut ait M. Varro in l. VI rerum humanarum,* s. v. *Praerogativae centuriae* p. 249 a 7 *ut docet Varro rerum humanarum l. VI,* s. v. *Suffragato[res]* p. 347 b 28 *Varro in libro VII humanarum,* s. v. *Septimontio* p. 348 b 24 *ut ait Varro rerum humanarum l. VIII.* Praeter Antiquitates, illud amplissimum XLI librorum opus, Festus adfert bis 'Epistolicas quaestiones' s. v. *Multam* p. 142 b 21 et *Sinistrae aves* p. 339 a 1; nam Epistolicas quaestiones, non Quaestiones epistolicas libri titulum fuisse Eduardus Norden („de Stilone Cosconio Varrone grammaticis commentatio" Gryphiswaldiae 1895 p. 4, adn. 1) probabile reddidit. Ad hoc locis decem solius Varronis nominis, libri inscriptione non addita, mentionem facit Festus s. v. *Opima* p. 186 b 21, *Tuscum* p. 355 b 11 (hac utraque in glossa extant verba M. Varro), *Ruminalem* p. 270 a 21, *Sus Minervam*

p. 310 b 18, *Sabini* p. 343 b 32, *Tauri ludi* p. 351 b 15, *Talassionem* p. 351 b 27, *Vapula Papiria* p. 372 b 22, *Porcas* p. 238 b 7, *Religionis* p. 285 a 34. Tribus locis Odofredus Mueller Varronis nomen supplevit s. v. *Romuliam* p. 270 a 1, *Saperda* p. 325 b 7, *Puteum* p. 217 b 7, qui articuli minoris sunt momenti. — Paulus Diaconus bis Varronem nominat s. v. *Cuppes* p. 48, 15, *Erebum* p. 83, 3 titulo libri nusquam adscripto.

Omnibus ex his articulis, in quibus Varro a Festo et Paulo Diacono commemoratur, Verrium Varrone fonte usum esse ut intellegimus ita Varronis libros grammaticos d. l. l. ne uno quidem verbo commemoratos esse miramur. Operae igitur pretium esse puto id quomodo explicandum sit persequi eumque, si fieri potest, nodum expedire.

Cap. II. De Stilonis fragmentis Varronianis Verrianisque inter se comparatis.

Totius quaestionis fundamenta sunto Aelii Stilonis fragmenta, octo, quibus Varro cum Verrio Flacco comparari potest. Sunt autem verba *Puticuli, Dius Fidius, Nuptiae, Latro, Septentriones, Intempesta nox, Novalis ager, Miles.*

1. Varro d. l. l. V, 25 *Putei, Puteolorum, Puticulorum* etymologiam commemorat, in Festi autem codice Farnesiano vocabula *Puteus* et *Puticuli* deinceps explanantur. — Varro V, 25: *Extra oppida a puteis Puticuli, quod ibi in puteis obruebantur homines, nisi potius, ut Aelius scribit, [Puticulae]*[1] *quod putescebant ibi cadavera proiecta, qui locus publicus ultra Exquilias.* Festus p. 217 b 8: *[Puticulos dicunt esse ap]pellatos, [quod vestustissimum genus sepulturae in pute]is fuerit, [eumque locum fuisse publicum] extra p[ortam Exquilinam .... Sed] inde p[otius appellatos esse existimat puticu]los Aeliu[s Stilo, quod cum in eum locum patres] familias [.... pecudes morticinas et] vilia proicer[ent mancipia, ibi cadavera] ea putesc[erent].* Paulus p. 216, 6: *Puticuli sunt appellati quod vestustissimum genus sepulturae in puteis fuerit, et dicti puticuli quia ibi cadavera putescerent.* Quibus ex locis inter se compositis et a Varrone et a Verrio Aelii Stilonis etymologiam *Puticuli quod putescebant ibi cadavera* allatam esse cognoscimus. Festus autem plura quam Varro narrat: itaque fieri non potest, ut Verrius hunc locum ex Varrone hauserit.

1) L. Spengelium secutus *Puticulae* verbum apud Varronem delendum esse censeo.

2. Varro V, 66: *Aelius Dium Fidium dicebat Diovis filium, ut Graeci Διόσκορον Castorem, et putabat hunc esse Sancum ab Sabina lingua et Herculem a Graeca.* Paulus p. 147, 8: *Medius fidius compositum videtur et significare Iovis filius, id est Hercules, quod Iovem Graece Δία et nos Iovem, ac fidium pro filio, quod saepe antea pro L littera D utebantur. Quidam existimant ius iurandum esse per divi fidem, quidam per diurni temporis, id est diei, fidem.* Pauli explicatio verbi *me dius fidius* uberior est quam Varronis. *Sancus* etiam apud Festum commemoratur p. 229 a 12: *Propter viam fit sacrificium quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est deus* et p. 238 b 32 s. v. *Praebia* his verbis: *qua praecincta statua eius est in aede Sanci, qui deus dius fidius vocatur.* Quae Varronis et Pauli glossae similes procul dubio sunt Aelii Stilonis. Pauli autem etymologiam ex Varronis verbis fluxisse verisimile non est, quia Paulus *Medium fidium,* Varro *Dium Fidium* nominat. Ne Festi quidem verba p. 229 a 12 ex hoc Varronis loco sumpta videntur, sed ex alio fonte, fortasse ex ipsius Aelii Stilonis loco.

3. Varro V, 72: *Neptunus quod mare terras obnubit ut nubes caelum, ab nuptu, id est opertione, ut antiqui, a quo Nuptiae, Nuptus dictus.* Festus p. 170 b 24: *Nuptias dictas esse ait Santra ab eo quod νυμφεῖα dixerunt Graeci antiqui γάμον, inde novam nuptam νέαν νύμφην. Cornificius quod nova petantur coniugia. Curiatius quod nova ratio fiat. Aelius et Cincius, quia flammeo caput nubentis obvolvatur quod antiqui obnubere vocarint: ob quam causam legem quoque „Parenstam“*[1] *iubere caput eius obnubere qui parentem necavisset, quod est obvolvere.* Paulus p. 184, 4: *Obnubit, caput operit; unde et nuptiae dictae a capitis opertione.* Festus p. 170 a 10: *[Nuptam uxorem a nubendo (ut mu]lieris quibus [in nuptiis utuntur pronubae ab] eadem causa [hoc est a nubendo dicuntur) ali]qui appellatam [esse volunt: nec defuerunt] tamen qui dice[rent, sic appellatam ab eo quod] νέαν νύμφην [Graeci novam nuptam vocant; alii quod ap]pellat uxo[rem νυὸν Homerus, antiqua quadam] consuetudi[ne loquendi, cum in Iliad. l. III] ait: ἐξ ἀπί[ης γαίης νυὸν ἀνδρῶν αἰχμ]ητάων.* Paulus p. 171, 2: *Nuptam a Graeco dictam. Illi enim nuptam appellant νέαν νύμφην.* His locis inter se comparatis Festi et Pauli glossas

1) Bergk, Ephem. litt. Hal. 1842, 105 coniecit: *Praenestinam.* Hertz, Jahrb. f. cl. Ph. 1861, 220 proposuit: *Parens tam.* Egger, Vet. serm. Lat. rell. p. 37 scripsit: *pervetustam.*

Nuptam novam νέαν νύμφην a Graecis appellari ex Santrae libris de antiquitate verborum repetitas esse cognoscimus, Varronis et Pauli verba *obnubere esse operire* ad Aelium Stilonem esse referenda, *obnubere esse obvolvere* Verrium hausisse puto ex Cincio, quem saepenumero et ad Aelium Stilonem se applicasse et cum illo nisi leviter non dissedisse videmus, ut s. v. *Naucum* p. 166 b 6, *Novalem agrum* p. 174 a 16, *Obstitum* p. 193 a 4, *Salias* p. 329 a 18. Quae cum ita sint, Aelii Stilonis veriloquium *Nuptiae* vocabuli fuisse *Nuptiae a nuptu, id est capitis opertione* arbitror. Quamquam Varronis et Pauli verba similia sunt, tamen Pauli verba ex Varronis loco fluxisse negem; immo vero proxime ad veritatem accedere videtur, et Verrium et Varronem Aelii Stilonis libros inspexisse et excerpsisse. Varro enim, quod vocabuli *Neptunus* etymologia propter contextum verborum afferenda erat, verba *Nuptiae* et *Nuptus* brevissime tractavit, Verrius autem diligentissime excerpsit vocabula *Nuptiae* et *Obnubere,* quae circumcisa extant apud Paulum.

4. Isidori origg. X, 160: *Latro insessor est viarum a latendo dictus. Aelius autem, latro est, inquit, latero, a latere, insidiator viae.* Paulus p. 118, 16: *Latrones eos antiqui dicebant, qui conducti militabant, ἀπὸ τῆς λατρείας. At nunc viarum obsessores dicuntur, quod a latere adoriuntur, vel quod latenter insidiantur.* Varro VII, 52: *In Cornicularia: „Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio.“ Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi atque ad latera habebant ferrum, quos postea a stipatione Stipatores appellarunt, et qui conducebantur; ea enim merces graece dicitur λάτρον. ab eo veteres poetae nonnunquam milites appellant latrones. sic etiam dicti qui circa vias sunt*[1]*, quod item ut milites cum ferro sunt aut quod latent ad insidias faciendas.* Festus p. 314 a 3: *[Stip]atores appel[lantur corporis cu]stodes, quos [antiqui latrones dice]bant, i. mer[cenarios qui cu]m ferro, ve[lut stipati circumdan]t Regum cor[pora].* Paulus p. 315, 1: *Stipatores corporis custodes, quos antiqui latrones vocabant. Stipati enim ferro circumdant corpora regum.* Servius ad Aen. XII, 7: *Varro tamen dicit hoc nomen posse habere etiam Latinam etymologiam, ut latrones dicti sint quasi laterones.* Isidorus origg. X, 160 vocabuli *latro* etymologiam affert prolatam ab Aelio Stilone, Servius quoque eandem ad Aeneidem XII, 7 ductam ex Varrone. Hi duo loci simillimi sunt Pauli verborum p. 118, 16. Tres eaedem etymologiae commemorantur et a Paulo p. 118 et a Varrone VII, 52,

1) Cf. G. Goetz, Berl. philol. Wochenschr. 1886, p. 782.

sed res ita est, ut Pauli verba in iucundum ordinem adducta sint, mediis autem Varronis verbis immixta sint verba *quos postea a stipatione Stipatores,* de quibus verbis iam V, 182 Varro disseruerat. Apud Festum quoque nominantur *Stipatores* p. 314 a 3 et apud Paulum p. 315, 1. De his locis difficile est dictu, utrum Verrius ex Varrone hauserit an uterque ex Aelio Stilone. Probabilius esse videtur Verrium ex Aelio Stilone hausisse, quod cum Verrii verba a Festo contracta tum Festi epitome a Paulo circumcisa ampliora fuerunt Pauli verbis.

5. Varro VI, 7: *Inter vesperuginem et iubar dicta Nox Intempesta, ut in Bruto Cassii, quod dicit Lucretia: „nocte intempesta nostram devenit domum". Intempestam Aelius dicebat cum tempus agendi est nullum.* Paulus p. 110, 19: *Intempestam noctem dicimus pro incertiore tempore quia non tam facile noctis horae quam diei possint intellegi. Tempestatem enim antiqui pro tempore posuere.* Servius ad Aen. III, 587: *Intempesta dicta est nox media, inactuosa, carens actibus, per quos tempora dinoscimus.* Quae omnia mihi ex Aelii Stilonis libris sumpta esse videntur: nam Servii verba similia sunt Varronis verborum, *nullum agendi tempus* vel *quo tempore nihil agitur,* ut Varro VII, 72 dicit, atque *inactuosus et carens actibus.* Aelii Stilonis locus fortasse copiosior erat et Paulus minorem tantum partem excerpsit ex Verrio, qui sane diligentius scripsit. Pauli verba ex Varrone hausta nemo arbitrabitur.

6. Festus p. 339 b 2: *[Septentriones] septem stellae appell[antur, ut duae sint pro bu]bus*[1]) *iunctis, quos trio[nes a terra rustici] appellent, quod iun[cti simul terram arent] quasi terriones. [Reliquas*[2]) *axem dixerunt] quod id astrum Grae[ci ἅμαξαν dicunt idque habet] partem quan[dam temonis specie. Unde ait] Ennius: „Supera[t temo stellas" Sed] et physici eum situm [septem stellarum] contemp[lati septentriones dici] aiunt, quod ita sunt [septem stellae sitae] ut ternae proximae [quaeque efficiant tria] trigona.* Varro VII, 74 ss: *Has septem stellas Graeci ut Homerus vocant ἅμαξαν et propinquum eius signum βοώτην, nostri eas septem stellas triones et temonem et prope eas axem; triones enim et boves appellantur a bubulcis etiam nunc maxime cum arant terram; e quis ut dicti valentes glebarii qui faciles proscindunt glebas, sic omnes qui terram arabant a terra terriones unde triones ut dicerentur de tritu. Temo dictus a tenendo; is enim*

1) Coni. Mentz: *[antur, ut Aelius dicit a bu].*
2) Coni. M. Voigt: Mus. Rhen. 24, 335: *[Et plaustrum appellantur].*

continet iugum et plaustrum, appellatum a parte totum ut multa. Possunt triones dicti, VII quod ita sitae stellae ut ternae trigona faciant aliquot. Gellius, N. A. II, 21, 8: *Sed ego quidem cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui 'triones' rustico cetera vocabulo boves appellatos scribunt, quasi quosdam 'terriones', hoc est arandae colendaeque terrae idoneos. Itaque hoc sidus, quod a figura posituraque ipsa, quia simile plaustri videatur, antiqui Graecorum ἅμαξαν dixerunt, nostri quoque veteres a bubus iunctis „septentriones" appellarunt, id est septem stellis, ex quibus quasi iuncti „triones" figurantur. Praeter hanc, inquit, opinionem id quoque Varro addit, dubitare sese an propterea magis hae septem stellae „triones" appellatae sint, quia ita sunt sitae, ut ternae stellae proximae quaeque inter sese faciant „trigona", id est triquetras figuras.* His de locis iam multi viri docti accurate disseruerunt, ut Kretzschmer in dissertatione, quam scripsit de Gellii fontibus (Posnaniae 1860) p. 41 et 48, Mentz l. c. p. 50, Reitzenstein in libello qui inscribitur „M. Terentius Varro und Iohannes Mauropus von Euchaita" 1901 p. 32 adn. 3. Gellium unum alterumve vel utrumque inspexisse manifestum est, quia illum Stilonis libris usum esse negat iure Kretzschmer. Neque tamen in Varronis neque in Verrii verbis simillimis Aelii nomen extat. Itaque Mentz p. 51 verba in Festi codice mutilata post *stellae appellantur* non *ut duae sint pro bubus* explenda esse, sed *ut Aelius dicit a bubus* bene coniecisse mihi videtur, quae coniectura sequente coniunctivo *appellent* commendatur. Coniunctivus enim ex Verrii verbis explicatur, qui Aelium auctorem sententiae indicaverat. Verrii libro de significatu verborum scripto se usum esse Gellius ipse testatur in Noctibus Atticis V, 17, 1 et V, 18, 2. Kretzschmer p. 48 cum Gellius M. Varronem secutum se esse diceret, difficultati ita se mederi arbitratus est, ut Gellii verba ad alium huius simillimum Varronis locum, cui L. Aelii nomen adscriptum fuisset, spectare diceret. Quae sententia quamquam non mala videtur, tamen Mentzii coniectura superatur, quem secutus Gellium Verrii articulum ante oculos habuisse mihi persuasi. Varronis et Verrii loci simillimi sunt, praesertim cum Ennii versus, quem affert Verrius, etiam apud Varronem inveniatur paragrapho 73: *Quid noctis videtur in altisono || Caeli clipeo? Temo superat stellas || Sublime augens etiam atque etiam || Noctis iter.* Verrium autem ex Varronis loco hausisse negaverim. Sed priusquam sententiam meam argumentis confirmo, longius repetere mihi liceat.

Paragraphis 72 usque ad 79 Varro de tempore dicit. Mirum

in modum eadem exempla, eaedem vocabulorum interpretationes, eadem fere verba inveniuntur quae in l. VI paragraphis 3 usque ad 7. In libri VII paragrapho 72 extant verba: *Nunc de temporibus dicam. Quod est apud Cassium: „Nocte intempesta nostram devenit domum“, Intempesta nox dicta ab tempestate, Tempestas ab tempore; nox intempesta quo tempore nihil agitur.* Cum eis verbis conferamus libri VI paragraphos tertiam et septimam: *Dicemus prius de temporibus .... ab eorum* [sc. solis et lunae] *tenore temperato Tempus dictum, unde Tempestiva .... Inter vesperuginem et iubar dicta nox Intempesta, ut in Bruto Cassii, quod dicit Lucretia: „Nocte intempesta nostram devenit domum.“ Intempestam Aelius dicebat cum tempus agendi est nullum.* Quibus locis inter se collatis Reitzenstein recte concludit Stilonis verba a Varrone transscripta esse. L. VII paragrapho 73 Varro dicit *sed Temo unde et cur dicatur, latet,* in succedentibus autem verbis affert: *Temo dictus a tenendo; is enim continet iugum et plaustrum appellatum a parte totum ut multa.* Quae cum inter se non consentiant, utrumque non redire ad eundem auctorem consentaneum est. *Triones* vocabuli etymologiam Aelii Stilonis esse Gellius ostendit et Reitzenstein recte mihi conclusisse videtur, totam l. VII partem quae est de temporibus praeter paragraphum 75 ex Aelii Stilonis libris fluxisse. Nunc redeamus ad ipsam rem.

Verrium sua ex Varrone excerpsisse iam supra negavi. Argumenta mihi sunt haec: primum Verrium ex Varrone Ennii nomen afferre non potuisse, deinde temonis etymologiam non attulisse Verrium. Aelius enim veriloquium cum vocabuli *temo* nullum invenisset, adiecit *sed temo unde et cur dicatur latet,* quae verba Stoicorum librorum, in quibus res etymologicae tractabantur, propria esse ex Augustini libro de principiis dialecticae scripto capite VI intellegimus. Quo factum est, ut Verrius etymologiam vocabuli *temo* afferre nequiret. Praeterea finem paragraphi 75 *Possunt triones dicti* e. q. s. ab Aelio Stilone abiudicare et vindicare Varroni, ut Reitzenstein vult, opus non est, quia Festus quoque ea verba affert. Verrium Flaccum Varrone hoc loco usum non esse manifestum est.

7. Festus p. 174 a 16: *[Novalem a]grum Aelius [Stilo et .... Graecum vocabulum] aiunt esse, [cum Graeci eum νειὸν dixerint, in qua re Ho]mero quoque [teste utuntur, qui dixit ν]ειοῖο βαθείης τέ[λσον ἱκέσθαι, sed C]incius eum esse, ubi [terra sine cultura ad novam] sementem sit relic[ta].* Paulus p. 175, 4: *Novalis ager novae relictus sementi.* Varro VI, 59: *sic ab eodem origine [sc. novo] Novitas et Novicius et Novalis in agro.* V, 39: *contra*

qui intermittitur a novando Novalis ager. His locis Aelii etymologiam habemus, cum in Varronis l. VI paragrapho 59 paulo ante veriloquium allatum Aelius nominatus sit. Sed locos conferre nequimus, quia Varro breviter et quasi praeteriens etymologiam affert. Quamquam ex his quoque locis verisimile fit Verrium non usum esse Varronis libris d. l. l.

8. Paulus p. 122, 15: *Militem Aelius a mollitia κατ' ἀντίφρασιν dictum putat eo quod nihil molle sed potius asperum quid gerat; sic ludum dicimus, in quo minime luditur.* Varro V, 89: *Milites quod trium milium primo legio fiebat ac singulae tribus Titiensium, Ramnium, Lucerum milia militum mittebant.* Varro qui hoc loco etymologiam plane diversam a Verrio commemorat, Verrii fons fuisse non potest.

De illis octo veriloquiis Aelianis cum Varronis Verriique verbis compositis Verrium Varronis libris d. l. l. usum esse optimo iure negamus, quia aut Festus plura Varrone attulit aut Verrius aliis fontibus usus est. Quae cum ita sint, ut certius iudicare possimus, proximo in capite num Verrii articuli, quibus Varronis nomen adiunctum est, ex libris d. l. l. duci possint, quaestionem instituamus.

Cap. III. Varronis loci a Verrio sine libri titulo allati comparantur cum libris d. l. l.

Nunc eos locos Festinos Paulinosque tractabimus, in quibus Varronis mentio fit libro ipso non adscripto, atque ubi fieri poterit cum similibus Varronis librorum d. l. l. locis comparabimus. Ut supra iam dixi p. 76, 77, decem loci Festini et duo Paulini sunt.

1. Festus p. 270 a 21: *[Ruminalem ficum appel]latam ait Varro [prope curiam sub Veter]ibus, quod sub ea ar[bore lupa a monte decurrens] Remo et Romulo [mammam praebuerit. Mamm]a autem rumis di[cebatur, unde rustici haedos lactent]es subrumos vo[cant, quia adhuc sub mammis habentur]. Alii autem sunt [qui dictam putent, quod sub ea pecus] ruminari solitum [esset].* Paulus p. 271, 4: *Ruminalis dicta est ficus quod sub ea arbore lupa mammam dederat Remo et Romulo. Mamma autem rumis dicitur, unde et rustici appellant hoedos subrumos, quia adhuc sub mammis habentur.* Festus p. 306 b 32: *Subrumari dicuntur haedi, cum ad mammam admoventur, quia ea rumis vocabatur vel quia rumine trahunt lacte sugentes.* Paulus p. 9, 14: *Adrumavit rumorem fecit sive commurmuratus est, quod verbum qui-*

dam a rumine, id est parte gutturis, putant deduci. Hos locos ex eodem capite excerptos esse verisimile est, neque vero in libris d. l. l. talis locus extat aut etymologia affertur.

2. Festus p. 343 b 32: *Sabini dicti ut ait Varro[*[1]*) . . .] quod ea gens p̄p̄ praecipue colat de[os, id est ἀπὸ τοῦ] σέβεσθαι.*

3. Festus p. 351 b 15: *[Tauri ludi in]stituti dis Inferis ex h[ac causa videntur] Tarquinio regnante, cum [magna incidisset] pestilentia in mulieres g[ravidas atque earum] fetus facti sunt ex car[ne divendita populo] taurorum immolatorum. ob [hoc ludi Tauri] appellati sunt, et fiunt [in circo Flaminio, ne] intra muros evocentur di [Inferi. Sed Taurios] ludos Varro ait vocari, quod [eis ludis discipu]lus pendens a doctore in cr[udo corio tauri] solitus sit inpelli, atque us[que eo inibi cogi] docere, quoad consisteret [atque virtu]te talorum constaret pedu[m firmitas].*

4. Festus p. 351 b 27: *[Talas]sionem in nuptiis Varro ait [signum esse lani]fici, τάλαρον, id est quassillum, i[nde enim so]litum appellari Talassionem. [Sed*[2]*) . . .] historiarum scriptor Talassium ait [nomine] virum rapta virgine unicae p[ulchritu]dinis, quod ei id coniugium fuerit fe[lix, boni] ominis gratia nunc redintegrari.* Paulus p. 350, 11: *Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii. Talassionem enim vocabant quasillum, qui alio modo vocatur calathus, vas utique ipsis lanificiis aptum.*

De his tribus veriloquiis nihil apud Varronem legimus; sed dicet aliquis fieri potuisse, ut in libris, qui ad nos non venerunt, haec tractaverit. Ne id quidem verisimile est: nam glossae Varronianae, quae extant in alteris litterarum partibus Verrii, praecipue ex eius Antiquitatum rerum humanarum libris sumptae sunt; qui libri quoniam in prioribus partibus nunquam, in alteris autem quinquies commemorantur (s. v. *Murrata potione* p. 158 b 22, *Praerogativae centuriae* p. 249 a 7, *Pro censu classis iuniorum* p. 246 b 30, *Septimontio* p. 348 b 24, *Suffragatores* p. 347 b 28), a vero non digrediemur arbitrati, has tres glossas ex iisdem Antiquitatum libris repetitas esse.

5. Glossa s. v. *Opima spolia* p. 186 b 21, quae ceteros articulos copiosa explicatione antecellit et cuius nullum vestigium extat apud

1) Lacunam suppleo: *Varro [quasi Sebini] quod* secutus Plinium III, 12, 108, qui tradit: *Sabini ut quidam existimavere a religione et deum cultu Sebini appellati.*

2) Mercklin ind. schol. Dorp. 1860 p. 14 coni.: *Sed Cn. Gellius h. s. Talassum.*

Varronem, libris d. l. l. adeo non accommodata est, ut ex Varronis libris ad antiquitates spectantibus esse hausta videatur.

6. Festus p. 238 b 8: *Porcas quae inter duos sulcos fiunt, ait Varro dici, quod porrigant*[1]) *frumentum.* Festus p. 218 b 16: *Porcae appellantur rari sulci qui ducuntur aquae derivandae gratia, dicti quod porcant, id est prohibeant aquam frumentis nocere, nam crebriores sulci lirae vocantur.* Festus p. 218 b 11: *Porigam dixisse antiqui videntur pro porrigam propter morem non ingeminandarum litterarum, ducto verbo a porro regam. Aliis id frivolum videtur cum aperte ex ἐπορέγειν tractum sit, sed antiqui etiam porgam dixerunt pro porrigam.* Paulus p. 15, 13: *Arcere prohibere est. Similiter abarcet prohibet. Porcet quoque dictum ab antiquis quasi porro arcet.* Paulus p. 108, 9: *Imporcitor qui porcas in agro facit arando. Porca autem est inter duos sulcos terra eminens.* Varro V, 39: *Quo est terra iacta, id est proiecta, Porca.* Quod ad hunc Varronis locum attinet, verba sunt corrupta. Iam Augustinus illum locum sanare conatus est, cum scriberet pro „proiecta“ *porrecta.* Quae coniectura optima mihi esse videtur, cum vocabulum *iacta* verbis *id est proiecta* nullo modo magis explanetur neque *proiecta* verbum *Porcae* veriloquii originem magis perspicue ostendat. Itaque Augustini coniectura usus (*porrecta* scribentis) pro *quo ea terra iacta, id est proiecta,* ut apud Spengelium scriptum videmus, *quo est terra porrecta, id est proiecta* scribendum arbitror coll. Macr. Sat. III, 2, 2. Glossam *Porcas quae inter duos sulcos fiunt, ait Varro dici quod porrigant frumentum* O. Mueller et Gruppius (Philol. Wochenschrift 1883 p. 467) ex Varronis Rerum rusticarum l. I, 29, 3 *quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porricit* haustam esse dicunt. Cui sententiae Reitzenstein Quaestionum Verrianarum p. 33 adn. 2 opposuit verisimile non esse Verrium usum esse libris Rerum rusticarum, in quibus raro etymologiae essent prolatae.[2]) Qua ex re aut ex Varronis loco, quo agebatur de deo imporcitore, omnia fluxisse, ut Reitzenstein l. c. arbitratur — illo enim loco Varro totam rem ordine pertractasse et etymologias duas, *porcere* esse *ἐπορέγειν, porro regere, porrigere* atque *porro arcere,* proposuisse, Verrius autem eas compluribus locis dispertisse potuit —, aut Verrium variis fontibus usum esse puto: ex hoc utique loco Varroniano Festi veriloquia non fluxerunt.

1) Mueller: *porriciant?*

2) Cf. quae infra de veriloquiis in libris Rerum rusticarum prolatis disseram (p. 104 sqq.).

7. Copiosam glossam s. v. *Religionis* p. 285 a 34 Mueller ex libris de vita populi Romani scriptis haustam esse arbitratur neque habeo quod addam.

8. Festus p. 355 b 11: *Tuscum vicum ce[teri quidem omnes scrip]tores dictum aiunt ab [iis qui Porsena rege] discedente ab obsi[dione e Tuscis remanserint] Romae locoque his dato [habitaverint; aut quod Volci]entes fratres Caeles et Vibenn[a, quos dicunt regem] Tarquinium Romam secum max[ime adduxisse, eum colue]rint. M. Varro, quod ex Coel[io in eum locum deducti] sint.* Varro V, 46: *In Suburanae regionis parte princeps est Caelius Mons, a Cele Vibenna, Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Tatium regem. Huius post Celis obitum quod nimis munita loca tenerent neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Tuscus; et ideo ibi Vortumnum stare quod is deus Etruriae princeps.* Hi loci plane diversi sunt, cum Festus Caelem et Vibennam, Celem Vibennam Varro, Festus Tarquinium regem, Romulum Varro, Festus duas historias, Varro unam afferant. Festi articulum ex Varrone excerptum esse mihi persuasi, idque ita, ut non ex libris d. l. l., sed ex tribuum libro, quem affert paragrapho 56, rem nosset.

9. 10. Glossemata s. v. *Vapula Papiria* p. 372 b 22 et *Sus Minervam* p. 310 b 18 in libris d. l. l. non commemorata ex Sinnii Capitonis libro de proverbiis facto, in quo Varro nominatus erat, hausta esse puto.

Restant glossae Paulinae s. v. *Cupes* p. 48, 15 et *Erebum* p. 83, 3. *Erebum* articulus nobis omittendus est, quia neque comparare cum libris d. l. l. neque ulli Varronis libro certo ascribere possumus. Glossema *Cupes* sic apud Paulum extat: *Cupes et cupedia antiqui lautiores cibos nominabant; inde et macellum forum cupedinis appellabant. Cupedia autem a cupiditate sunt dicta vel, sicut Varro ait, quod ibi fuerit Cupedinis equitis domus, qui fuerat ob latrocinium damnatus.* Varro V, 146: *Ubi variae res ad corneta Forum Cuppedinis a Cuppedio, quod multi forum Cupidinis a cupiditate. Haec omnia posteaquam contracta in unum locum quae ad victum pertinebant et aedificatus locus, appellatum Macellum, ut quidam scribunt, quod ibi fuerit ortus, alii quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Macellus, quae ibi publice sit diruta, e qua aedificatum hoc quod vocetur ab eo macellum.* Paulus p. 125, 7: *Macellum dictum a Macello quodam qui exercebat in Urbe latrocinium; quo damnato censores Aemilius et Fulvius statuerunt ut in domo eius obsonia venderentur.* Donat.

ad Ter. Eun. II, 2, 25: *Varro humanarum rerum: Numerius Equitius Cuppes, inquit, et Manius Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exilium actis bona publicata sunt, aedes, ubi habitabant, dirutae eque ea pecunia scalae deum penatium aedificatae sunt. ubi habitabant, locus, ubi venirent ea quae vescendi causa in urbem erant allata. itaque ab altero Macellum, ab altero Forum Cuppedinis appellatum est.* Hoc Donati loco Festi verba non ex libris d. l. l. sumpta esse, sed ex Antiquitatum rerum humanarum libris intellegimus, quod latrocinium vocabulum hoc Varronis loco desideratur. Verrius ex Antiquitatibus censores Aemilium et Fulvium attulit, Donatus autem, qui eodem fonte usus est, Varronis verba non omnia repetivit, sed ea quae ad Terentii verba illustranda opus erant.

Postquam illos XII locos apud Festum vel Paulum servatos composuimus cum libris d. l. l., ne unum quidem locum ex Varronis libris grammaticis esse transscriptum affirmamus. Praeter hos autem quos iam commemoravi locos permulta veriloquia apud Verrium Varronemque inveniuntur similitudine quadam inter se cohaerentia, quae mihi diligentius exploranda sunt, numquid contrarii ex eis fiat manifestum.

Cap. IV. De Varronis Antiquitatibus et a Varrone d. l. l. et a Verrio adhibitis.

Apud Festum compluribus locis Varronis Antiquitates rerum humanarum et divinarum commemorantur, unde Verrium Flaccum illis libris, quibus Varro praeter ceteros summam gloriam sibi comparavit, re vera usum esse cognoscimus. Quamquam non apud Festum solum (cf. p. 76), sed etiam apud Varronem ipsum Antiquitatum libri duobus locis afferuntur, ubi sic est VI, 13: *ut in antiquitatum libris demonstravi* et VI, 18: *de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt.* Qua de causa ad veritatem proxime accedere opinor, Varronem d. l. l. multa ex Antiquitatibus vel repetiisse vel excerpsisse et crebra Festi Paulique lemmata, quae idem referunt quod legimus apud Varronem nominibus non adscriptis, hausta esse ex Antiquitatum libris XLI.

Antiquitates magno litterarum detrimento ad nos quidem non venerunt, sed de dispositione plura refert Augustinus de civitate Dei VI, 3. Perincommode accidit, quod sola argumenta singulorum librorum de rebus divinis scriptorum attulit, de rebus humanis autem nisi in universum non disseruit. Complures igitur viri

docti ut Gruppius in Hermae tomo X, P. Mirsch in Studiorum Lipsiensium volumine V, Reitzenstein in Hermae tomo XX Rerum humanarum argumenta restituere conati sunt. Fragmenta ipsa Rerum humanarum collegit et disposuit P. Mirsch l. c. p. 75 sqq., cuius supra vires illud difficillimum opus fuisse ostenderunt Gruppius (Philol. Wochenschrift 1883, 464 sqq.) et Reitzenstein l. l. p. 515; Rerum divinarum reliquias contulit Merkel in prolegomenis Ovidii Fastorum p. CVI sqq. a. 1841 et nuperrime fragmenta librorum I, XIV, XV, XVI vir doctus Agahd in supplementis Annalium Fleckeiseni tomo XXIV, p. 5 ss. edidit. Eorum virorum studiis subtilissimis confisus illos locos similes, quos ex Antiquitatibus sumptos esse suspicor, ex ordine afferam adnotationibus brevibus ornatos.

Antiquitatum rerum humanarum liber II: „De Aboriginibus et Latinis.“ *Salios* p. 326 b 32 = Varro d. l. l. V, 85. Hunc Festi locum, quem ex Varrone non fluxisse manifestum est, ex Antiquitatibus sumptum esse ostendit Isidorus etym. XVIII, 50: *Saltatores autem nominatos Varro dicit ab Arcade Salio, quem Aeneas in Italiam secum adduxit, quique primo docuit, Romanos adolescentes nobiles saltare.*

Liber IV: „De urbis Romae conditoribus et primis incolis.“ *Curis* p. 49, 10 = Varro d. l. l. V, 51, 73, VI, 68. Varronem, qui d. l. l. unam etymologiam attulit, in Antiquitatibus utriusque a Paulo commemoratae mentionem fecisse ex Dionysii Halicarnassensis Antiquitatibus Romanis II, 48 cognoscimus, ubi scriptum est: *κτίζει τὰς καλουμένας Κύρεις· ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν, ἐπὶ τοῦ δαίμονος* [sc. *Κυρίνου*] *ἐξ οὗ γενέσθαι ὁ λόγος αὐτὸν εἶχε, τοὔνομα τῇ πόλει θέμενος· ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐπὶ τῆς αἰχμῆς. Κύρεις γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσιν. Ταῦτα μὲν οὖν Τερέντιος Οὐάῤῥων γράφει.*“

Liber VI: „De regibus.“ *Latrones* p. 118, 16 = Varro d. l. l. VII, 52. Servius ad Aen. XII, 7 adnotat: *Varro tamen dicit, hoc nomen posse habere etiam Latinam etymologiam, ut latrones dicti sint quasi laterones, quod circa latera regum sunt, quos nunc satellites vocant.* Hoc de veriloquio, quod supra iam attuli p. 79, non habeo quod addam.

Liber VIII: „De urbe Roma.“ *Septimontio* p. 348 b 24 = Varro d. l. l. V, 53—54. *Saturnia* p. 322 b 24 = Varro d. l. l. V, 42. *Saxum Tarpeium* p. 343 b 17 = Varro d. l. l. V, 41. *Publicius clivus* p. 238 b 28 = Varro d. l. l. V, 158. *Naeviam silvam* p. 169 b 25 = Varro d. l. l. V, 163. *Sacram viam* p. 290 b 30 = Varro d. l. l. V, 47. *Viminalis* p. 376 a 8 = Varro d. l. l. V, 51. *Quirinalis* p. 254

b 9 = Varro d. l. l. V, 51. *Raudusculana* p. 274 a 2 = Varro d. l. l. V, 163. *Laverniones* p. 117, 16 = Varro d. l. l. V, 164. *Fagutal* p. 87, 6 = Varro d. l. l. V, 49, 152. Hi undecim Festi vel Pauli loci, qui ex Varronis d. l. l. libris repetiti esse nequeunt, quia similitudinem quidem Varronis ostendunt, copiosiores autem sunt locis Varronianis, ad Antiquitates sunt referendi, praesertim cum Festus s. v. *Septimontio* Antiquitatum librum VIII commemoret.

De glossis s. v. *Aventinus* p. 19, 4 (Varro d. l. l. V, 43), *Cermalus* p. 55, 4 (Varro d. l. l. V, 54), *Caelius* p. 44, 9 (Varro d. l. l. V, 46—47), *Mugionia* p. 144, 18 (Varro d. l. l. V, 164) nihil certi concludere possumus, cum a Paulo nimis decurtatae sint et una cuiusque verbi etymologia afferatur, ut plerumque Paulus facere solitus est. Namque in lemmate s. v. *Aventinus* Varro quattuor veriloquia profert, Paulus autem unius eorum mentionem facit; deinde vocabula *Caelius* et *Cermalus* Varro accuratius interpretatur Paulo, denique s. v. *Mugionia* Paulus etymologiam prorsus alienam a Varrone profert. Semper autem ante oculos habeamus necesse est, Varronem in Antiquitatibus de permultis rebus, quas strinxit in d. l. l. libris, fusius disseruisse compluribus veriloquiis additis.

Restant duo lemmata *Subura* p. 309 a 5 et *Palatium* p. 220, 5, quae comparare possumus cum Varrone d. l. l. V, 48 et 53. Quod attinet ad glossam s. v. *Suburam,* hoc loco Festi et Varronis verba plane inter se consentiunt, sed non ita, ut Verrium libris d. l. l. scriptis usum esse concludamus; immo potius Verrius et Varro nonnulla addiderunt, quae apud alterum non extant. Facillime igitur nodum sic expedire possumus, ut Verrium Antiquitates inspexisse censeamus. In glossa *Palatium* Paulus affert haec IV veriloquia: 1) *a balando,* 2) *a palando,* 3) *quod Palanto ibi habitaverit,* 4) *quod Pallas ibi sepultus sit;* Varro ipse quoque IV: 1) *quod Pallantes venerint,* 2) *quod Palatini ibi consederint,* 3) *a Palantio,* 4) *a balando.* Solum *a balando* veriloquium apud utrumque invenitur, succurrit autem nobis Servii locus ad Aen. VIII, 51 spectans, quo dicitur: *sicut ait Varro „nonne Arcades exules confugerunt in Palatium, duce Euandro?" hic autem mons Palatinus secundum Vergilium a Pallante, avo Euandri, est dictus; secundum Varronem et alios a filia Euandri Pallantia, ab Hercule vitiata et postea illic sepulta vel certe a Pallante eius filio illic sepulto immaturae aetatis, alii a filio Euandri, qui post mortem patris seditione occisus est, alii a balatu ovium Balanteum volunt dictum, et exinde per antistichon Pallanteum dictum.* Quibus ex verbis veriloquium *a Pallantia quae ex Hercule Latinum pepererit*

a Paulo prolatum ad Varronem redire intellegimus et in Antiquitatibus propositum fuisse arbitror.

In VIII libro, ut vult Mirschius vel potius mea quidem sententia in sequentibus — reicio enim ad Varronis verba d. l. l. V, 56: *sic reliquae triginta ab his rebus, quibus in tribuum libro scripsi* — Varronem disputasse puto de his rebus quae extant: p. 368, 11 *Urbanas tribus* = Varro d. l. l. V, 45, 55—56; p. 302 a 15 *Suburanam tribum* = Varro d. l. l. V, 48; p. 366, 10 *Titiensis tribus* = Varro d. l. l. V, 55; p. 270 a 1 *Romuliam tribum* = Varro d. l. l. V, 56. Omnes hi loci ex Varrone d. l. l. repeti non possunt, quia complures multo fusiores sunt Varronianis verbis. Illo Varronis loco quem dixi unum ex rerum humanarum libris singulari titulo allatum esse O. Mueller putavit, cuius sententiam Mercklinum Quaestionum Varronianarum, quae insunt in indice lectionum Dorpatensium 1869, p. 5—11 pervertisse nego. Hic enim vir bene de studiis Varronianis meritus in libro tribuum Varronem res in antiquitatibus arte narratas uberius explanasse coniecit, sed argumentorum quae attulit auctoritas non sufficit, ut O. Muelleri sententiam falsam esse probet.

Venio ad glossam *Lucereses* p. 119, 10, quae plane discrepat a Varrone d. l. l. V, 55, qui solam Iunii Gracchani sententiam affert. *Tuscum vicum* p. 355 b 11 = Varro d. l. l. V, 46. Quo de veriloquio Servius ad Aen. V, 560 haec tradidit: *Varro tamen dicit Romulum dimicantem contra Titum Tatium a Lucumonibus, id est Tuscis, auxilia postulasse. Unde quidam venit cum exercitu, cui recepto iam Tatio pars urbis est data, a quo in urbe Tuscus dictus est vicus.* Festi priorem etymologiam Dionysius Halicarnassensis Antiquitatibus V, 36, Varronis veriloquium II, 36 attulit. Utique ex Varronis d. l. l. loco veriloquia Festina non sunt sumpta.

Simillima sunt verba *Sceleratus vicus* p. 333 b 32 et d. l. l. V, 159. De *Boario foro,* quod tractant Paulus p. 30, 5 et Varro V, 146, non habeo quod addam. Glossas *Cuppes et cuppedia* p. 48, 15 et *Macellum* p. 125, 7 atque Varronem d. l. l. V, 146—147 inter se cohaerere cum Varronis verba tum Donati ad Ter. Eun. II, 2, 25, quae supra iam exscripsi p. 86, ostendunt. Hoc Donati loco Festi verba non ex libris d. l. l. scriptis, sed ex Antiquitatibus esse hausta iam dixit Reitzenstein l. c. p. 38 adn. 1. Verbum enim *latrocinium* hoc Varronis loco desideratur. Quid? quod Paulus Aemilium et Fulvium censores commemoravit? Quae difficultates omnes sic tolluntur, ut Verrium et Donatum ad Varronis antiquitatum libros redisse arbitremur; Donatus autem ex Varronis verbis nihil excerpsit nisi id quod ad Terentii verba explananda pertinuit.

Glossae *Doliola locus* p. 69, 8 et Varroni d. l. l. V, 157 sunt communia verba: *ubi non licet despuere, a doliolis sub terra;* historiae autem de illo loco traditae sunt diversae. Qua in re neglegendum non est, et Varronem summatim de eiusmodi rebus disseruisse et Paulum Festi verba valde circumcidisse; idem est in glossis *Flaminius circus* p. 89, 9 = Varro V, 154; *Lautulae* p. 118, 5 = Varro V, 156; *Tatium occisum* p. 360 b 31 = Varro V, 152; *Curtilacum* p. 49, 8 = Varro V, 148—150. Hac de glossa Varro accuratissime disseruit et tres historias auctoribus Procilio, Pisone, Cornelio et Lutatio nominatis tradidit. Consulto relictum est lemma *Senacula* p. 347 a 22 (Varro V, 156), de quo dubito.

Liber XI: „De Italia.“ *Italia* p. 106, 7 = Varro d. l. l. V, 96. Hanc Italiae etymologiam in Antiquitatibus esse prolatam testatur Gellius N. A. XI, 1, 1: *Timaeus in historiis, quas oratione Graeca de rebus populi Romani composuit, et M. Varro in Antiquitatibus rerum humanarum terram Italiam de Graeco vocabulo appellatam scripserunt, quoniam boves Graeca vetere lingua ἰταλοί vocitati sint, quorum in Italia magna copia fuerit, bucetaque in ea terra gigni pascique solita sint complurima.*

Cutiliae lacus p. 51, 8 = Varro d. l. l. V, 71, quo de lacu diligentissime verba facit Dionysius I, 15, brevi ante, capite 14, verbis additis *ὡς Βάῤῥων Τερέντιος ἐν ἀρχαιολογίαις γράφει.* Plinius quoque N. H. III, 109 dicit: *In agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuetur insula, Italiae umbilicum esse M. Varro tradit.*

Tiberis p. 366, 2 et *Albula* p. 4, 10 = Varro d. l. l. V, 29—30, 71. Hi loci plane inter se consentiunt, Paulus autem solus habet veriloquium *Albula ab albo aquae colore.* Unde apparet illas glossas ex hoc Varronis loco derivari non posse.

Simillimi sunt loci Pauli s. v. *Amneses* p. 17, 6 et Varronis d. l. l. V, 28, ubi eodem ordine etymologiae *Interamnarum* et *Antemnarum* urbium proferuntur.

Liber XII: „De Europa.“ *Europa* p. 78, 7 = Varro d. l. l. V, 31. Secundum Paulum tres partes terrarum orbis sunt, secundum Varronem duae, ut etiam commenta Bern. in Luc. IX, 411 testantur: *quidam diviserunt orbem in duas partis, ut Varro, id est Asiam et Europam, quidam in tris, Asiam Europam et Africam, ut Alexander, quidam in quattuor, adiecta Aegypto, ut Timosthenes.* Sed illa discrepantia nullius fere est momenti, quod non Festi verba stant, sed Pauli, qui plerumque unam etymologiam et eam saepius minus probabilem afferre satis habuit. Hoc loco etiam glossa *Aegeum mare* p. 24, 10 (= Varro VII, 22) commemoranda est.

Liber XV: „De temporum descriptionibus.“ *Dies* p. 74, 7 = Varro d. l. l. VI, 4, quo Varronis loco lacuna sic explenda mihi videtur: *duo motus, alter lunae, quod movetur luna totumque caelum, nox; alter solis, quod movetur sol totumque caelum, dium ab Iove rectore, quem Graeci Δία appellant, cum ab ortu ad occasum venit, quo tempus id ab hoc deo Dies appellatur.* Cf. Reitzenstein „M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita“ p. 32 adn. 1, qui *Iupiter* vel *Diespiter* verbum antea commemoratum fuisse arbitratus est.

Annus p. 6, 15 = Varro d. l. l. VI, 8. *Lustra* p. 120, 8 = Varro d. l. l. VI, 11. Pauli lemma s. v. *Annus* dissimile est Varronis, qui in Antiquitatum libro de temporum descriptionibus plura sane anni etyma protulit, quorum aliud ipse in libris d. l. l. repetivit, aliud Paulus, quod verisimillimum putabat, excerpsit ex Festo.

Liber XVI: „De diebus.“ *Nonas* p. 173 a 26 = Varro d. l. l. VI, 28 et *Procalare* p. 225, 8 = Varro d. l. l. VI, 27. Utrumque veriloquium apud Festum et Varronem traditum invenimus. *Fastis diebus* p. 93, 18, *Fastorum libri* p. 87, 19, *Comitiales dies* p. 38, 12 et *Nefasti* p. 165 b 14 = Varro d. l. l. VI, 29, 30, 53. Qui loci etsi arte inter se cohaerent, tamen ex libris d. l. l. hausti non sunt, cum et verba *Nefasti dies N littera notantur* et explicatio verbi *Comitiales dies* ibi desiderentur.

Q. R. C. F. p. 258 a 16 et *Q. S. D. F.* p. 258 a 25 = Varro d. l. l. VI, 31—32. Quae lemmata Festina ex perpetua narratione excerpta esse et Varronis et Festi contextus verborum ostendunt; ad libros autem d. l. l. scriptos referenda non sunt, quia plura quam in Varronis verbis traduntur.

Loci de *Alliesi die,* p. 7, 3 et Varro d. l. l. VI, 32 sui sunt simillimi.

Liber XVII: „De mensibus.“ *Maius* p. 134 b 27 = Varro d. l. l. VI, 33, *Iunius* p. 103, 14 = Varro d. l. l. VI, 33, *Februarius* p. 85, 13 = Varro d. l. l. VI, 13, 34. IIis de mensibus Censorinus, qui Varronem fontem accuratissime exscripsit, de die natali c. XXII, 9—15 sic disputat: *[Fulvius et Iunius auctores] Maium a maioribus natu, Iunium a iunioribus [nominasse.] — Varro autem Romanos a Latinis nomina mensum accepisse arbitratus auctores eorum antiquiores quam urbem fuisse satis argute docet. Maium vero non a maioribus, sed a Maia nomen accepisse, quod eo mense tam Romae quam antea in Latio res divina Maiae fit et Mercurio. Iunium quoque a Iunone potius quam iunioribus, quod illo mense maxime Iunoni honores habentur. — Ceterum Ianuarium et Februarium postea quidem additos, sed nominibus iam e Latio sumptis.* —

Februarium a februo nomen traxisse. Est februum quidquid piat purgatque, et februmenta purgamenta, item februare purgare et purum facere. Februum autem non idem usquequaque dicitur: nam aliter in aliis rebus sacris februatur, hoc est purgatur. In hoc autem mense Lupercalibus, cum Roma lustratur, salem calidum ferunt, quod februum appellant, unde dies Lupercalium proprie februatus et ab eo porro mensis Februarius vocitatur. Quibus ex verbis Censorini, quae ex Antiquitatibus hausta esse persuasum habeo, veriloquia *Iunium a iunioribus* et *Maium a maioribus* a Fulvio et Iunio Gracchano prolata esse, Varronem autem *Iunium* a Iunone et *Maium* a Maia, Mercurii matre, deduxisse intellegimus. Quod attinet ad Februarium mensem, Varro d. l. l. et Fulvii Iuniique sententiam *ab inferis* et suam *a die februato* attulit. Quae omnia se in Antiquitatibus tractasse Varro ipse VI, 13 indicat, cum dicit: *nam et Lupercalia Februatio, ut in antiquitatum libris demonstravi.*

Liber XX: „De re publica." Quo in libro Varronem et de aliis rebus et de magistratuum nominibus fusius disputavisse Nonius p. 59, 1 tradit, qui affert librum XX; cf. etiam Nonium p. 142, 5 et 519, 21. Itaque illum ad librum pertinere hos locos arbitror: *Censores* p. 58, 8 = Varro d. l. l. V, 81; *Censio* p. 65, 9 = Varro V, 81; *Aedilis* p. 13, 7 = Varro V, 81; *Quaestores* p. 258 a 29 = Varro V, 81; *Allecti* p. 7, 5 = Varro VI, 66; *Magisterare* p. 126, 6 et p. 153 b 11 = Varro V, 82; *Magisteria* p. 154 a 3 et p. 152, 7 = Varro V, 82. Quod attinet ad verbum *Censores,* ex Nonio ostendi potest, Varronem et Rerum humanarum libro XX et libro II de vita populi Romani illud protulisse, cum dicit p. 519, 21: *censere et arbitrari veteres cognatione quadam socia ac similia verba esse voluerunt. Varro Rerum humanarum lib. XX: „quod verbum censeo idem et arbitror poterat ac valebat." — Plautus in Rudente: „non vidisse undas me maiores censeo", idem in Menaechmis: „demam hanc coronam atque abiciam ad laevam manum, ut si sequentur, me hac abisse censeant." — Varro de vita populi Romani lib. II: „itaque quod hos arbitros instituerunt populi, censores appellarunt, idem enim valet censere et arbitrari".* Paulini articuli s. v. *Aedilis* et *Allecti* multo ampliores sunt verbis Varronianis et *quaestorum* et *magistratuum* etymologiae non prorsus consentiunt cum Varronis locis. De his veriloquiis certam rationem secuti Verrium Varronis d. l. l. libros inspexisse negabimus.

Liber XXI: „De magistratuum imperio ac potestate." *Multam* p. 142 b 21 = Varro d. l. l. V, 177. Hoc in libro Varronem *multae* veriloquii mentionem fecisse ex Gellii Noctibus Atticis XI, 1, 5

Tragula p. 367, 16 = Varro d. l. l. V, 115 cf. V, 139. Hi loci quamquam dissimiles sunt, tamen Varronem illa verba apud Paulum servata non protulisse non est cur contendamus.

Ocreae veriloquium s. v. *Ocrem* p. 181 a 17 cum Varrone V, 116 conferendum non est, cum apud Festum Ateium Philologum in Glossematorum libro illud rettulisse legamus.

Fetiales p. 91, 15 = Varro d. l. l. V, 86; *Foedus* p. 84, 1 = Varro d. l. l. fr. 2. De his locis quidquam certi statui non potest.

Liber XXV: „De rebus in usum publicum inventis." Hunc ad librum redeunt hi articuli: *Rodus* p. 265 a 4 = Varro d. l. l. V, 163, cuius lemmatis partem priorem Varronis esse, sumptam ex Antiquitatibus, puto. — *Grave aes* p. 98, 1 = Varro d. l. l. V, 169; *Semis* p. 293 b 9 = Varro d. l. l. V, 171; *Bessem* p. 33, 1 = Varro d. l. l. V, 172; *Dextans* p. 73, 14 = Varro d. l. l. V, 172; *Nummum* p. 173 b 8 = Varro d. l. l. V, 173; *Sestertius* p. 334 b 33 = Varro d. l. l. V, 173; *Sesterti* p. 347 b 9 = Varro d. l. l. V, 173; *Libella* p. 116, 14 = Varro d. l. l. V, 174; *Sacramentum* p. 344 b 33 = Varro d. l. l. V, 180; *Stipem* p. 297 a 3 et 313 b 17 = Varro d. l. l. V, 182; *Aerarii tribuni* p. 2, 6 = Varro d. l. l. V, 181, 183; *Dispensatores* p. 72, 9 = Varro d. l. l. V, 183. Omnes hi articuli inter se arte conexi ex Antiquitatibus, non ex libris d. l. l. hausti esse possunt. Etiam Willers, qui l. c. p. 19 ss. omnes glossas Festinas et Paulinas, quae ad rem nummariam pertinent, collegit, Varroni illas glossas adtribuit. Quod attinet ad Festi lemma p. 173 a 9 s. v. *Nuncupata pecunia,* conferri potest cum Varrone d. l. l. VI, 60. Veriloquium verbi *Nexum* apud Festum duobus locis p. 165 a 20 et p. 165 a 27 invenimus; alterum ex Aelii Galli libro excerptum est, quem Manilii sententiam repetivisse docet Varro d. l. l. VII, 105. Varro ipse Mucii sententiam probabiliorem esse putavit, quam in Festi altero veriloquio prolatam videmus. Hic quoque locus ex Antiquitatibus haustus esse potest: cf. Willers p. 20.

Antiquitatum rerum divinarum liber II: „De pontificibus." *Flamen Dialis* p. 87, 15 = Varro d. l. l. V, 84; *Flaminius camillus* p. 93, 2 = Varro d. l. l. VII, 34; *Cumeram* p. 63, 11 = Varro d. l. l. VII, 34. Haec veriloquia Verrii et Varronis tanta similitudine inter se coniuncta sunt, ut Varronis esse vix neges. Varronem in libro secundo non modo de pontificibus ipsis, sed etiam de illorum insignibus verba fecisse Gellius auctor est, cum dicit l. X, 15, 32: *verba M. Varronis ex secundo rerum divinarum super flamine Diali haec sunt: Is solus album habet galerum, vel quod maximus est, vel quod Iovi immolata hostia alba fieri oporteat.* Ad eiusmodi

insignia teste Servio ad Aen. II, 683, qui apicem et tutulum una cum galero affert, haec addi necesse est: *Apex* p. 18, 9 = Varro d. l. l. V, 111; *Rica* p. 289 b 19 et *Ricae* p. 277 a 5 = Varro d. l. l. V, 130, 132; *Tutulum* p. 355 a 29 = Varro d. l. l. VII, 44; *Infulae* p. 113, 1 et *Exinfulabat* p. 81, 18 = Varro d. l. l. VII, 24; *Capital* p. 57, 6 = Varro d. l. l. V, 130. De veriloquio *tutuli* apud utrumque scriptorem Ennii versum scriptum legimus; uterque autem locus inter se differt, quod Varro libro VII verba poetica interpretatur, Verrius veriloquia *Tutulus* vocabuli praebet. Quod ad glossema *Rica* attinet, a Verrio nominatur Titius, quem altero loco p. 205 a 2 cum Veranio coniunctum commemorat. Illius iuris consulti et grammatici scripta Verrius mea quidem sententia non excerpsit, sed ex Veranii libris eum nosse puto. Quae cum ita sint, haec glossa nobis Varronis et Verrii similes locos comparantibus segreganda est ab altera s. v. *Ricae*, ubi Granius Flaccus nominatur, quem Varronis aequalem ad Caesarem librum de indigitamentis scripsisse Censorinus (de die natali c. III, 2) testatur. Huius viri docti veriloquium, ut a Varrone in Antiquitatibus rerum divinarum commemoraretur, haud difficile fieri potuit.

Liber III: „De auguribus". Huc referendas esse has etymologias arbitror: *Fulguritum* p. 92, 17 et *Fulmen* p. 92, 20 = Varro d. l. l. V, 70; *Effata* p. 80, 10 et *Effari* p. 81, 11 = Varro d. l. l. VI, 53; *Auspicium* p. 2, 2 et *Spectio* p. 333 a 9 = Varro d. l. l. VI, 82; *Peregrinus ager* p. 245 a 27 et p. 253 b 26 = Varro d. l. l. V, 33; *Hariuga* p. 100, 6 = Varro d. l. l. V, 98; *Ambegni* p. 4, 16 = Varro d. l. l. VII, 31. *Spectio* glossa, quia augurales [sc. libri vel commentarii] ibi afferuntur, utrum Ateio Capitoni an Veranio an Messallae sit adscribenda, in dubio relinquam. Varronem in hoc libro de *hariuga* disseruisse paene certum est, quia Velius Longus haec verba tradit (Merkel l. III fr. 7): *„Varro-arispex ab ariuga, quae esset hostia."* Etiam de *ambegni* veriloquio hoc in libro mentio haud scio an facta sit, quamquam Willers, qui p. 10 ss. rerum sacrarum glossemata tractavit, Ateii Capitonis auctoritati Verrii glossas *Hariuga* et *Ambegni* tribuit. Ceterum cum confidentius iudicare de hac re non possimus, quid refert, utrum Varronis rerum divinarum librum III an Ateii Capitonis libros de iure pontificio vel sacrificiorum Verrii fontem fuisse putemus? Minime vero ex libris d. l. l. talia hausit Verrius.

Liber VI: „De aedibus sacris." Varronem hoc in libro disputavisse constat de eiusmodi rebus, quas protulit s. v. *Aedis* p. 13, 3 Paulus (= Varro d. l. l. V, 160, cf. VI, 11), cum Servius

ad Aen. II, 512 adnotet, Varronem etymologiam *aedis* verbi *libro rerum divinarum sexto intulisse.* Qua cum glossa arte coniunctum est vocabulum *Aedituus* Pauli p. 13, 6 (= Varro d. l. l. VII, 12; VIII, 61). Eodem spectant etiam haec vocabula: *Templum* p. 367, 14 = Varro d. l. l. VII, 6; *Contemplari* p. 38, 10 = Varro d. l. l. VII, 6, 7, 9; *Tesca* p. 356 a 14 = Varro d. l. l. VII, 10; *Fanum* p. 88, 1 et *Fana* p. 93, 17 = Varro d. l. l. VI, 54; *Magmentatum* p. 126, 4 = Varro d. l. l. V, 112; *Profanum* p. 229 b 7 et p. 253 a 26 = Varro d. l. l. VI, 54. In glossa *Tesca* Accii quidem versus apud Varronem quoque invenitur, sed omnes aliae res omnino non possunt comparari cum Varronis d. l. l. libris.

Liber VIII: „De feriis." Varro qui VI libri d. l. l. paragraphis 12—26 de diebus deorum causa institutis verba facit, fontem esse Antiquitates dicit paragraphis 13 et 18, quas supra iam commemoravi. *Agonium dies* p. 10, 5, *Agonium ludum* p. 10, 8, *Agonias hostias* p. 10, 11 = Varro d. l. l. VI, 12; *Quirinalia* p. 254 b 3 et *Stultorum feriae* p. 317 b 12 = Varro d. l. l. VI, 13; *Fornacalia* p. 83, 8 et p. 93, 11 = Varro d. l. l. VI, 13; *Feralia* p. 85, 11 = Varro d. l. l. VI, 13; *Liberalia* p. 116, 6 et *Honorarios ludos* p. 102, 16 = Varro d. l. l. VI, 14; *Quinquatrus* p. 254 b 31 = Varro d. l. l. VI, 14; *Tubilustria* p. 352 a 21 = Varro d. l. l. VI, 14; *Fordicidis* p. 83, 13 = Varro d. l. l. VI, 15; *Pales* p. 222, 12, *Parilia* p. 245 b 34, *Parilibus* p. 237 b 22 = Varro d. l. l. VI, 15; *Vinalia* p. 374, 12 et *Calpar vinum* p. 65, 13 = Varro d. l. l. VI, 16; *Robigalia* p. 267, 1 = Varro d. l. l. VI, 16; *Furrinalia* p. 88, 16 = Varro d. l. l. VI, 19, V, 84; *Portunus* p. 242 a 1 et *Claudere* p. 56, 5 = Varro d. l. l. VI, 19; *Rustica vinalia* p. 265 a 28 et p. 289 b 10 = Varro d. l. l. VI, 20; *Consualia* p. 41, 15 = Varro d. l. l. VI, 20; *Opalia* p. 185 a 33, *Suffibulum* p. 348 a 25, *Opima spolia* p. 186 b 21 = Varro d. l. l. VI, 21—22; *Volturnalia* p. 379, 2 = Varro d. l. l. VI, 21, VII, 45; *Meditrinalia* p. 123, 15 = Varro d. l. l. VI, 21; *Fontinalia* p. 85, 3 = Varro d. l. l. VI, 22; *Armilustrium* p. 19, 6 = Varro d. l. l. VI, 22, V, 153; *Saturno dies* p. 325 a 6 et *Opima spolia* p. 186 b 21 = Varro d. l. l. VI, 22, V, 64, VII, 36; *Angeronae* p. 17, 11 = Varro d. l. l. VI, 23; *Larentalia* p. 119, 1 = Varro d. l. l. VI, 23; *Septimontium* p. 340 a 7 = Varro d. l. l. VI, 24, V, 41; *Compitalia* p. 40, 3 = Varro d. l. l. VI, 25, 29, 43; *Conceptivae feriae* p. 62, 15 = Varro d. l. l. VI, 26; *Sementivae* p. 337, 9 = Varro d. l. l. VI, 26; *Novendiales* p. 177 b 27 = Varro d. l. l. VI, 26; *Minusculae Qu.* p. 148, 4 = Varro d. l. l. VI, 17. Omnes hae etymologiae Varronianae cum Verrianis comparatae simillimae sunt. Huc accedit, ut in Verrii

articulis auctores non proferantur. Cum autem ex libris d. l. l. lemmata fluxisse non possint, quia plurima multo copiosiora sunt Varronis verbis, ut *Agonia, Stultorum feriae, Tubilustria, Palilia, Robigalia, Rustica vinalia,* ex Antiquitatibus totam partem ortam esse non sine probabilitate conicere mihi videor.

Liber IX: „De ludis circensibus.“ Huc referendos puto hos articulos, qui omnes ex libris d. l. l. sumpti esse nequeunt, utique autem Varroni sunt vindicandi; *Equiria* p. 81, 12 et *Martialis campus* p. 131, 13 = Varro d. l. l. VI, 13; *Megalesia* p. 125, 1 = Varro d. l. l. VI, 15; *Tauri ludi* p. 351 b 15 = Varro d. l. l. V, 154.

Liber X: „De ludis scenicis.“ Ex hoc libro unam glossam afferre possumus, quae extat apud Paulum p. 23, 1 s. v. *Apollinares,* apud Varronem d. l. l. VI, 19. De hac idem censendum est atque de glossis libri IX.

Libro XV, quo actum est „de deis incertis“, haec lemmata tribuenda esse arbitror: *Medius Fidius* p. 147, 8 = Varro d. l. l. V, 66, quo loco Aelii Stilonis veriloquium profertur, et *Lymphae* p. 120, 11 = Varro d. l. l. V, 71, VII, 87, qua glossa aliud veriloquium traditur atque Varro commemorat (sed idem apud Varronem VII, 87 legimus).

Ad librum XVI „de deis selectis“ scriptum articulos apud Festum et Paulum traditos spectare puto hos: *Bellona* p. 33, 8 = Varro d. l. l. V, 73; *Sol* p. 318 a 4 = Varro d. l. l. V, 68; *Mamers* p. 131, 12 = Varro d. l. l. V, 73; *Supercilia* p. 305 b 10 = Varro d. l. l. V, 69; *Dium* p. 71, 6 et 74, 15 = Varro d. l. l. V, 66; *Salacia* p. 326 a 16 = Varro d. l. l. V, 72; *Orcum* p. 202 b 28 = Varro d. l. l. V, 66; articulos *Bellona* et *Salacia* cum pleniores sint Varronis verbis, ad libros d. l. l. redire negamus. — Omnibus illis Verrii articulis cum Varronis verbis compositis me ostendisse arbitror, Verrium de illis vocabulis non libris d. l. l., sed Antiquitatibus usum esse.

Nunc vero de Verriani libri compositione quasi appendiculam addam, qua Hertzium, Reitzensteinium, Willersium secutus glossarum ordinem per singulas litteras distributum componam, ut sententiam meam supra propositam fulciam. — Verrius multorum dierum festorum nomina interpretatur, quae non omnia ad certorum scriptorum vel poetarum locos illustrandos inserta esse possunt: quae cum ex libro quodam de diebus festis scripto excerpta videantur, extemplo Varronis Antiquitatum libri in mentem veniunt, nec operam me perditurum puto illis nominibus in unum coactis. Sunt autem hae glossae: *Agonium dies* p. 10, 5; *Armilustrium* p. 19, 6; *Bacchanalia* p. 30, 9; *Comitiales dies* p. 38, 12; *Compitalia* p. 40, 3; *Con-*

sualia p. 41, 15; *Conceptivae feriae* (p. 2) p. 62, 15; *Denicales feriae* p. 70, 9; *Fordicidis* p. 83, 13; *Fontinalia* p. 85, 3; *Feralia* p. 85, 11; *Furrinalia* p. 88, 16; *Feriae statae* (p. 2) p. 92, 14; *Fornacalia* (p. 2) p. 93, 11; *Hordicidia* p. 102, 15; *Iusti dies* p. 103, 17; *Iuvenalia* p. 104, 12; *Inferiae* p. 112, 5; *Larentalia* p. 119, 1; *Lucaria* p. 119, 7; *Lustrici dies* p. 120, 19; *Meditrinalia* p. 123, 15; *Megalesia* p. 125, 1; *Matralia* p. 125, 19; *Maiis idibus* (p. 2) p. 148, 3; *Minusculae Quinquatrus* (p. 2) p. 148, 4; *Novendiales feriae* (p. 2) p. 177 b 27; *Opalia* p. 185 a 33; *Parilibus* (p. 2) p. 237 b 22; *Privatae feriae* (p. 2) p. 242 b 27; *Parilia* (p. 2) p. 245 b 34; *Pandicularis* p. 220, 19; *Proeliares dies* p. 226, 17; *Quirinalia* p. 254 b 3; *Quinquatrus* p. 254 b 31; *Rustica vinalia* p. 265 a 28; *Robigalia* p. 267, 1; *Regifugium dies* p. 278 a 6; *Regiae feriae* p. 278 a 24; *Rustica vinalia* (p. 2) p. 289 b 10; *Stultorum feriae* p. 317 b 12; *Saturno dies f.* p. 325 a 6; *Sementivae f.* p. 337, 9; *Septimontium dies* p. 340 a 7; *Servorum dies* p. 343 a 7; *Septimontio feriae* (p. 2) p. 348 b 24; *Tubilustria* p. 352 a 21; *Vinalia* p. 374, 12; *Volturnalia* (p, 2) p. 379, 2. Uno loco p. 348 b 24 s. v. *Septimontio feriae* Antistius Labeo coniunctus cum Varrone adfertur, cuius Antiquitatum rerum humanarum liber VIII commemoratur. Quam ob causam hic locus a ceteris articulis est segregandus. Quod lemmata et in prioribus et in alteris litterarum partibus dispersa sunt, nullius est momenti. Sequor enim Willersium, qui haec de duabus partibus iudicavit p. 33: „atque mihi quidem videtur Verrius collectis quas edere parabat glossis et explicationibus aliquam disponendarum rite glossarum legem temptasse, ut operis consulendi laborem minueret; postea vero cum vidisset hanc legem claudicare vixque quicquam commodi suppeditare, istam legem repudiasse glossasque, quas nondum disposuerat, ut erant collectae, edidisse.“ Sic enim illam quaestionem saepissime tractatam, qui factum sit, ut multum interesset inter duas litterarum partes, simpliciter expeditam esse putaverim.

Cap. V. De reliquis Varronis in libris V et VI locis cum Verrii glossis comparatis.

Superiore capite postquam multos et similes locos qui extant apud utrumque grammaticum ex Antiquitatibus rerum humanarum et divinarum et a Varrone et a Verrio in usum suum conversis esse ortos ostendimus, nunc ad Varronis ipsos d. l. l. libros componendos cum Verrii locis qui auctorum nominibus carent pergamus.

Varro d. l. l. libro I quasi prooemio praemisso res grammaticas, quas erat tractaturus, in tres partes, non iam in quattuor, ut in Antiquitatibus (cf. Usener, Sitzungsber. d. Münchner Akademie 1892, p. 625) distribuit, quarum in prima de etymologia, in secunda de declinationibus, quo vocabulo et declinationem proprie dictam et coniugationem et verborum derivationes comprehendebat, in tertia quae pars primam secundamque aequat magnitudine, de syntaxi disseruit. Libros II—VII, in quibus Varronem de etymologia disputasse dixi, in duas particulas partitus in II—IV quae contra etymologiam, quae pro etymologia, quae de etymologia essent dicenda, in reliquis libris, quos solos hac in quaestione respicimus, alia dispositione usus, quinto et sexto de locis et temporibus verba fecit, septimo de poeticis vocabulis ita, ut de locis, deinde de eis rebus quae in locis essent, tertio de temporibus, tum de eis quae cum temporibus essent coniuncta dissereret. Singulari igitur docendi ratione usus in libris V et VI de oratione soluta, VII de verbis a poetis positis disputat. Hanc divisionem cum libri d. l. l. iam scribi coepti essent haud feliciter a Varrone factam esse Reitzenstein libello, quem inscripsit „M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita“ 1901, p. 31 ss. docuit, cum nonnullae libri VII partes sine ulla vi inseri possent libris prioribus. Libri enim VII paragraphos 72—79, 50—51 librique VI 3—11, item libri VII paragraphos 6—7 librique V 16—18 inter se esse conexas et aptas. Quae cum ita sint, simplicissimum esse arbitror Varronis dispositionem sequi. Itaque hoc in capite de libris V et VI agam, librum septimum infra tractaturus.

Varronis libros V et VI ex diversis fontibus haustos esse viros doctos non fugit, praesertim cum complures verborum ordines manifesto inter se distinguantur. Haud pauca ex Antiquitatibus rerum humanarum et divinarum fluxisse iam O. Ribbeck Musei Rhenani volumine 41 p. 618, p. 620 coniecit. Atque ex rerum humanarum libris quae sunt de locis V, 31—33, 41—56, 146—159, 163—165, de temporibus VI, 27—34, de rebus V, 87—91, 115—117, 169—174, ex rerum divinarum libris quae de hominibus V, 83—86, de temporibus VI, 12—26, de deis V, 57—74 exponuntur repetenda sunt. Mirschius incredibili fere neglegentia in prolegomenis fragmentorum collectioni praemissis p. 25 d. l. l. V, 80—82 libris de hominibus scriptis, in fragmentorum collectione p. 133 libris de rebus adtribuit, item libri VI, 86—95 paragraphos de actionibus civilibus in Antiquitatum libris de rebus factis extitisse coniecit, non meditatus Varronem libris V et VI complura acta publica con-

sulto addidisse, ne perirent, ut Reitzenstein l. c. p. 40 primus recte iudicavit. His particulis segregatis primo loco librorum V et VI fundamenta, locorum temporumque veriloquia, perlustremus.

Varro, qui V, 14—28 de locis et VI, 3—11; VII, 50—51, 72—79 de temporibus verba fecit, eadem fere protulit quae Verrius de illorum vocabulorum veriloquiis. Ad similitudinem quandam accedunt hi utriusque scriptoris loci: *Iubar* p. 104, 2 = Varro d. l. l. VI, 6, VII, 76; *Vesperugo* p. 368, 16 = Varro d. l. l. VI, 6, VII, 50; *Septentriones* p. 339 b 2 = Varro d. l. l. VII, 74—75. In lemmate *Vesperugo* eundem Plauti versum invenimus, qui apud Varronem duobus illis locis commemoratis allatus est. *Iubaris* etymologiam ex Varronis d. l. l. locis Verrius ut cognoverit fieri non potest, cum Paulus significationem Graecam *Φωσφόρον* addat, de qua apud Varronem ne vestigium quidem indicatum videmus. *Septentrionum* quoque veriloquium ex Varrone haustum esse non potest, quia Ennii nomen in Varronis verbis deest. Praeter hos locos similitudine inter se cohaerent: *Tempestatem* p. 362, 6 = Varro d. l. l. VII, 51, 72; *Creperum* p. 52, 18 = Varro d. l. l. VI, 5, VII, 77; *Merendam* p. 123, 23 = Varro d. l. l. VI, 4; *Suppremum* p. 305 b 22 = Varro d. l. l. VI, 5, VII, 51; *Manare* p. 158 a 26 = Varro d. l. l. VI, 4; *Mane* p. 125, 14, *Matrem Matutam* p. 122, 4, *Mater Matuta* p. 161 b 3, *Manuos* p. 147, 13, *Manuos* p. 146 b 20 = Varro d. l. l. VI, 4. *Creperum* articulum ex Festi verbis Paulus in angustum coegisse mihi videtur, qui saepissime priorem lemmatis partem omittere solitus sit. Varronis etymologiae duae, quas attulit de vocabulo *Mane,* apud Verrium quoque extant s. v. *Manare,* quo cum articulo haud scio an coniuncta sint lemmata *Matrem Matutam, Mane, Manuos* p. 147, 13. Hoc ex lemmate veriloquium *Manum idem esse quod bonum* ad Aelium Stilonem redire intellegimus. Glossam *Mater Matuta,* quae huc non spectat, ex alio fonte sumptam esse puto. Etiam Verrii eae glossae, in quibus *Mater Matuta* commemoratur, ad Varronis d. l. l. libros referri non possunt.

Bruma p. 31, 14 = Varro d. l. l. VI, 8; *Aequidiale* p. 24, 5 = Varro d. l. l. VI, 8; *Autumnum* p. 23, 11 = Varro d. l. l. VI, 9. *Aequidiale* articulum qui multo accuratior est Varronis verbis, ex Varronis d. l. l. libris non pendere facile est intellectu. *Autumni* veriloquium apud Varronem lacuna in codicibus orta deest, quae fortasse sic explenda est duce Verrio: *quod tum maxime augentur hominum opes.* Minus similes sunt articuli hi: *Intempestam* p. 110, 19 = Varro d. l. l. VI, 7, VII, 72; *Iugula* p. 104, 4 = Varro d. l. l. VII, 50; *Axis* p. 3, 8 = Varro d. l. l. VII, 74. Quibus omnibus ex etymo-

logiis Verrium Varronis d. l. l. libris usum esse ut negemus adducimur.

Nunc ad locorum veriloquia transeamus quae Varro V, 14—28 explicuit. His ex vocabulis cum Verrii articulis comparare possumus haec: *Actus* p. 17, 13 = Varro d. l. l. V, 22, 34—35; *Ambitus* p. 5, 4 et 16, 16 = Varro d. l. l. V, 22, VII, 30; *Cavum* p. 46, 13 = Varro d. l. l. V, 19—20; *Caulae* p. 46, 12 = Varro d. l. l. V, 20; *Puteum* p. 217 b 7 = Varro d. l. l. V, 25, VI, 84; fr. 2; *Puticulos* p. 217 b 8 = Varro d. l. l. V, 25; *Puteolos* p. 218 a 2 = Varro d. l. l. V, 25; *Stagnum* p. 314 b 21 = Varro d. l. l. V, 26; *Stiricidium* p. 344 a 13 = Varro d. l. l. V, 27; *Amnis* p. 16, 18 = Varro d. l. l. V, 28; *Posticum* p. 220, 1 = Varro d. l. l. VII, 7. Quae Verrii lemmata ex Varronis d. l. l. libris pendere verisimile non est, quia complura ut *Ambitus, Stagnum, Posticum* magnitudine antecellunt Varronis verbis. Huc accedunt nonnulla veriloquia quae nisi apud alterum utrum scriptorem non allata sunt, item nonnulla quae apud utrumque contraria sunt, ut *Chaos* p. 52, 11 = Varro d. l. l. V, 19; *Convallis* p. 42, 6 = Varro d. l. l. V, 20; *Sudum* p. 294 a 28 = Varro d. l. l. V, 24; *Lacuna* p. 117, 8 = Varro d. l. l. V, 26; *Cohum* p. 39, 5 = Varro d. l. l. V, 18; V, 135.

Haec duo vocabulorum genera ex libris d. l. l. deducta esse nequeunt, quod aut Verrii verba saepissime fusiora aut Verrii et Varronis veriloquia nonnunquam diversa sunt. Festus nisi s. v. *Puticulos* et s. v. *Manuos* Aelium Stilonem veriloquiorum auctores non nominat. Praeterea etiam aliorum locorum ex eis quae supra commemoravimus auctorem fuisse Aelium Stilonem possumus ostendere. Varro enim d. l. l. VI, 7 Aelio veriloquium *noctis intempestae* attribuit; item Aelio Stiloni vindicanda est etymologia *Septentriones* verbi: nam Mentz in dissertatione de Aelio Stilone scripta p. 51 ss. probabilem coniecturam ad Festi lemma *Septentriones* pro *appel[lantur ut duae sint pro bu]bus* scribendum esse *apel[lantur; ut Aelius dicit a bu]bus* Gellii loco II, 21, 8 usus protulit. Ad hoc Varro V, 18 et 21 Aelii Stilonis veriloquia vocabulorum *Caelum* et *Terra* attulit, quae apud Festum et Paulum tradita non sunt. Unde fit, ut omnes glossas ex Aelii Stilonis libro quodam grammatico haustas esse putem. Haec sententia, qua ad Aelium Stilonem omnia redire existimo, eo fulcitur, quod Festus et Paulus nullo loco, quo de verbis ad loca et tempora pertinentibus disputaverunt, alium auctorem afferunt atque Aelium Stilonem, cui ob id etiam has Verrianas glossas tribuemus: *Cnephosum* p. 51, 9; *Convexum* p. 58, 18; *Centuria* p. 53, 12; *Deliquium solis* p. 73, 8; *Gnephosum* p. 95, 12;

Here p. 99, 15; *Lycophos* p. 121, 2; *Nepa* p. 165 b 22; *Substillum* p. 306 a 26; *Vergiliae* p. 372 a 9; *Pruina* p. 226, 21.

De *Nepa* vocabulo dubitari potest, cum fortasse ad Plauti Casinae v. 443 illustrandum pertineat et pendeat ex alio libro glossarum.

Quibus rebus pertractatis nunc ad aliam partem libri quinti accedamus. Reitzenstein (Quaestionibus Verrianis p. 33 adn. 2) *Porcas* lemma p. 238 b 7 traditum ad Varronis Rerum rusticarum l. I, 29, 3, ut voluerunt Mueller et Gruppius, redire negavit. Neque enim veri simile esse Verrium illo libello, quo occasione data interdum vocabulorum veriloquia essent allata, esse usum. Itaque a glossa *Imporcitor* p. 108, 9 profectus Verrium *porcae* etymologiam ex aliquo Varronis libro, quo actum esset de deo *imporcitore*, hausisse — illa enim verba in Antiquitatum rerum divinarum libro XIV extitisse arbitror cum Agabdio, qui l. s. c. p. 178 illum Pauli articulum in libri XIV fragmenta recepit [fr. 69 a et 69 b] — et Varronem libris de rebus rusticis scriptis repetiisse quae iam antea protulisset putavit. Haec res quae magna in difficultate versatur, diligentius perscrutanda mihi videtur, quod etiam libro V d. l. l. multa et similia verborum ad res rusticas pertinentium veriloquia insunt ac libris de rebus rusticis.

Initio inquirendum est, utrum Varro libris d. l. l. alium fontem atque libris Rerum rusticarum in veriloquiis eorum verborum, quae spectant ad res rusticas, illustrandis secutus sit necne. Permulta veriloquia in libris d. l. l. librisque Rerum rusticarum extantia inter se conferri possunt. Similia sunt haec: *Iugerum* d. l. l. V, 35 = Rer. rust. I, 10, 1; *Seges* d. l. l. V, 37 = Rer. rust. I, 29, 1; *Arvum* d. l. l. V, 39 = Rer. rust. I, 29, 1; *Legumina* d. l. l. VI, 66 = Rer. rust. I, 23, 2; 32, 2; *Vimina* d. l. l. fr. 2 = Rer. rust. I, 23, 5 (cf. Nonium p. 189, 16); *Caprae* d. l. l. V, 97 = Rer. rust. I, 2, 18; II, 3, 7; *Ager restibilis* d. l. l. V, 39 = Rer. rust. I, 44, 2; *Ager novalis* d. l. l. V, 39 = Rer. rust. I, 29, 1. Diligentius in libris Rer. rust. afferuntur hae etymologiae: *Via* d. l. l. V, 22, 35 = Rer. rust. I, 2, 14; *Villa* d. l. l. V, 35 = Rer. rust. I, 2, 14; *Spica* d. l. l. V, 37 = Rer. rust. I, 48, 2; *Iugum* d. l. l. V, 135 = Rer. rust. I, 10, 1; *Intermestris* d. l. l. VI, 10 = Rer. rust. I, 37, 1; *Balare* d. l. l. fr. 2 = Rer. rust. II, 1, 7; *Sus* d. l. l. V, 96 = Rer. rust. II, 4, 9; *Lepus* d. l. l. V, 101 = Rer. rust. III, 12, 6; *Ocimum* d. l. l. V, 103 = Rer. rust. I, 31, 4, item in libris d. l. l. hae: *Actus* d. l. l. V, 22, 34 = Rer. rust. I, 10, 2; *Centuria* d. l. l. V, 35 = Rer. rust. I, 10, 2; *Stamen* d. l. l. V, 113 = Rer. rust. I, 50, 3; *Alba* d. l. l. V, 144 = Rer. rust. II, 4, 18; *Aegeum mare* d. l. l. VII, 22 = Rer. rust. II, 1, 8.

Non modo similes etymologiae in utroque libro inveniuntur, sed etiam diversae. Horum enim vocabulorum veriloquia dissentiunt: *Sulcus* d. l. l. V, 39 = Rer. rust. I, 29, 3; *Porca* d. l. l. V, 39 = Rer. rust. I, 29, 3; *Columba* d. l. l. V, 75 = Rer. rust. III, 7, 1; *Serpyllum* d. l. l. V, 103 = Rer. rust. I, 35, 2; *Granum* d. l. l. V, 105 = Rer. rust. I, 48, 2.

De illis quinque locis dissimilibus, quorum primum ad verbum excerpo, haec adnotanda sunt: d. l. l. V, 39: *ab eo quod aratri vomer sustulit, Sulcus; quo ea terra iacta, id est proiecta*[1]), *Porca.* Rer. rust. I, 29, 3: *qua aratrum vomere lacunam striam fecit, sulcus vocatur. quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porricit.* In vocabulis *Sulcus* et *Porca* etymologia *Sulcus* apud Varronem in Rer. rust. l. I aut parum aut omnino non significatur. Quod attinet ad *porcae* veriloquium in d. l. l. libro V prolatum, ut supra dixi p. 85, *quo ea terra porrecta, id est proiecta* scribendum arbitror. Quae verba si in contextum verborum receperimus, res nihil habet impedimenti. De *Columba* et *Serpyllo* Varro d. l. l. levius disserit, quia multa in illis libri partibus paucis verbis absolvit. Varronis verba quae extant d. l. l. V, 105, corruptiora sunt quam ut sanare possimus; sequitur ut de veriloquio verbi *Granum* quidquam certi statui non possit.

Illis XXVII locis diligenter comparatis Varronem eodem fonte usum esse facile cognoscimus. Ex libris d. l. l. prius scriptis orti esse nequeunt, quod multi ex eis maiore diligentia sunt tractati. Varronem etymologias aliorum grammaticorum novisse ex Rer. rust. libro III, 12, 6 intellegimus, quo loco L. Aelii veriloquium vocabuli *Lepus* adhibet.

Nunc primum Varronis etymologias in Rebus rust., deinde in libris d. l. l. traditas comparemus cum Festi veriloquiis. Sunt enim loci XXIII Rerum rusticarum, ex quibus apud Festum vel Paulum accuratius tractati sunt hi: *Sulci* Rer. rust. I, 29, 3 = p. 302 b 4; *Restibilis* Rer. rust. I, 44, 2 = p. 281 b 15; *Subrumari* Rer. rust. II, 1, 20 = p. 306 b 32; *Nefrendes* Rer. rust. II, 4, 17 = p. 162 a 12; *Tauras* Rer. rust. II, 5, 6 = p. 352 a 15; *Caprae* Rer. rust. I, 2, 18, II, 3, 7 = p. 48, 14; *Centuria* Rer. rust. I, 10, 2 = p. 53, 12. Similes sunt quindecim: *Arvum* Rer. rust. I, 29, 1 = p. 25, 12; *Seges* Rer. rust. I, 29, 1 = p. 340 b 31; *Offringi* Rer. rust. I, 29, 2, I, 32, 1 = p. 199, 3; *Occare* Rer. rust. I, 31, 1 = p. 181 a 24; *Capreoli*

1) Augustinus corr. *porrecta*.

Rer. rust. I, 31, 4 = p. 57, 16; *Ocimum* Rer. rust. I, 31, 4 = p. 181 b 7; *Gluma* Rer. rust. I, 48, 1—2 = p. 55, 13 et 98, 8; *Aegeum mare* Rer. rust. II, 1, 8 = p. 24, 10; *Italia* Rer. rust. II, 1, 9. 5, 3 = p. 106, 7; *Rumis* Rer. rust. II, 1, 20. 11, 5 = p. 270 a 21; *Horda* Rer. rust. II, 5, 6 = p. 102, 15; *Melium* Rer. rust. II, 9, 15 = p. 151, 4; *Melicae* Rer. rust. III, 9, 19 = p. 124, 10; *Cuniculum* Rer. rust. III, 12, 6 = p. 50, 4; *Porca* Rer. rust. I, 29, 3 = p. 108, 9; *Porca* Rer. rust. I, 29, 3 = p. 238 b 7. Dissimiles sunt duo loci: *Novalis ager* Rer. rust. I, 29, 1 = p. 174 a 16 et *Porca* Rer. rust. I, 29, 3 = p. 218 b 16. Incommode accidit ut Festi glossam *Novalem agrum* mutilam Aelii Stilonis esse pro certo affirmare nequeamus, quamquam probabile videtur. Quo fit, ut de illa dissimilitudine firmissimam sententiam pronuntiare non possimus. Optimum igitur erit, rem in dubio relinquere. Glossa *Porcae* p. 218 b 16 quod diversa etymologia profertur, nullius est momenti, quia duobus aliis locis (p. 238 b 7 et p. 108, 9) idem veriloquium commemoratur atque a Varrone illo Rer. rust. loco. Cui difficultati optime occurri ita potest, ut ab alio scriptore illam etymologiam propositam et a Verrio libro insertam esse censeamus. Quae cum ita sint, apud Festum et Varronem libris Rer. rust. omnes etymologias prolatas similitudine quadam inter se cohaerere videmus, sed rem non ita esse mihi persuasi, ut Verrium ex Rer. rust. libris hausisse putemus, quia Verrius insuper multa veriloquia vocabulorum ad res rusticas pertinentium protulit, quae non extant in Rer. rust. libris, nisi vero Verrium Varronis etymologias libro suo addidisse et indicem supplevisse ex alterius scriptoris libris plenioribus arbitramur, quod qui Verrianis studiis operam dederit nemo affirmabit. Nunc fundamentis quaestionis positis locos qui pertinent ad res rusticas, Varronis et Verrii similes inter se conferamus.

Varro compluribus libri V partibus inter se conexis de eiusmodi rebus disserit, ut paragraphis 34—40 de locis rusticis, 75—79 de animalibus, 95—99 de pecore, 100—101 de feris, 102—104 de herbis et virgultis, denique 134—140 de instrumentis rusticis. Omnibus de partibus breviter agamus.

Primum nobis erit dicendum de locis. Similes sunt hi: *Vindemia* d. l. l. V, 37 = *Olivetam* p. 192, 6; *Vineae* d. l. l. V, 37 = p. 376 a 12; *Seges* d. l. l. V, 37 = p. 340 b 31; *Area* d. l. l. V, 38 = p. 11, 6; *Arvum* d. l. l. V, 39 = p. 25, 12; *Restibilis* d. l. l. V, 39 = p. 281 b 15; *Porcas* d. l. l. V, 39 = p. 108, 9, p. 218 b 16, p. 238 b 7; dissimiles hi: *Novalis ager* d. l. l. V, 39 = p. 174 a 16; *Fundus* d. l. l. V, 37 = p. 89, 1; *Sulci* d. l. l. V, 39 = 302 b 4. *Fundi* verbi unum veri-

loquium afferre Paulus satis habuit, utpote qui saepissime a Festo prolata omiserit. De lemmate *Novalis ager* antea iam dixi; *Sulcus* articuli argumentum alienum est a libro glossographico et potius ex libris, qui ad antiquitates vel leges explicandas spectabant, haud scio an sit sumptum.

Nunc veniamus ad animalium nomina. Similes sunt hi loci: *Greges* d. l. l. V, 76 = p. 97, 19; *Noctua* d. l. l. V, 76 = p. 174 a 4; *Merula* d. l. l. V, 76 = *Merum* p. 124, 4; *Lingulaca* d. l. l. V, 77 = p. 117, 1; *Cybium* d. l. l. V, 77 = p. 52, 15; *Mergus* d. l. l. V, 78 = *Mergae* p. 124, 1; *Alcedo* d. l. l. V, 79 = p. 7, 16; *Fiber* d. l. l. V, 79 = p. 90, 3. Dissimilis est unus locus: *Graguli* d. l. l. V, 76 = p. 97, 17. Varro satis breviter etymologiam *Graguli* profert, Pauli autem alterum veriloquium *a sono oris* Stoicorum rationem olet, alterum quod est *a gerendo* stultum est. Haec altera etymologia, quae nullo modo conferri potest cum Varronis verbis, ex augurum libris haud scio an fluxerit.

Nunc ad pecoris et ferarum veriloquia accedamus, e quibus apud utrumque sunt similia: *Fedus* d. l. l. V, 97 = *Foedum* p. 84, 5; *Cervi* d. l. l. V, 101 = p. 54, 15; *Boare* d. l. l. fr. 1 = p. 30, 4; *Capra* d. l. l. V, 97 = p. 48, 14; *Balare* d. l. l. fr. 2 = *Barrire* p. 30, 7; *Gannire* d. l. l. fr. 3 = *Gannitio* p. 99, 1; *Hinnitus* d. l. l. fr. 2 = *Bombizatio* p. 30, 3; dissimilia haec: *Armentum* d. l. l. V, 96 = p. 4, 3; *Agnus* d. l. l. V, 99 = pp. 6, 12 et 14, 8. *Armentum* articulum ex libro quodam glossographico ad Ennii verbum *armenta* illustrandum esse haustum persuasum habeo, ut illud lemma praetermittendum sit. Ad verbum *agnum* Pauli duo loci spectant, quorum alterum p. 14, 8 in rerum sacrarum libris extitisse arbitror. De vocabulo *agnus* p. 6, 12 res dubia est.

De herbarum nominibus hos locos conferre possumus: *Ocimum* d. l. l. V, 103 = p. 181 b 7; *Milium* d. l. l. V, 106 = p. 157 a 17; *Brassica* d. l. l. V, 104 = p. 31, 18; *Asparagus* d. l. l. V, 104 = p. 19, 11; *Luma* d. l. l. V, 137 = p. 120, 15; *Orchitis* d. l. l. V, 108 = p. 181 b 18. *Milium* lemma quod magnitudine Varronis locum superat, ex Varrone d. l. l. pendere nequit et *Orchitin* articulum omittamus necesse est, quem Ateii Philologi esse cognoverimus.

De instrumento rustico similes loci hi sunt: *Rutrum* d. l. l. V, 134 = p. 262 b 21; *Irpices* d. l. l. V, 136 = p. 105, 16; *Ventilabrum* d. l. l. V, 138 = *Evelatum* p. 77, 15, dissimilis hic: *Cohum* d. l. l. V, 135 = p. 39, 4. *Rutrum* vocabulum apud Festum accuratius explanatum ex Varronis loco haustum esse nequit. Quod attinet ad hanc varietatem in verbo *Cohum,* Pauli etymologia minus

probabilis est quam Varronis. Verrium Flaccum complures etymologias attulisse puto, ex quibus Paulus quae optima videretur excerpsit.

Quos locos diligentius animo contemplati Verrium Varronis d. l. l. libris ad illos articulos scribendos usum non esse intellegimus, quia Festi lemmata partim accuratiora sunt Varronis verbis, partim argumentis discrepant a Varrone. Quae cum ita sint, facere non possumus quin Verrii glossemata ad eiusmodi res spectantia perlustremus, numquid fontem totius difficultatis aperiat.

Verrius de locis hos attulit articulos: *Area* p. 11, 6; *Arvum* p. 25, 12; *Codeta ager* p. 38, 17; *Cohum* p. 39, 4; *Compascuus ager* p. 40, 1; *Centuria* p. 53, 12; *Elices* p. 76, 2; *Fundus* p. 89, 1; *Hortus* p. 102, 11; *Limites* p. 116, 2; *Limitatus ager* p. 116, 3; *Nemora* p. 162 a 22; *Novalem* p. 174 a 16; *Porcae* p. 218 b 16; *Porcas* p. 238 b 7; *Restibilis* p. 281 b 15; *Solum* p. 298 b 33. De *codeta agro* dubitari potest, quod, ut Pauli glossa p. 58, 4 ostenditur, locus geographicus trans Tiberim fuit et Antiquitatum rerum humanarum esse potest. De *Hortus* quoque vocabulo res incerta est, quia Plinius N. H. l. XIX, 4, 50 pro 'villa' *hortum* in XII tabulis extitisse dicit, ex quibus legibus allatum esse potest. Praetera verba *Nemora* et *Solum* omittenda sunt, quod poetarum verba illustrant, item *Novalem agrum,* qua glossa *Aelius [Stilo et . . . sed C]incius* nominantur.

De animalibus apud Verrium haec extant lemmata: *Alcedo* p. 7, 16; *Amian* p. 21, 9; *Aquipenser* p. 22, 13; *Apua* p. 22, 18; *Aves* p. 29, 13; *Bocas* p. 30, 6; *Ballena* p. 30, 8; *Bova* p. 30, 13; *Ballenam* p. 31, 4; *Burrum* p. 31, 6; *Basiliscus* p. 31, 8; *Buteo* p. 32, 7; *Coturnix* p. 37, 4; *Cicindela* p. 42, 13; *Circanea* p. 43, 1; *Cappas* p. 44, 1; *Cancri* p. 46, 2; *Dagnades* p. 68, 15; *Diox* p. 75, 3; *Fiber* p. 90, 3; *Fringilla* p. 90, 14; *Graguli* p. 97, 17; *Herbilis* p. 100, 13; *Involvus* p. 112, 8; *Immusulus* p. 113, 16; *Lingulaca* p. 117, 1; *Melicae* p. 124, 10; *Melancoryphi* p. 124, 15; *Noctua* p. 174 a 4; *Orca* p. 181 b 28; *Orata* p. 182 b 13; *Opilio* p. 191, 2; *Pelamys* p. 207, 2; *Rhinocerotem* p. 270 b 8; *Solipugna* p. 301 b 3; *Stellionem* p. 313 b 13; *Sargus* p. 322 b 20; *Saperda* p. 325 b 7; *Spintyrnix* p. 330 b 34; *Todi* p. 352 a 18; *Tippula* p. 366, 5; *Truo* p. 367, 10. Quarum glossarum ab ordine seiungamus necesse est ea lemmata, quae ad poetarum vel scriptorum verba explananda spectant, ut glossam *Spintyrnix,* in qua poetae nescio cuius verbis Santrae nomen additum est, glossas Plautinas *Fiber, Tippula* coll. Nonio p. 180, 8, *Todi,* quae cum

articulis *Diobolares* p. 74, 6, *Schoeniculas* p. 329 b 32, *Miracula* p. 123, 5, *Crocotillum* p. 52, 20, *Crusculum* p. 53, 1, *Succrotilla* p. 301 b 19, *Prosedas* p. 226, 2, *Alicariae* p. 7, 18 ex duobus Plauti versibus sumptis cohaeret, *Truo* glossam Caecilianam, *Sargus* Lucilianam, item *Herbilis anser* teste Servio ad Verg. Georg I, 129 *(nonnumquam pro foetore ponitur virus, ut apud Lucilium „anseris herbilis virus")*. Praeterea relinquenda est glossa *Alcedo*, quae lemmatum *Alumento* p. 18, 4, *Catamitum* p. 44, 6, *Melo* p. 124, 12 simillima ex perpetuo verborum contextu allata esse videtur. Denique huc non pertinent animalium ea nomina quae in augurali disciplina usui fuerunt, ut propter *Alites* glossam p. 3, 5 articuli *Buteo, Circanea* (collatus cum *Supervaganea* lemmate p. 305 b 6), *Immusulus* (praecipue alter locus p. 112, 3); *Oratam* glossam in cognominum ordine ponendam esse, qui e Varronis libris exscriptus sit, Willers l. c. p. 17 s. ostendit.

De pecore et feris Verrius hos excerpsit articulos: *Armentum* p. 4, 3; *Ambidens* p. 4, 17; *Agnus* p. 6, 12; *Adasia* p. 12, 13; *Avillas* p. 14, 7; *Agnus* p. 14, 8; *Apica* p. 25, 13; *Bucerum pecus* p. 32, 3; *Biseta* p. 33, 12; *Bovem bidentem* p. 35, 2; *Camara et camuri boves* p. 43, 17; *Cantherius* p. 46, 8; *Cervus* p. 54, 15; *Cercolopis* p. 54, 13; *Clunas* p. 55, 9; *Colluviaris* p. 57, 8; *Depubem* p. 71, 23; *Dissulcus* p. 72, 14; *Deteriae* p. 73, 5; *Faustulum* p. 93, 15; *Iniuges* p. 113, 19; *Insignes* p. 114, 7; *Nefrendes* p. 162 a 12; *Passales* p. 222, 19; *Plauti* p. 230 a 3; *Pulcher bos* p. 238 b 16; *Pascuales oves* p. 242 a 29; *Sectarius* p. 336, 8. Etiam ex hoc grege complures etymologiae sunt eximendae, ut *Armentum* Ennianum glossema collato Nonio p. 190, 20, *Pascuales* Catonianum, *Passales* collatum cum Festi articulis *Pascuales* p. 242 a 29 et *Solox* p. 301 a 6; *Sectarius vervex* glossa haud scio an ad Plauti Captivorum v. 820 referenda sit (cf. Leidolph dissertatione de Festi et Pauli locis Plautinis scripta, Comment. Philol. Ien. II, p. 236). Multa quoque illorum glossematum veriloquia ex libris iuris divini originem duxisse puto, ut *Ambidens, Bovem bidentem, Pulcher bos,* quas explicationes Willers p. 10 ss. C. Ateio Capitoni attribuit, quibus fortasse *Insignes* articulum addere possimus. *Nefrendes* glossema huc non spectat, quo complures viri docti ut Q. Mucius Scaevola, Ateius Philologus, fortasse Aelius Stilo nominentur: cf. Reitzensteinii Quaestiones Verrianas p. 91, adn. 1.

De herbis et virgultis haec Verrii lemmata in unum cogere possumus: *Asparagus* p. 19, 11; *Atriplexum* p. 29, 3; *Batus* p. 30, 15; *Brassica* p. 31, 18; *Blitum* p. 34, 8; *Culliola* p. 50, 12; *Clumae*

p. 55, 13; *Corda* p. 65, 10; *Ervum* p. 82, 21; *Fenum* p. 86, 3; *Farsenum* p. 88, 13; *Farrago* p. 91, 14; *Gluma* p. 98, 8; *Gulliocae* p. 98, 12; *Helus* p. 100, 1; *Hedera* p. 100, 11; *Horreum* p. 102, 6; *Helvela* p. 103, 7; *Lotos* p. 119, 5; *Luma* p. 120, 15; *Milium* p. 157 a 17; *Nautea* p. 165 b 27; *Orchitin* p. 181 b 18; *Quercus* p. 259, 1; *Ruscum* p. 262 b 31; *Suberies* p. 294 a 14; *Saccomorum* p. 317 b 34; *Salicem* p. 329 a 27; *Scandulaca* p. 330 a 10; *Sedum* p. 343 a 25. Huic quoque herbarum ordini poetica verba insunt, ut *Nautea,* qua glossa ad Plauti Artemonis versum quendam Aurelius Opilius et nescio quis ignotus afferuntur, *Ruscum* glossema Catonianum, *Suberies* Lucilianum, *Saccomorum* Pomponianum; *Orchitis* glossa quae Ateii Philologi, *Sedum* quae Opilii Aurelii est, sunt omittendae, item ut verba poetica.

His glossarum ordinibus perlustratis illa nomina non omnia ad certorum poetarum scriptorumque locos explicandos proposita esse cognovimus. Itaque ex libro quodam excerpta esse videntur, quo de illis nominibus uno tenore agebatur. Nomina allata sunt Q. Mucii Scaevolae s. v. *Nefrendes,* Ateii Philologi s. v. *Orchitis* et s. v. *Nefrendes,* Aurelii Opilii s. v. *Nautea;* Aelii Stilonis fortasse addere possumus s. v. *Novalem agrum,* qua glossa etiam Cincius commemoratur. Nulli horum iuris consultorum vel grammaticorum, Mucio Scaevolae, Ateio Philologo, Cincio, talem librum attribuere possumus nisi Aurelio Opilio vel Aelio Stiloni. Neque falso nos suspicari arbitror, praesertim cum similitudinem illorum locorum facillime repetere possimus ex communi fonte, quo Varro et Verrius usi sint. Unde optime de Varronis aequali quodam vel superiore grammatico cogitabimus. Aurelii Opilii aliae eiusmodi explicationes non extant, extant autem Aelii Stilonis, cui Varrone in Rebus rust. teste veriloquium *leporis,* libris d. l. l. *volpis* adscribenda sunt. Praeterea ex eius fragmentis sex etymologias, verborum *Alae* (cf. Servium ad Verg. Georg. I, 75), *Triones* (cf. Gellium N. A. II, 21, 8), *Lucus* (cf. Quintilianum, Inst. or. I, 6, 33), *Summa terrae* (cf. d. l. l. V, 22), *Novalem agrum, Nefrendes* (utrumque veriloquium apud Festum traditum), afferre possumus. Itaque Aelio Stiloni talem librum etymologicum attribuere audacius esse nego. *Nefrendes* glossam Reitzenstein l. c. p. 91 adn. 1, profectus a *Rienes* p. 277, 13, quae glossa proxima extat Aelianae, Aelio Stiloni recte vindicavit et ex Saliorum carminis interpretatione haustam esse putavit. Cui sententiae, quam falsam esse docere nequeam, tamen illud opponam, Aelium Stilonem eodem iure videri etiam in hoc libro etymologico de illo vocabulo verba fecisse, quae opinio exemplis supra allatis commendatur.

Quibus rebus explanatis Varro a libri V paragrapho 105 de victu, vestitu, instrumento verba facere pergit auctoribus veriloquiorum non allatis, nisi quod initio partis de victu scriptae Apollodorum affert, item de vestitu Polybium et Callimachum. De vocabulis quae ad id verborum genus pertinent Varronem in libris de vita populi Romani factis quattuor egisse Nonius permultis locis testatur. Apud Verrium Flaccum Varronis de vita populi Romani libros excerptos extitisse neque ex Festi neque ex Pauli verbis concludere possumus. Uno tamen loco s. v. *Religionis* p. 285 a 34 lacuna sic expleta est *[in libris de vita populi Romani] Varro,* quod supplementum audacius est quam cui confidamus. Quo fit, ut cautionem his in verbis cum Verrio componendis adhibeamus, quamquam non sine veritatis specie est, Verrium illos quattuor libros, in quibus tot tantaeque res erant tractatae, victus, vestitus, instrumentum, ritus nuptiales et sepulcrales, res militaris, quibus omnibus de rebus summa diligentia Varronem disseruisse ex fragmentis plerumque apud Nonium servatis intellegimus, consulto non neglexisse. H. Kettner libello quem inscripsit „M. Terenti Varronis de vita populi Romani quae extant“ Halis 1863 fragmenta colligere et disponere prolegomenis de temporibus et dispositione praemissis conatus est, cui officio videtur satis fecisse.

Ex Varronis verbis de victu p. 105—112 factis cum Verrii articulis comparare possumus: *Elixa* p. 76, 17 = d. l. l. V, 109; *Glomus* p. 98, 4 = d. l. l. V, 107; *Hira* p. 101, 6 = d. l. l. V, 111; *Caseus* p. 48, 2 = d. l. l. V, 108, VI, 43. Verba *Elixa* et *Hira* in utriusque grammatici libris simillime explanantur; *Hirae* veriloquium ut ex libris d. l. l. repetitum sit fieri non potest, quia Paulus *νῆστιν* verbum attulit, de quo apud Varronem nihil legimus. *Caseus* et *Glomus* verborum explicationes dissimiles sunt. Varronem autem praeter illam libri V partem etiam libro I de vita populi Romani de eiusmodi vocabulis disseruisse Nonius testis est, ut sub verbis *Murrina, Lorea, Sapa, Passum, Defrutum, Moriolam* ex ordine positis p. 551 et s. v. *Elixum* p. 62, 8, quod glossema plane consentit cum Varrone.

Deinde Varro paragraphis 118—127 de instrumento egit, inprimis de vasorum nominibus, quae apud Verrium tradita Willers l. c. p. 5 ss. congessit. Similia sunt haec vasorum veriloquia et a Varrone et a Verrio commemorata: *Escariae mensae* p. 77, 11 et *Cillibae* p. 43, 9 = d. l. l. V, 118; *Antroare* p. 9, 12 et *Bacrionem* p. 31, 1 = d. l. l. V, 118; *Matula* p. 125, 18 et *Matellio* p. 126, 3 = d. l. l. V, 119; *Capis* p. 48, 9 et *Capulum* p. 61, 12 =

d. l. l. V, 121; *Candelabrum* p. 46, 7 = d. l. l. V, 119; *Nanum* p. 177 b 5 = d. l. l. V, 119; *Patellae* p. 249 b 17 = d. l. l. V, 120; *Cana* p. 45, 19 = d. l. l. V, 120; *Lepista* p. 115, 6 = d. l. l. V, 123; *Fons* p. 84, 16 = d. l. l. V, 123; *Simpulum* p. 337, 10 = d. l. l. V, 124; *Calix* p. 47, 1 = d. l. l. V, 127; dissimile est *Aqua* p. 2, 14 = d. l. l. V, 123.

Quibus ex vocabulis *Bacrio* et *Patellae* ex Varronis d. l. l. locis pendere nequeunt, cum *Bacrio* nomen apud Varronem desideretur et *Patellae* veriloquium accuratius tractatum sit a Verrio. Primo quoque de vita pop. Rom. libro Varro de vasorum nominibus disseruit teste Nonio qui complures tales locos attulit, ut *Lepista* p. 547, *Sinum* p. 547, *Armillum* p. 547, *Trulleum* p. 547, *Calpar* p. 546, *Urnula* p. 544; ex libro tertio afferre possumus glossemata *Creterra* p. 547 et *Cadi* p. 544. Plurima sine dubio verba de vasis illis libro I fecit, praesertim cum apud Nonium s. v. *Urnula* p. 544 Varronem libro I *creterrae* iam mentionem fecisse legamus et ex Nonii articulis *Urnula* p. 544 et *Cymbia* p. 545 Varronem libro I praeterea *Aquales, Matulas, Sinos, Cymbia, Culignas, Pateras, Guttos, Sextarios, Simpuvia* tractasse cognoscamus. Quod attinet ad glossam *Aquam,* Pauli explicatio stultior est quam ut de hac discrepantia plura disseramus. Paulus enim maximam partem Festini cuiusque articuli omittere solitus est.

De vestitu Varro paragraphis 113—114 et 129—133 disputavit; quibus ex veriloquiis haec Verrii lemmata sunt similia: *Amiculum* p. 28, 14 = d. l. l. V, 132 et *Supparus* p. 310 a 10 = d. l. l. V, 131. *Supparus* articulus, quem Festus diligentius tractavit Varrone, ad d. l. l. libros referri non potest; idem de glossa *Ricinium* p. 274 b 32 = V, 132 censeamus necesse est. Dissimilis est *Laena* glossa p. 117, 10 = d. l. l. V, 133. De glossis *Mundus* p. 142 a 16 = d. l. l. V, 129 et *Subuculam* p. 309 a 25 = d. l. l. V, 131 ut aliquid certius statuamus fieri nequit, cum veriloquia in Festi codice non extent.

Grammaticos Romanos de rebus, quae ad vestitum pertinent, ordine et singularibus libris disseruisse Nonius docet, qui colligendis his nominibus intentus erat libro XV Compendiosae doctrinae, quo de generibus vestimentorum agebat p. 536—543. Permultis locis Varronis de vita pop. Rom. librum I in usum suum convertit, ut s. v. *Toga* p. 540, *Ricinium* p. 542, *Capitia* p. 542, *Subucula* p. 542, et librum III, ut s. v. *Carbasus* p. 541, *Plagae* p. 537, *Aulaea* p. 537.

Paragraphis 166—168 Varro lectulorum veriloquia affert,

ex quibus cum Verrio compositis similes sunt hi loci: *Lectus* p. 115, 3 = d. l. l. V, 166 et *Culcita* p. 50, 8 = d. l. l. V, 167, sed non ita, ut ex Varronis d. l. l. libris excerpserit Verrius, cum Paulus s. v. *Lectus* tertiam etymologiam *ab alliciendo* attulerit, quam in Varronis verborum contextu desideramus. Huc accedunt dissimiles loci *Torum* p. 355 a 1 = d. l. l. V, 167 et *Δέῤῥεις* p. 70, 7 = d. l. l. V, 166, nisi vero Verrium eos ex alio scriptore addidisse arbitramur. De eiusmodi vocabulis Varronem primo de vita pop. Rom. libro verba fecisse ex Nonio p. 86, 3 intellegimus, qui s. v. *Culcita* Varronis librum I attulit.

Etsi de vasorum, ciborum, vestimentorum, lectulorum nominibus certam sententiam proferre non possumus, tamen maximam probabilitatis speciem prae se fert utrumque scriptorem de vita pop. Rom. libris usum esse, ita ut Varro d. l. l. libris ex illo libro quam brevissime excerperet, Verrius diligentissime veriloquia insereret, quae Festus postea in angustissimum coegit. Illae similes etymologiae attribuendae sunt utique certo cuidam auctori, quem Varronem in libris d. l. l. fuisse pernegamus.

Praeterea ad primum de vita pop. Rom. librum pertinere puto glossam s. v. *Assiduus* p. 9, 9 = d. l. l. VII, 99. Nonius enim p. 67, 18 s. v. *Proletarios* dicit haec: *Varro de vita pop. Rom. lib. I: quibus pecunia erat satis, locupletis, adsiduos; contrarios proletarios, adsiduo neminem vindicem voluerunt nisi adsiduum, id est locupletem.* Gellius l. XVI, 10, 5 plenius haec tradit: *Nam Q. Ennius verbum hoc ex duodecim tabulis vestris accepit, in quibus, si recte commemini, ita scriptum est: assiduo vindex assiduus esto. Proletario iam civi quis volet vindex esto* et l. XVI, 10, 15: *„Assiduus" in duodecim tabulis pro locuplete et facile facienti dictus aut ab aere dando, cum id tempora rei publicae postularent, aut a muneris pro familiari copia faciendi assiduitate.* Auctorem illius veriloquii affert Cicero Top. II, 10 hoc modo: *Cum lex assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti; locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab aere dando.* His verbis Aelius Stilo, non Aelius Gallus est intellegendus, quem ad duodecim tabulas adnotationes fecisse constat. Pauli locum ex Aelii Stilonis commentario haustum non esse inde liquet, quod ille haud scio an tria trium grammaticorum veriloquia afferre non potuerit. Itaque illum Pauli locum ex Varronis de vita pop. Rom. libro I fluxisse censeo.

Libro II Pauli glossam s. v. *Curia* p. 49, 1 = d. l. l. VI, 46 mitto. Haec verba ut ex Varronis d. l. l. libris sumpta esse nequeunt,

ita ex libro II de vita pop. Rom. fluxisse non est cur negemus; namque Nonius p. 57, 1 haec tradit: *Curiam a cura dictam Varro designat de vita pop. Rom. lib. II: itaque propterea locus quoque, quo suam quisque domo senator confert curam, curia appellatur.*

Multo manifestiora sunt exempla e libro III allata. De eis iam Kettner l. l. p. 11, Goetz Quaestionum Varronianarum p. 6, Reitzenstein Quaestionum Verrianarum p. 30 sqq. sagaciter disseruerunt. *Dilectus* p. 73, 16 = d. l. l. VI, 66; *Accensi* p. 18, 6 = d. l. l. VII, 58; *Velati* p. 369, 4 = d. l. l. VII, 57; *Adscriptivi* p. 14, 13 = d. l. l. VII, 56; *Ferentarii* p. 85, 7 et 93, 14 = d. l. l. VII, 57; *Rorarios* p. 264, 8 = d. l. l. VII, 58. Kettner quae protulerat, verba de *rorariis* facta sola ex libris d. l. l. repetita, ceteras glossas ex libro III de vita pop. Rom., falsa esse docuit Reitzenstein, qui glossas illas continuas et ex uno libro ortas esse Goetzium secutus ostendit. Glossam *dilectus* cum aliis glossis s. c. coniunctam esse ex Nonii verbis intellegimus, quae extant p. 57, 4: *Legionum proprietatem a dilectu militum Varro de vita pop. Rom. lib. III dictam interpretatur „tum appellatus est dilectus ab electione, et legio. ab hac supervacaneorum consuetudine adscriptivi“. Accensi* etymologiam a Varrone etiam Antiquitatum libro XX fuisse positam Nonius p. 59, 1 ostendit: *Accensi genus militiae est administrantibus proximum. Varro Rerum humanarum lib. XX: Ut consules ac praetores qui sequuntur in castra accensi dicti, quod ad necessarias res saepius acciantur, velut accensiti.“ — hi, quos nunc dicimus, deputati.* Pauli verba accuratissime congruunt cum Nonio p. 520, 5: *Decuriones et centuriones a numero, cui in militia praeerant, dicebantur; accensi, qui his accensebantur, id est adtribuebantur. Varro de vita pop. Rom. lib. III: qui quidem ascribtivi, cum erant adtributi decurionibus et centurionibus, quia eorum augebant numerum, accensi vocabantur. Eosdem etiam quidam vocabant ferentarios, quia pugnabant fundis et lapidibus, his armis quae ferrentur, non quae tenerentur* et p. 554, 23: *Ferentarii, levis armatura, qui cui opus esset auxilium ferrent excursu levi, armis gravibus non impediti. Cato de re militari: inde partem equitatus atque ferentarios praedatum misit* et p. 552, 30: *Rorarii appellabantur milites qui, antequam congressae essent acies, primo non multis iaculis inibant proelium: tractum quod ante maximas pluvias caelum rorare incipiat. Lucilius e. q. s. Varro de vita pop. Rom. lib. III: rorarii appellati, quod imminentibus imbribus fere primum rorare incipit.* Apud Varronem et d. l. l. et de vita pop. Rom. Catonis liber de re militari commemoratur. Omnes

igitur Pauli glossas supra allatas ad librum de vita pop. Rom. III referendas esse persuasum habeo.

Paragraphis 141—165 Varro ad aedificia tractanda transit, quod caput cum aliis libri V partibus non cohaeret. Conferri possunt cum Verrii articulis verba *Lautumias* p. 117, 11 = d. l. l. V, 151; *Domus* p. 67, 11 = d. l. l. V, 160; *Cella* p. 66, 9 = d. l. l. V, 162; *Impluvium* p. 108, 14 = d. l. l. V, 161; *Compluvium* p. 108, 14 = d. l. l. V, 161; *Angiportus* p. 17, 10 = d. l. l. V, 145; *Atrium* p. 13, 10 = d. l. l. V, 161; *Oppidum* p. 184, 5 et p. 202 b 24 = d. l. l. V, 141, 153. Veriloquia verborum *Lautumias, Domus, Cella, Impluvium, Compluvium, Oppidum* simillima sunt apud utrumque scriptorem. Illa verba allata non pendere ex libris d. l. l. glossae *Angiportus* et *Atrium* ostendunt, quae quamquam ad maximam similitudinem accedunt, tamen apud Paulum diligentius tractatae sunt quam apud Varronem. Dignum est quod commemoretur *Impluvium* et *Compluvium* verba a Varrone et a Verrio deinceps uno tenore explanata esse. Quas glossas apud Paulum et Varronem traditas ad eundem auctorem redire consentaneum est, sed cui assignandae sint, diiudicare non audeam.

Easdem in difficultates incidimus, si de paragraphis 175—183 aliquid certius statuere conamur. Veriloquia enim verborum *Dotem* p. 69, 7 = d. l. l. V, 175; *Donum* p. 69, 4 = d. l. l. V, 175; *Munus* p. 140, 12 = d. l. l. V, 179; *Sors* p. 297 b 8 = V, 183, VI, 65 apud Verrium et Varronem similia quidem sunt, sed ex libris d. l. l. Verriana excerpta esse nequeunt. Huc accedit, ut de *Tributum* vocabuli veriloquio (p. 367, 8 = d. l. l. V, 181) Varro et Verrius inter se discrepent.

Restant paragraphi 92—94 libri V et 35—96 libri VI. Illam partem V, 92—94, qua dispositio libri diligenter conservata turbatur, a Varrone libro insertam esse liquet: cf. Reitzenstein „M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita“ p. 39 adn. 2 et 41 adn. 2. Veriloquia ibi prolata (*Mendicum* p. 161 b 1 = d. l. l. V, 92 et *Artifices* p. 21, 1 = d. l. l. V, 93) et Varronis verba admodum inter se dissident neque ulla ratione coniuncta sunt. Quae sunt in paragraphis 35—96, Reitzenstein l. c. p. 38 sqq. sagacissime perscrutatus ad duos libellos a Varrone confusos revocavit, quorum alterum de verbis scriptum, paragraphos 35—40, 79, 86—95, 96, Cosconio attribuendum esse coniecit, alterum Aelio Stiloni vindicavit. Comparatis illis paragraphis cum Verrii glossis in ea sola parte quae Aelii Stilonis videtur esse similes locos inveniri animadvertimus, quod nescio an casu factum non sit. Similitudine quadam

cohaerent hi Verrii et Varronis loci: *Cogitatio* p. 66, 7 = d. l. l. VI, 43; *Amens* s. v. *Mente captus* p. 158 a 23 = d. l. l. VI, 44; *Monimentum* p. 139, 6 = d. l. l. VI, 49; *Concinnare* p. 38, 1 = d. l. l. VI, 57; *Amputata* p. 24, 18 = d. l. l. VI, 63; *Disertus* p. 72, 15 = d. l. l. VI, 64; *Consposos* p. 41, 14 = d. l. l. VI, 69—70; *Spondere* p. 343 a 34 = d. l. l. VI, 69, 72; *Praes* p. 223, 9 = d. l. l. VI, 74, V, 40; *Vadem* p. 377, 10 = d. l. l. VI, 74; *Bucina* p. 32, 9 = d. l. l. VI, 75; *Manceps* p. 151, 9 = d. l. l. VI, 85. Verrium hac libri VI d. l. l. parte usum non esse cum ex glossa modo commemorata *Bucina*, ubi *βυκάνη*, quod vocabulum in Varronis verbis deest, apud Verrium extat, cognoscimus tum ex Pauli glossis similibus, quae Varronianas amplitudine antecellunt (*Cura* p. 50, 1 = d. l. l. VI, 46; *Fama* p. 86, 14 = d. l. l. VI, 52, 55; *Spondere* p. 329 a 23 = d. l. l. VI, 69; *Repotia* p. 281 a 3 = d. l. l. VI, 84) et ex his, quae apud utrumque diversae vel ad alium grammaticum referendae sunt (ut *Angulus* p. 11, 7 = d. l. l. VI, 41 et *Mamuri Veturi* p. 131, 7 = d. l. l. VI, 49 atque *Imputatum* p. 108, 20 = d. l. l. VI, 63 et *Putum* p. 217 b 16, quae duo lemmata Cornificio vindico).

Etiam ex reliquis d. l. l. libris VIII—X et ex fragmentis a Wilmannsio collectis Verrium ex Varronis d. l. l. libris non pendere intellegimus. Similes sunt hi loci: *Manius* p. 148, 16 = d. l. l. IX, 60; *Lucius* p. 119, 15 = d. l. l. IX, 60; *Nihili* p. 175, 3 = d. l. l. IX, 54. X, 81; *Nequam* p. 176, 5 = d. l. l. X, 80—81, dissimiles hi duo: *Genus* p. 98, 15 = d. l. l. fr. 8 et *Caput* p. 48, 7 = d. l. l. fr. 38.

De praenominibus Verrium Varronis etymologiis usum esse ex libello de Romanorum nominibus propriis scripto cognoscimus, quem plerumque Varronem secutum esse Th. Mommsenus primus Quaestionibus Romanis vol. II p. 20 adn. 24 pronuntiavit. Unde fit ut loci aliquot apud anonymum et Verrium similes sint, quos Reitzenstein Quaestionum Verrianarum p. 23 ss. in unum congessit.

Cap. VI. De Varronis d. l. l. libro VII cum Verrii glossis composito.

In Varronis libro VII, quo de verbis poeticis agitur, et apud Verrium multos et similes locos invenimus, quorum maxime perspicuos contulit Georgius Goetz in Quaestionibus Varronianis p. 7. Quos locos similes hoc in capite tractandos mihi proposui.

1) Varro d. l. l. VII, 64 = *Diobolares* p. 74, 6; *Schoeniculas* p. 329 b 32; *Miracula* p. 123, 5; collato Nonio p. 521, 27. 2) d. l. l. VII, 69 = *Grallatores* p. 97, 12. De versus Plautini forma cf. Lei-

dolph „de Festi et Pauli locis Plautinis“ diss. Ien. 1883, p. 229 s. 3) d. l. l. VII, 107 = *Persibus* p. 217 a 26. 4) d. l. l. VII, 108 = *Sardare* p. 322 a 24 et p. 323, 6.

Quibus Festi et Pauli articulis collatis cum verbis Varronianis lemmata Festina vel Paulina multo accuratiora esse Varronis verbis facile cognoscimus; quod enim attinet ad glossema primum allatum, cum apud Festum versus *Diobolares* plenior sit et alter Plauti versus commemoretur, fieri non potest, ut Verrius de his verbis septimum Varronis librum inspexerit.

5) d. I. l. VII, 44 = *Tutulum* p. 355 a 29 et *Argeos* p. 15, 12. 6) d. l. l. VII, 70 = *Praeficae* p. 223, 16. 7) d. l. l. VII, 102 = *Verruncent* p. 373, 4.

His tribus versibus et a Festo et a Varrone allatis maiore diligentia Varronem veriloquia exposuisse apparet. Neque enim facere possumus, quin ex Varronis libro VII Verrium hausisse negemus, quia Paulus p. 15, 12 s. v. *Argeos* virgines Vestales nominat, quarum Varro ne verbo quidem mentionem fecit. Praeterea semper reputandum est, non Verrii Flacci verba extare, sed aut Festi, qui Verrii opimos thesauros in epitomam coegit, aut Pauli, qui ipsius Festi epitomam denuo nimis et parum diligenter circumcidit.

Festum et Paulum saepissime exempla a Verrio allata omisisse cum constet, nunc afferamus illa lemmata Festina vel Paulina, quibus Festus (vel Paulus) poetarum versus non adscripsit. Sunt enim haec Festi exempla:

8) d. l. l. VII, 37 = *Tartarino* p. 359 b 25. 9) d. l. l. VII, 84 = *Scorta* p. 330 a 4 et p. 331, 1. 10) d. l. l. VII, 85 = *Numen* p. 173 b 17. 11) d. l. l. VII, 103 = *Pipulum* p. 253 b 23. 12) d. l. l. VII, 12 = *Tuor* p. 355 b 1. 15) d. l. l. VII, 23 = *Rates* p. 273 b 22.

Quod attinet ad primum exemplum, *Tartarino,* idem est casus apud Varronem et Festum; etiam vocabuli *Scorta* idem argumentum apud utrumque scriptorem est; de quattuor ceteris exemplis anceps est iudicium.

Nunc proferamus locos Paulinos similes Varronis verborum: 14) d. l. l. VII, 28 = *Cascum* p. 47, 11 et *Casnar* p. 47, 12. 15) d. l. l. VII, 38 = *Epeus* p. 82, 12. 16) d. l. l. VII, 42 = *Letum* p. 115, 10. 17) d. l. l. VII, 53 = *Cassabundus* p. 48, 4. 18) d. l. l. VII, 60 = *Dividiam* p. 70, 15. 19) d. l. l. VII, 63 = *Vibices* p. 369, 22. 20) d. l. l. VII, 64 = *Limaces* p. 116, 8. 21) d. l. l. VII, 66 = *Axitiosi* p. 3, 3. 22) d. l. l. VII, 86 = *Insanum* p. 113, 20. 23) d. l. l. VII, 87 = *Lymphae* p. 120, 11. 24) d. l. l. VII, 93 =

Iurgatio p. 103, 16. 25) d. l. l. VII, 107 = *Clucidatum* p. 55, 11 et *Glucidatum* p. 98, 10.

Compositis illis Pauli articulis cum Varronis verbis Paulum Festi lemmata in angustissimum coegisse intellegimus. Hanc excerpendi rationem dilucide observamus in verbis *Cascum* et *Casnar*. In vocabulo Plautino *Epeus fumificus* Paulus haud scio an Plauti facetias cum non intellexerit, rem quasi inutilem et supervacaneam praetermiserit et de Epeo illo equi Troiani opifice solo egerit. Varronem *Insane*, Paulum autem *Insanum* verbum Plautinum protulisse nihil refert, quod Festus saepissime duas lectiones habet (cf. Leidolphi de locis Festi et Pauli Plautinis dissertationem Ienensem 1883). De ceteris exemplis nihil habeo quod addam.

Postquam illa veriloquia modo apud hunc modo apud illum diligentius tractata exposuimus, age nunc percenseamus quae apud utrumque haud multum distent.

26) d. l. l. VII, 10 = *Tesca* p. 356 a 14. 27) d. l. l. VII, 34 = *Cumeram* p. 63, 11 et *Cumerum* p. 50, 7. 28) d. l. l. VII, 35 = *Subulo* p. 309 a 2. 29) d. l. l. VII, 53 = *Diabathra* p. 74, 9 et *Epicrocum* p. 82, 13. 30) d. l. l. VII, 55 = *Cerrones* p. 40, 6 et *Gerrae* p. 94, 4. 31) d. l. l. VII, 83 = *Rutilum* p. 262 b 18. 32) d. l. l. VII, 91 = *Ciccum* p. 42, 10 et *Incicorem* p. 108, 2. 33) d. l. l. VII, 107 = *Caperatum* p. 48, 8. 34) d. l. l. VII, 107 = *Praebia* p. 234 a 7 et p. 238 b 32. 35) d. l. l. VII, 41 = *Orare* p. 198 b 23 et *Oratores* p. 182 a 29. 36) d. l. l. VII, 65 = *Scraptae* p. 333 a 29 (collatis Nonio p. 169, 9 et Gellio III, 3, 6). 37) d. l. l. VII, 67 = *Strebula* p. 313 a 34. 38) d. l. l. VII, 80 = *Reciprocare* p. 274 b 25. 39) d. l. l. VII, 97 = *Scaevam* p. 325 a 33 et *Laeva* p. 117, 6. 40) d. l. l. VII, 101 = *Summussi* p. 298 a 27 et *Mussare* p. 144, 14. 41) d. l. l. VII, 107 = *Vitulans* p. 369, 14. 42) d. l. l. VII, 107 = *Protinam* p. 226, 20.

Quod attinet ad singula lemmata, apud Festum s. v. *Tesca* Aurelius Opilius nominatur, apud Varronem *tesca esse sancta* a glossographis explicatum esse videmus. Interpretationem verbi *Tesca*, qua idem esse quod *tuesca* affirmatur, Varronis propriam esse mihi persuasi. Verbum *Reciprocare* Festus ex *poscendo* ducit, Varro autem et ex *recipiendo* et ex *poscendo* duci posse arbitratur. Ad verbum *Strebulam* Varro Aurelii Opilii etymologiae auctoris nomen affert, Festus omisit. S. v. *Cerrones* et s. v. *Gerrae* Paulus veriloquium huius vocabuli diligentissime adnotat, Varro autem nimis festinanter nonnulla verba ad versum Plautinum addit, sed quid *Congerro* vocabulum significet, praetermittit. De verbo *Praebia*

apud Festum duo articuli ad nos venerunt diverso veriloquio; altero enim loco *praebia* a *prohibendo*, altero a *praebendo* deducitur. Alterum locum p. 238 b 32, quo *praebia* a *mala prohibendo* ficta esse dicuntur, omittendum esse puto, quod propius ad historiam quam ad grammaticam accedit et ex annalibus vel eius modi libris fluxisse potest. De ceteris vocabulis accuratiore explanatione opus non est.

Compluribus de locis similibus Verrii fontem coniectura divinare possumus, ut s. v. *Paludati* (p. 253 a 2 = d. l. l. VII, 37) Veranius, s. v. *Obscum* (p. 189 a 24 et p. 198 b 29 = d. l. l. VII, 96—97) Cloatius commemoratur.

Paucis verbis moneo, etiam in libris praecedentibus nonnullos poetarum versus a Varrone traditos in Festi et Pauli codicibus extare, ut conferre possimus: 1) d. l. l. V, 62 = *Viere* p. 375 a 21. 2) d. l. l. VI, 68 = *Iubilare* p. 104, 9. 3) d. l. l. VI, 82 = *Spicit* p. 330 b 29. 4) d. l. l. V, 44 = *Ratitum quadrantem* p. 274 a 16, quo lemmate Aurelii Opilii nomen affertur.

Postquam illos similes locos apud Varronem et Festum vel Paulum extantes attulimus et partim a Festo partim a Varrone accuratius veriloquia commemorata esse intelleximus, Verrium Flaccum septimo Varronis libro fonte usum esse plane negabimus: nam nulla ratione illa sententia commendari potest. Illam difficultatem unde similitudo Verrii et Varronis etymologiarum orta sit, facillime ita removebimus, ut utrumque scriptorem communem fontem adhibuisse statuamus. Sed qualis fuerit fons, ut ostendamus, subtili inquisitione opus est. Varro libro septimo complures obscurorum verborum interpretes nominibus attulit, ut sex locis (paragraphis 50, 65, 67, 70, 79, 106) Aurelium Opilium, tribus (paragraphis 66, 70, 106) Claudium, singulis Cornelium paragrapho 39, Vergilium paragrapho 39, Catonem paragrapho 58, Iuventium 65, Valerium 65, Mucium 105, Manilium 105. Quibus e viris Festus Aurelium Opilium duodeviginti locis, Catonem plurimis articulis, singulis Manilium, Mucium nominat; Claudium miro modo praetermisit silentio. Cornelium et Vergilium ad Naevii verba illustranda commentarios scripsisse Varro l. s. c. dicit. Iuventium et Valerium Soranum poetas scripsisse explanationes poeticorum verborum cum verisimile non sit, Varronis verba ita interpreter, ut in Iuventii et Valerii Sorani libris verbum extitisse *scrupipeda* dicam, quod ab interpretibus multis modis explanatum sit. Manilius iurisconsultus qui Pomponio teste una cum P. Mucio et Bruto ius civile fundasse dicitur, consul erat anno 149; Manilium autem, qui a Festo p. 334 a 16 s. v. *Sexa-*

genarios adfertur, L. Manlium esse, qui Galliae Narbonensis praeses erat circa annum 77, Bremer Iurisprudentiae Antehadrianae I p. 107 arbitratur. Hos duos viros qui iuri operam navarunt, glossas collegisse ex poetarum carminibus neque traditum est neque probabile. Etiam Q. Mucium et Catonem, qui singulis locis a Varrone nominantur, praeterire sine cunctatione licet. Restant Aurelius Opilius et Claudius, qui apud Varronem duabus paragraphis, 70 et 106, ad idem vocabulum commemorantur. Aurelius Opilius, ut supra iam dixi, duodeviginti locis a Festo affertur; sexies unus, s. v. *Necessarium* p. 162 b 6, *Nauteam* p. 165 b 27, *Spirillum* p. 330 b 33, *Sedum* p. 343 a 25, *Thomices* p. 356 a 3, *Tesca* p. 356 a 14; bis additis verbis *Aurelius* et *alii* s. v. *Fomites* p. 84, 17, *Valgos* p. 375 a 15; una cum Aelio Stilone sexies s. v. *Dalivum* p. 68, 1 *[Aurelius, Aelius, Santra]*, *Molucrum* p. 141 a 20 *[Cloatius et Aelius, idem Aelius in explanatione carminum Sal., Aurelius]*, *Nusciciosum* p. 173 a 21 *[Ateius Philologus, Aurelius Opilius, Aelius Stilo]*, *Sanctum* p. 317 b 22, *Tanne* p. 359 a 26, *Ordinarium* p. 182 b 32 *[Opilius, Stilo, quidam]*; praeterea his articulis: s. v. *Querqueram* p. 257 b 24 *[Opilius, Santra]*, *Ratitum* p. 274 a 16 *[Tarquitius et Opilius]*, *Veterinam [Cato, Opilius]* p. 369, 12, *Sanates* p. 321 b 8 *[Servius Sulpicius Rufus, Opilius in XII, Cincius l. II de officio iuris consulti, Valerius Messalla XII explanatione]*.

Hoc uno loco explanatio XII tabularum Opilii Aurelii adfertur. Eum explanationes verborum poeticorum scripsisse et Aelium Stilonem similem librum fecisse illis locis commoti facile statuemus. Claudius, qui Aelii Stilonis gener erat, verborum significationes scripsit testibus Gellio l. XIII, 23, 19 et Servio ad Aen. I, 176: idem Plautinis studiis operam navavit (cf. Cic. epp. ad fam. IX, 16, 4). Mentione dignum esse puto, illas tres etymologias apud Varronem d. l. l. extantes ad versus Plautinos pertinere. Explicationes igitur eum ad Plauti verba obscura scripsisse suspicor. Mirum in modum etiam Aurelius Opilius nisi ad Plauti verba illustranda non commemoratur. Librum septimum arte conexum esse cum libris quinto et sexto, ex paragraphis 50—51 et 72—79, quae facillime inseri possunt libro VI, 3—11, et ex paragraphis 6, 7, 12 cognoscimus, quae spectant ad librum V, 16—18. Hanc ad similitudinem accedit, ut V, 19 et VII, 73 eundem versum inveniamus.

Varronem compluribus fontibus usum esse liquet. Paragraphos enim 107—108 ex glossario ad Naevii verba illustranda facto ortas esse verisimile est, cum tragoediae, comoediae, Bellum Punicum secundum litterarum ordinem allata sint, quod ad Cornelium vel

Vergilium redire potest, quippe quos commentarios ad Naevii verba scripsisse constet. In fine paragraphorum 50—51 et 72—79, quas ex Aelio Stilone haustas esse Reitzenstein docuit, Aurelii Opilii mentio fit paragraphis 51 et 79, quem a Varrone additum esse Reitzenstein p. 33 adn. 2 coniecit. Paragraphis 52—70 quae magna similitudine coniunctae sint cum Verrii libro, quia praeter paragraphos 54, 59, 61—62, 68 omnia verba apud Festum et Paulum extant, Aurelius Opilius tribus, Claudius duobus locis diserte nominantur. Sed de fontibus libri septimi ut certius iudicemus, fieri non potest, quod Romanorum grammaticae primordia magna obscuritate involuta sunt. Tantum quidem pro certo affirmare possumus, Varronem libro VII compluribus fontibus usum esse, in his inprimis Aelii Stilonis et Aurelii Opilii libris, et Verrium Flaccum eorundem virorum doctorum scripta in usum suum convertisse. Hoc enim modo Varronis libri VII et Verrianorum lemmatum similitudinem optime explicare possumus, ut ex Aelii Stilonis et Aurelii Opilii libris quibusdam glossographicis utrumque grammaticum largos fructus cepisse arbitremur.

Restat, ut summam faciam totius dissertationis quidque inde effectum esse velim paucis verbis comprehendam.

Similes loci qui apud Varronem et Verrium inveniuntur quomodo orti sint, utrum Verrius ex Varrone pendeat necne, viri docti in contrarias partes disceptaverunt. O. Mueller praefationis Festi editioni praemissae p. XXIX, adn. 6 Varronis d. l. l. libros a Verrio non esse lectos contendit: *Non id tam me movet, quod hi libri nunquam nominatim in Festi reliquiis appellantur, cum Antiquitatum libri saepius memorentur: sed maius momentum habet quod Verrii et Varronis, qui uterque ab Aelii Stilonis potissimum grammatica doctrina profecerunt, permultae sunt sententiae communes vel consimiles, in quibus Varronis nulla in Festo mentio fit.* Kettner in diversa est opinione, cum dicit p. 9 l. c.: *Verrius enim Varronis tantum non aequalis, qui non modo illius Antiquitates, Epistolicas quaestiones ipse commemorat, sed libros etiam de lingua latina, ut vel ex Festi epitoma elucet, non raro paene ad verbum exscribit, nullo modo neglegere poterat id opus quod quantopere convenerit cum ipsius librorum consilio, pleraque trium priorum Varronianorum librorum fragmenta satis docent.* Willers l. c. p. 9 mediam quandam viam secutus protulit: *In easdem saepe angustias adducimur, cum definire conamur num Verrius Varronis de lingua Latina libros in usum suum adhibuerit.* Hac disser-

tatione effecisse me arbitror, ut Varronis ex libris d. l. l. scriptis Verrium hausisse iure nostro pernegemus. Immo vero loci similes inde orti sunt, quod Varro et Verrius communibus fontibus, Antiquitatibus rerum humanarum et divinarum et Aelii Stilonis Aureliique Opilii scriptis — libros de vita populi Romani praetermitto, cum de eis res certa non sit —, usi sunt. Aelii Stilonis liber, quomodo fuerit dispositus, ex Iohannis Mauropi carmine etymologico, quod Reitzenstein libro „M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita" p. 4 publici iuris fecit, conicere possumus. Ex illo libro, quo Aelius cum de temporibus locisque, animalibus et herbis tum de verbis egit, Varronem sua excerpsisse puto.

Index lemmatum

et apud Varronem Reb. rust. et apud Festum Varronemque d. l. l. tractatorum.

Index lemmatum

et apud Varronem d. l. l. et apud Festum Paulumve traditorum.

DE PLAVTO SVI IMITATORE

SCRIPSIT

HERMANNVS KELLERMANN

Praemonita.

Recentior demum aetas ut omnino accuratiorem auctorum antiquorum etiam singulis atque minutioribus quae videantur rebus observandis curam impendit, ita versibus eiusdem poetae iteratis et ob id ingeniosorum sed vehementiorum criticorum rabie saepius expunctis quam illustratis novas explicandi rationes adhibuit. Qui versus notum est quanta sint gravitate in quaestione quae dicitur Homerica; eisdem, ut alia praetermittam, apud Plautum nuper vir doctissimus sagaciter novo modo uti conatus est. Etenim Fridericus Marx in relat. soc. litt. Vindob. v. CXL (a. 1899) VIII p. 1 sqq. in versibus non iteratis tantum, sed omnino quadam sermonis similitudine iunctis haud leve et ad fabularum Plautinarum cognationem et ad actarum tempora eruenda instrumentum deprendisse sibi visus est. Qua in re quatenus rationem propositam recte adhibuerit, infra dicendum erit; sed etiam omissa illa quaestione, quam Marxius sibi proposuit, ad artem poetae plane cognoscendam haud inanem fore credidi laborem omnes sermonis Plautini similitudines, non tantum, quas singulae inter se fabulae, sed etiam quas secum ipsis habeant, in unum colligere atque in universum Plautus quomodo sibi in eadem re eisdem verbis exprimenda constans fuerit pervestigare. Qua in re mihi maximo fuit usui, quod viri docti et in commentariis, quibus adornaverunt poetam, ut Brixius, Niemeyerus, Lorenzius, Ussingius, alii, et in editionibus critico apparatu instructis, quales paraverunt Ritschelius, Goetzius, Loewius, Schoellius, Leo, et in commentationibus doctis, quorum innumerus est in quaestionibus Plautinis numerus, plurimas et illustrandi et emendandi poetae gratia composuerunt sermonis similitudines: quorum virorum omnium in hac re inventis — singulos singulis locis auctores proferre nec utile sit nec omnino fieri potest — grato animo, quoad potui, usus sum. In afferendis versibus Goetzii et Schoellii editionem minorem omnium manibus tritam ita adhibui, ut plerumque quem viri illi doctissimi constituerunt contextum ipse sequerer ascriptis ubi ad rem pertinere videretur librorum lectione eiusque emendatore, in paucis cur ab eis dissentirem, semper significarem; item eisdem, quibus illi, notis criticis usus sum.

Caput I.

Priusquam autem quod suscepi negotium exsequar, paucis munienda est via. Etenim quem quidem libris nostris traditum habemus fabularum Plautinarum contextum, multis vitiis est affectus saeculorum decursu et librariorum erroribus et interpolatorum consilio illatis. Quorum haud exigua pars agnoscitur eo, quod eadem verba sententiae versus non suo tantum loco exstant, sed sine iusta causa iterantur. Quales sermonis concentus ut plane alieni sunt ab ipso poeta, ita nisi antea detegantur atque removeantur, de eius in hac re consuetudine vix recte iudices; itaque hoc primo capite omnia eiusmodi vitiorum genera non pertractare — nam totam rem exhaurire ab huius opusculi consilio abest —, sed exemplis tantum illustrare liceat.

Ut igitur initium capiam a vitiis casui librariorumque neglegentiae tribuendis, saepius factum est in codicibus nostris, ut non solum singula verba falso iterata sint (velut Curc. 729 *plaudite plaudite)* vel anticipata (velut Epid. 396 *res propere* e v. 397 sim.) ita, ut interdum etiam genuina suo loco moverentur vel adeo expellerentur (velut Asin. 856 *frugi rata* huc delatum videtur e v. 861, Merc. 40 *atque animus* e v. 41, Merc. 880 *ex advorso vides* e v. 878, Stich. 282 *benefacta maiorum tuum* e v. 303 ascitum esse statuit Ritschelius, Truc. 63ª, ubi cum verba *plus est* e v. 64 huc irrepsisse atque genuina, quae haec fere fuerint: *posthac melius* [Camerarius], expulisse certum videatur, iniuria simul damnat verba *lenonum et scortorum* ut e v. 64 ad verba *damnosorum hominum* explicanda, *faxim* ut ad corrigendum *facimus* librorum v. 60 ascriptum Schoellius Anal. Plaut. p. 61 sq.), sed etiam toti versus non suo tantum, sed etiam alio loco inepte exhiberentur (velut Asin. 52 repetitur post v. 83, v. 739 suo loco mutilatus totus redit post v. 760, Cist. 245 etiam ante v. 243 exstat in A, Men. 1044 etiam post v. 1036 [cf. Spengelius T. Macc. Plaut. p. 50], Mil. 762 iteratur post v. 777, Most. 425 exstat etiam post v. 411 [cf. omnino quae de Mostellariae turbis luculenter exposuit Ritschelius Parerg. Plaut. et Terent. p. 474 sqq.], Poen. 720 iteratur post v. 706 in P,

post v. 707 in A, in quo etiam v. 730 hoc loco subsequitur [quae hic latere posse credidit Leo retractationis vestigia, et propter incertam v. 720 priore loco sedem et versuum 707—719 in actione gravitatem satis dubia videntur], Trin. 686—691 post v. 705, 692—94 post v. 704 iterantur in P, Amph. 173, quem versum e verbis vicinis *Aequom* — *iniqua* male consutum etiam suo loco tolerandum non esse vidit Leo, anticipatur etiam post v. 160, qua re eum postea insertum esse adeo confirmatur). Paulo aliter res se habet Men. 1037—43, qui iterum leguntur ante v. 1029 in P: versus ex alio codice meliore margini ascripti, ut videtur (cf. Leo Plaut. Forsch. p. 16), falso deinde loco inserti sunt (cf. v. 1029 ... *liber ésto atque ito quó voles* ad v. 1044 ... *ábeat liber quó volet*). Item Merc. 555[b] e meliore textus recensione insertum esse in libros Palatinos affirmat Leo l. s. l., cum usitatiorem verborum collocationem quam geminus eius versus 555 prae se ferat (cf. Bachius in Studem. stud. II p. 206).

Ab hoc corruptelarum exceptis extremis duobus quos attuli locis casu natarum genere alienae sunt interpolationes a grammaticis sciolisque vel interpolandi vel comparandi vel alia causa factae; iam earum quoque pravitatum, quatenus sermonis similitudine deprehendantur, exempla quaedam proferam. — Asin. 249 sqq. *Hércle vero, Líbane, nunc te méliust expergíscier Átque argento cónparando fíngere falláciam. Iám diust factúm, quom discesti áb ero atque abiisti ád forum, Ígitur inveniúndo argento ut fíngeres falláciam* versuum 250. 252 fieri non potest, quin alteruter sit interpolatus; suspicio primum in v. 250 cecidit propter *fingerē* illud pro cretico metiendum. Sed eiusdem eodem versus loco mensurae etiam alia attulit exempla Wagnerus Mus. Rhen. v. XXII p. 118 sq., quorum auctoritatem quamvis assentientibus Fleckeiseno, Goetzio (Act. soc. Lips. VI p. 236) atque qui una cum eo editionem maiorem comparavit, Loewio frustra coniecturis temptabat C. F. W. Muellerus Plaut. Pros. p. 23 (cf. etiam Leo in adn.). Contra in v. 252 iam a Guyeto damnato merito offendit mirus ille *igitur* particulae usus, quem Plauti non esse recte demonstravit Goetzius Anal. Plaut. p. 98 sq. (cf. etiam Langenus Plaut. Stud. p. 243). Utrumque versum eicere iniqua sit ratio; nam sententia per se ...que loco quamquam non necessaria, tamen apta est, aptior priore, quem tenendum censeo. — Bacch. 498 *Qui dedecorat te me amicos atque alios flagitiis suis* (sic P: *amicum* A: *amicosque* Camerarius, quo metrum saltem restituitur) recte delevisse videtur Goetzius (in edit. mai.) ut confictum e versibus 377. 380;

minus adeo versus tolerandus est, si cum G. Hermanno Lydum, quem primo loco Pistocleri patrem nominare debuisse — *te* hoc loco tantum ad Mnesilochum respicere potest — docent loci paralleli, inde a v. 497 *Mnesíloche, cura* . . . loquentem facies. Deinde Bacch. 523 *Mea caúsa de auro quód eum ludificátus est* comparatis ad v. 522 versibus 533. 690 (cf. infra Bacch. 6)) praeeunte Kiesslingio Anal. Plaut. I p. 18 spurium arbitror; *mea causa* versibus 521. 524 aptum, hic ineptum. Capt. 288 *Nam ille quidem Theodóromedes fuit germano nómine* potius quam cum Langeno l. s. l. p. 118, quamquam etiam Niemeyerus (in edit. quinta Brixiana) et recentissimus Captivorum editor Lindsayus (London, 1900) probaverunt, neglegentiae tribuas poetae in re tam gravi — nam hac potissimum re, utut de inventionis verisimilitudine iudicas, ultimae Hegionis iam in Aristophontis partes inclinantis removentur dubitationes — delendus videtur cum Bothio ut glossema e versibus 629 sqq. (635) natum. Idem valet de Capt. 438 *Scito te hinc minis viginti aéstumatum mittier,* quem versum a Niemeyero et Lindsayo mira tolerantia servatum ut interpolationem e versibus 364. 378 confictam et ad v. 433 ascriptam recte delevit Brixius. Epid. 384 sq. *Sed [id] qui perspicere póssent cor sapiéntiae, Igitúr perspicere ut póssint cordis cópiam* subditicii coniunctio eadem est atque Asin. 252 (cf. supra p. 131); variarum scripturarum *(cor sapientiae — cordis copiam)* utra genuina sit, diiudicare non audeo. Consilio interpolationis, non errore esse anticipatum Poen. 639 *Quamquám bene volumus léniter lenónibus* etiam post v. 622 — seclusit iam Bentleius — docet iam *et* priore loco ad sententias conectendas cum versus ruina additum. Simili modo conglutinatus videtur Pseud. 1043 *Calidórum haud multo póst faxo amplexábere* etiam Leoni (in adn.) suspectus e versibus 722 et 1039. Stich. 208[b] *Ipse égomet quam ob rem aúctionem praédicem* est interpretamentum in A omissum et e v. 195 ad *Dicam aúctionis caúsam* (v. 207) ascriptum; hunc versum una cum perdito aliquo versu pro versibus 196—208 omittendis substitutum fuisse satis incerta est Leonis (Relat. soc. litt. Gott. 1902 p. 378) coniectura.

Interpolationum harum speciem quandam ortam e versibus eiusdem vel alius fabulae comparandi causa contextui ascriptis, deinde in vulgatam saepius receptis primus Ritschelius acutissima dissertatione (Parallelstellen im Plautus als Ursache von Glossemen Opusc. phil. II p. 274 sqq.) luculentis illustravit exemplis (velut Men. 915 ad Curc. 242, Men. 923 ad Curc. 222 in B ascripti leguntur, Most. 858 sq. delati sunt in Menaechmos post v. 982, Most. 291 e Poen. 306

interpolatus est, Stich. 722 ad v. 763 ascriptus post v. 765 irrepsit). Quam rationem bonis quoque per se versibus, sed quo traditi sunt loco non aptis saepius etiam tum adhibendam esse, ubi e qua fabula (scil. deperdita) interpolati sint, nullum iam exstet vestigium, idem statuit l. s. l. p. 289 exempla probabilia proferens Most. 286, 290, Poen. 303 (de v. 302 dubitari potest: cf. Leo in adn.), quibus plura addiderunt viri docti velut Aul. 592—98 (del. Brixius Nov. Ann. v. XCI [a. 1865] p. 56), Capt. 237, Curc. 377—79 (cf. Leo in adn.), Most. 410, Pseud. 452 (cf. Goetzius in ed. mai.), Stich. 118—120, Trin. 72[b], 1130 sq. (cf. Leo in adn.: qui versus Stasimi potius orationi [versibus 1051 sq.] olim ascripti, deinde huc delati videntur), Truc. 224—26 (cf. Fleckeisenus Nov. Annal. CI [a. 1870] p. 851). Quamquam vir ille doctissimus ingeniosa sua fretus sagacitate acrius saepe quam par fuit resecandi damnandique artem subtiliori in his rebus poetae convenientem quam Plautum fuisse concedes, etiam eis admovit versibus, ubi cautiore fortasse iudicio adhibito rem aliter se habere credes. Exempla infra ponentur.

Atque constat hunc poetam non solum quibus omnia, quae aetatem tulerunt antiquitatis opera infuscata sunt detrimentis temporum vel hominum iniuria illatis laborare, sed etiam, cum fabulae Plautinae, id quod nos docet Casinae prologus (cf. Ritschelius Parerg. Plaut. p. 180 sqq.), post poetae mortem rursus in scaenam prodirent, retractationem scaenicam quae vocatur perpessum esse. Ex qua factum est, ut saepius eiusdem scaenae vel scaenae partis duplicem vel adeo triplicem habeas formam, quas cur primi contextus critici editores retinuerint vide apud Leonem Plaut. Forsch. p. 30 sq.: in quibus secernendis iterum sermonis similitudines, quae abhorrere videntur ab ipsius poetae arte, permultum valent. Dittographiarum autem scaenicarum primus, sed acrior quam debuit, pervestigator exstitit Osannus in Analectorum criticorum (Berol. 1816) capite X, post quem cum Ritschelius, Seyffertus, alii singula et in edendis fabulis et in commentationibus criticis tractavissent, totam denuo quaestionem amplexus critica instruxit ratione Goetzius in notissima quae Actorum soc. Lips. volumini VI (p. 233 sqq.) inserta est dissertatione. Itaque eandem quam supra secutus rationem e multis, quae bene monuerunt viri docti, unum vel alterum, quod ad rem propositam pertineat, decerpam exemplum. Sed antequam certiora proferam, paucis ostendam, quam fluxi in his rebus sint fines nec certis coercendi terminis, ut saepe vix dignoscas, utrum in tali repetitione posterioris demum aetatis lateat vitium an vetus atque e retractatione scaenica repetendum. Sic dubitare possis, utrum

Bacch. 73 casu tantum iteratus exstet etiam post v. 64 an, quae est satis speciosa Goetzii (in ed. mai.) coniectura, a diasceuasta eo consilio ascriptus sit, ut omitti possent versus 65—72. Similiter Asin. 32[a—c] decurtandae scaenae causa (ad omittendos versus 32—44) post v. 45 esse iteratos coniecit Leo (in ed.). Etiam in Mostellaria cum post v. 549 qui exstent versus 553, 557—59 iterum suo loco redeuntes, continuam et conexam inter se efficiant sententiarum seriem, vix prorsus abicienda sit cum Ritschelio l. s. s. p. 482 et Goetzio l. s. l. p. 236, quam iam Osannus l. s. s. p. 201 protulit, retractationis ad decurtandam scaenam institutae suspicio. Neque etiam, ubi certiora dittographiarum exstent vestigia, utra recensio retractatori, utra poetae debeatur, semper diiudicare possis, velut, ut incipiam a singulorum versuum dittographiis (cf. Goetzius l. s. l. p. 256 sq.), Poen. 1080 sq. *Patérna oportet fílio reddí bona: Aequómst habere hunc bóna quae possedit pater,* ubi priorem v. induxit Langrehrius de Plaut. Poen. p. 21, Trin. 788[ab] *Sed epístulas quando ópsignatas ádferet, Sed quom óbsignatas áttulerit epistulas,* ubi alterum delevit Ritschelius l. s. s. p. 536 sq. (sed cf. Leo in adn.), Capt. 520 sq. *Nec súbdolis mendáciis mihi úsquam mantellúmst meis. Nec sýcophantiis nec fucis úllum mantellum óbviamst,* ubi, cum Fleckeisenus et Goetzius (l. s. l. p. 259) latius patere dittographiam (516 sq., 521 : 518—520) censuissent, tantum v. 521 eiciendum esse statuit Langenus l. s. l. p. 276. Maioribus dittographiis abundant praecipue Poenulus et Mostellaria. Poenuli versuum 917—22 dittographiam versus 923—29 agnovit Weisius, quam post eum agnoverunt Th. Hasperus de duplic. Poen. exitu, (Lips. 1868) p. 28, Goetzius l. s. l. p. 253. Versus 567—75 idem seclusit Weisius ut alteram versuum 541—66 recensionem; coniunctis versibus 543—46, 567—75 breviorem construebat Leo (in adn.) scaenam genuinae substitutam; vix recte, nam versus 543 sqq. et versus 567 sqq. (cf. praecipue versum 546 ... *cursóres meliust te ádvocatos dúcere:* v. 568 ... *te ádvocatos méliust celeris dúcere)* ad diversas potius recensiones pertinere iam Goetzius l. s. l. p. 255 recte vidit. De Poenuli prologo (121—28) et versibus 1042 sqq., 1146—73 cf. Seyffertus Stud. Plaut. (Progr. 1874) p. 11 sq., de exitu duplici post alios Langenus l. s. l. p. 344 sqq. E Mostellaria ut unum pro multis afferam exemplum, versus 208—223 iam Ladewigius Philol. v. XVII p. 465 sqq. a Plauto abiudicavit; cui dittographiae adhaerere videtur v. 247 a retractatore eodem consilio e versibus 224. 225 confictus, quo etiam antea binos sibi semper respondere voluit versus (cf. Goetzius l. s. l. p. 249 sqq.), qui versus primi-

tus versuum 224 sq. margini ascriptus deinde ab aliquo dubitante, quo eum referret, ante novi metri initium (v. 248 sqq.) insertus est.

Haec hoc loco sufficiant de dittographiis; id tantum monendum est in eo non raro peccasse viros doctos, quod etiam in eis repetitionibus, quae non repugnant arti poetae, nimium sagaces et minutiis interdum maiorem, quam postularent, auctoritatem tribuentes saepius, quam debuerunt, dittographiae suspicionem movebant atque ita ipsius poetae sermoni vivido nec semper diligentius limato vim attulerunt (cuius rei exempla videas infra Capt. 16), Poen. 5), 14), Rud. 5)).

Caput II.

Nunc vero eiusmodi sermonis et verborum similitudinibus, quas non ad ipsum poetam referri posse priore capite vidimus, remotis priusquam de ipsa Plauti ratione iudicium feratur, eximendae erunt e magna iterationum quae exstant mole eae, quae aut usu atque consuetudine in certarum formularum speciem abierunt aut natae sunt ex arte quadam rhetorica. Ut igitur primum dicam de formulis, quicumque Plauti usum dicendi vel obiter observaverit, statim abundare eum locutionibus eadem vel certe simili forma redeuntibus animadvertet. E quarum consuetudine diligentius examinata quanta utilitas ipsi poetae contextui saepe corrupto et male habito evadat, iamdudum intellexerunt viri docti, sed acriore studio hoc demum tempore tractaverunt. Multa etiam hac in re Ritschelius praestitit, post quem praeter ea quae initio huius opusculi commemoravi subsidia[1]) eorum maxime opera adlaudanda est, qui in commentationibus criticis huic inprimis rei indagandae studia sua impenderunt, velut Seyffertus (Stud. Plaut. progr. a. 1874, Act. Burs. etc.), Langenus (Beiträge z. Krit. u. Erklär. d. Plaut. Leipzig 1880, Plaut. Studien Berlin 1886 etc.), Abrahamus (Stud. Plaut. in Nov. Annal. suppl. XIV p. 179 sqq.), denique ei quorum lucubrationes in Studemundi studiis (2 vol. Berol. 1873, 1891) vel in commentationibus Argentoratensibus propositae sunt. Sed ne nota repetendo et legenti languorem inicerem et chartam frustra consumerem, coercere me volui in una huius generis specie pro exemplo afferenda, scilicet in vovendi exsecrandique formulis; quarum magnam iam collegit partem P. Langenus Mus. Rhen. v. XII (a. 1857) p. 426 sqq. (cf. etiam Kellerhoffius Stud. stud. II p. 77 sq.) eo consilio, ut poetam sic semper dicere *di me amabunt* (sim.) pronomine postposito subiecto, contra

1) Conferas praecipue Lorenzii ad Pseudolum praefationem.

ubi particula quaedam accedat (velut *at, quin, ita)* potius *ita me di amabunt* (sim.) dicere demonstraret[1]), quem usum deinde (p. 430) etiam latius patere affirmat, ita 'ut nunquam, nisi *di* vel simile vocabulum sententiam inciperet, postpositum sit in votis et exsecrationibus pronomen'. Exempla autem ab illo collecta et a me aucta infra subieci. *Dí bene vortant* (initio versus) Aul. 175, 257[2]), 272, Pseud. 646, Frg. inc. VI; *di bene vortant: spóndeo* Trin. 502, 573; *Deós volo bene vórtere Istám rem vobis* Curc. 658 sq.; *Quae rés bene vortat* (in. v.) Trin. 500, 572; *Quae rés bene vortat míhi meoque fílio Vobísque* Capt. 361 sq.; *Quae rés bene vortat míhi et tibi et ventri meo* Pers. 329; *Quaé res bene vortát mi et vobis*[3]) (in. v.) Curc. 729; *Quae quidém mihi atque vóbis*[3]) *res vortát bene* Asin. 2; *Quaé res recte vórtat mihique tíbique tuaeque fíliae* Aul. 218; *nunc quae rés tibi et gnataé tuae Béne felicitérque vortat* Aul. 787 sq. (cf. etiam *quándo res vortít bene* Curc. 662); *Quaé res male vortát tibi* Curc. 273. — *Bene míhi, bene vobis, béne amicae* Pers. 773[a] (cf. 775); *Ut bene sít tibi* Pers. 735. — De exsecrationibus cum *ei, heu, vae* coniunctis vide Richterum in Stud. stud. I p. 462 sqq., 562 sqq., 629 sqq. — *Pro di ímmortales*[4]), *óbsecro vostrám fidem* iambicum explet senarium Most. 77, 530, Poen. 967; *di immortales*[4]), *óbsecro vostrám fidem* Amph. 455; *di, óbsecro vostrám fidem* Amph. 1130, Cist. 663, Truc. 805; *di, vostrám fidem* Capt. 418, Poen. 830, 900, 953, Trin. 591, 1070, Truc. 29 (addita *hui* interiectione); Cist. 259 et Men. 872[b] (in corruptis versibus); *Iunó Lucina, tuám fidem* (in. v.) Aul. 692; *Pró deum atque hominúm fidem* Curc. 694, Epid. 580; *Ópsecro vostram fidem,* Men. 999; *Ne díxeritis óbsecro huic vostrá⟨m⟩ fidem* Mil. 862[5]); *Tuám fidem obsecró* (in. v.) Amph. 373; *vóstram ego imploró fidem* Rud. 615 (cf. 622). *Pro di ímmortales, obsecro*

1) Repugnant huic legi Cas. 609 (cf. p. 140 adn. 1), Trin. 997 (cf. p. 139 adn. 3).

2) *Istuc* ante hanc formulam in libris exstans delevit iam Pylades; cf. Seyffertus Stud. Plaut. p. 2 adn. 2.

3) Cf. Men. 2 *Míhi átque vobis.*

4) *Pro di ímmortales* legitur in. v. duodevicies, m. v. ter, ex. v. semel, *di ímmortales* in. v. quindecies, m. v. ter, ex. v. semel; *Pró di inmortalis* (in. v.) invenitur tantum Amph. 822, *O di immortalis* (m. v.) tantum Rud. 1360, quem v. ut in numeros redigant, cum vulgo *tuus est* librorum e Pyladis coniectura in *tuost* contrahant, potius cum Bentleio, Reizio e poetae usu *O* delendum esse suspicor.

5) Iniuria Kellerhoffius l. s. l. p. 79 ad ceterorum exemplorum normam verba sic transposuit: *Ne húic dixeritis ópsecro.*

(in. v.) Men. 1001; *Di immortales, óbsecro* (m. v.) Aul. 265. *te ópsecro Per deós atque homines* ... Mil. 540 sq.; *per te, ere, óbsecro Deos immortales* Bacch. 905 sq.; *Per deós atque homines égo te obtestor*... (in. v.) Capt. 727; *Pér ego vobis deós atque homines díco,* (in. v.) Men. 990. *Deosque immortalis quaéso,* (in. v.) Rud. 499; ... *eandémque et oro et quaéso* Mil. 1228; *Tecum óro et quaeso* (in. v.) Curc. 432; *teque oro et quaéso* (m. v.) Rud. 629; *Óbsecro hercle oróque* ... (in. v.) Merc. 170; *oro óbsecro* Amph. 923, (in. v.) Rud. 882; *Orat óbsecrat* Cas. 321; *orat óbsecratque* Capt. 513; *Oro óbtestor* (in. v.) Aul. 716; *vós peto atque óbsecro* Curc. 148. *Pér tua genua te óbsecro* Curc. 630; *⟨Pér tua te g⟩enua óbsecro* Most. 744 (suppl. Ussingius); *Per ego te tua te genua óbsecro* Poen. 1387; *Per ego haec génua te optestór, senex* Rud. 627. — *Dí faciant ut* .. (in. v.) Pers. 823; *Di fáxint* (in. v.) Cist. 51. *Íta di faciant* (in. v.) Amph. 380, Anl. 789; *Ét mihi ita di fáciant* (m. v.) Aul. 789; *Ita dí faxint* (in. v.) Aul. 149; *Íta di faxint* (in. v.) Poen. 911, (m. v.) Aul. 257, 788, Pers. 652, Poen. 909; *Ita di deaeque fáxint* (in. v.) Capt. 172. *Útinam di faxint* (in. v.) Amph. 632. *Íta ille faxit Iúppiter* Most. 398; *Ita ílle faxit Iúppiter,* Pseud. 923[c]; *quód ille faxit Iúppiter* Amph. 461. *Át ita me rex deórum atque hominum fáxit*.. (in. v.) Capt. 622. *Di té deaeque omnis fáxint cum istoc ómine* — Most. 464. *di faciant út siet* Aul. 545. *Di mélius faciant* (in. v.) Bacch. 626[b]; *Di melius faciánt* (in. v.) Cas. 813; *Dí meliora fáxint* (in. v.) (Poen. 1400,) Pseud. 315 (sic A; *melius* P). *Át tibi di faciánt bene* Mil. 570; *Át tibi di sempér, adulescens, quisquis es, faciánt bene* Men. 1021; *Át tibi di bene fáciant omnes* Pers. 488; *Dí tibi bene fáciant semper* (in. v.) Mil. 1419. *Néque deos neque hómines aequomst fácere tibi posthác bene* Cist. 242; *(Diví me faciant quód volunt* [in. v.] Most. 222;) *tum me Iúppiter Faciát ut*... Poen. 488 sq. *Male tíbi di faciant* (m. v.) Curc. 129; *At té ille, qui suprá nos habitat, Quí tibi male volt máleque faciet* Pers. 819 sq. *Utinám me divi adaxint ad suspéndium* Aul. 50. — *Di dent quaé velis* Epid. 6, Pers. 483, Stich. 469; *Dí dent tibi omnes* [illegible]*aé velis* Poen. 1055; *Di dent tibi Lysiteles, quaé velis* Trin. 1[illegible] *tibi dent quaequomque óptes* (in. v.) Asin. 44, (ex. v.) Mi[illegible] *i duint Tibi, Philto, quaequomque óptes* Trin. 436 sq.; [illegible] *ıque optes, tibi velim contingere* Cist. 497; *Dabunt di* [illegible] *elitis vóbis* Asin. 623; *dabunt dí quae exoptes* Pers. 16; *Tan*[illegible] *ı tibi boni di immórtales duint, quántum tu tibi ⟨ex⟩óptes* Pseud. 937[a]; *At dí dabunt*

Rud. 107. ... *eveniánt volo tibi quae óptas* (m. v.) Pers. 293; *Di tibi omnes ómnia optata ófferant* Capt. 355; *hábeas, quod di dánt boni* Rud. 1229; *O múlta tibi di dént bona* Poen. 208; *Multá tibi dei dent bóna* (in. v.) Poen. 687. — *Né di sirint* (in. v.) Merc. 613; *Ne di sirint* (m. v.) Bacch. 468; *ne di siverint* Merc. 323; *Nec me ille sirit Iúppiter* (in. v.) Curc. 27; *Id te Iúppiter Prohibéssit* Pseud. 13 sq. — *Di te ament* (in. v.) Aul. 183, Bacch. 457, Most. 341, 806, Pseud. 1294, (m. v.) Most. 1130, Poen. 751, Rud. 1303, (ex. v.) Curc. 456; *dei ament te* (m. v.) Pers. 16; *di te ament plúrumum* (m. v.) Most. 717; *Di te bene ament* (m. v.) Capt. 138; *At te Iúppiter Béne amet* Mil. 231 sq.; *Di te deaeque amént* (in. v.) Pseud. 271; *Dei ómnes deaeque amént* — (in. v.) Poen. 859. *Ita mé di ament* (in. v.) Most. 170, Pers. 492, Pseud. 943; (m. v.) Amph. 597; *Íta me di ament* (in. v.) Mil. 1403, Poen. 289, 504, 827, (1413,) Stich. 685, 754, Trin. 1024; *Namque ita me di ament* (in. v.) Bacch. 111; *Ita mé di bene ament* (in. v.) Cas. 452; *Íta me di bene amént* (in. v.) Pers. 639, Stich. 505; *ita me di deaéque ament* (m. v.) Mil. 725; *At ita me di deaeque omnis ament,* Mil. 501; *Át ita me di deaéque...* (in. v.) Cist. 512 sqq. (dicturus est: *ament;* sermo deinde alio flectitur). *ita me Iúppiter* — Poen. 440; *Íta me Iuppiter . . . dique omnés ament* Bacch. 892 sq.; *Ita me Iúppiter Bene amét* Poen. 1325 sq.; *Íta me Venus amét* (in. v.) Curc. 208; *nam ita me Venus amoéna amet* Stich. 742. *Ita mé bene amet Lavérna* (in. v.) Aul. 445. *Ita tú me ames, ita Philolaches tuos té amet* (in. v.) Most. 182; *Át ita me volsillae ... Béne me amassint ...* Curc. 577 sq.; *Át ita me machaéra ... Béne iuvent ...* Curc. 574 sq. (Compares etiam: *si te di amant* (m. v.) Epid. 515, Poen. 659; *si te di ament* (m. v.) Mil. 293; *si te di ament* (m. v.) Mil. 571; *Quom te di amant* (m. v.) Rud. 1183. *Ita mé di amabunt* (in. v.) Aul. 496, Most. 520, Poen. 439, (m. v.) Poen. 1219; ... *di — me amabunt* (m. v.) Pers. 205; *Íta me amabit Iúppiter* Merc. 762, Trin. 447; *Diéspiter me sic amabit* — (in. v.) Poen. 869. *Ita me amábit sancta Sáturitas* Capt. 877; *Íta me amabit, quám ego amo* (in. v.) Curc. 326. *Di te amabunt,* (m. v.) Men. 278; *Íta te amabit Iúppiter* Aul. 761. — *Át ita me dei sérvent ...* Poen. 1258; *Di té mihi semper sérvent* (in. v.) Pseud. 121; *Di te servassint mihi* Cas. 324, Trin. 384; *Di té servassint sémper* Asin. 654; *Íta ... di ... measque mihi béne servassint filias* Stich. 505; *At té di deaeque quántumst* — # *Servassint quidem* Pseud. 37; *At vós Salus servássit* (m. v.) Cist. 742; *Iúppiter té*

mihi sérvet (in. v.) Pseud. 934. *Serváte di me⟨d⟩, óbsecro* (in. v.) Cist. 573[1]); *⟨o⟩ pietás mea, Sérva me* ... Curc. 639 sq.; *Sérva, Iuppitér, supreme, et me* ... (in. v.) Capt. 976; *Iúppiter supréme, serva mé* (in. v.) Men. 1114. — *Quód bonum atque fórtunatum sít mihi* (in. v.) Cas. 382; *Quód bonum atque fórtunatum míhi sit* (in. v.) Cas. 402. *Quod tibí sempitérnum Salútare sit* Aul. 147 sq. — *Di te infelicent* (in. v.) Rud. 885; *Di immortales te infelicent* (in. v.) Epid. 13[2]); *Di me et te infelicent* Cas. 246; *Di illum infelicent omnes* (in. v.) Poen. 449; *Hércle illunc di⟨vi⟩ infelicent* (in. v.) Merc. 436; *Hércules istum infelicet cúm sua licéntia* Rud. 1225. — Locutiones cottidianas in *malam crucem* (semper in fine versus exceptis Poen. 271, Pseud. 335, 1182) exeuntes congestas habes apud Luchsium in Stud. stud. I p. 18 sqq., quibus cognatas has addas: *Malám crucem ibo pótius* (in. v.) Poen. 496; *I ín malam a mé crucem* Cas. 641; ... *in malam magnám crucem* Men. 849 (cf. Luchsius l. s. l. p. 20 et editores ad locum); ... *summam ín crucem* ... Stich. 625; *I ín crucem* Asin. 940; †*Abi intro in crucem* (in. v.) Pers. 856ª; *Í in malum cruciátum* (in. v.) Pers. 574 (sic P: *Isis* A); *Áut abi in malúm cruciatum* (in. v.) Aul. 459. *Í in malam rem* (in. v.) Poen. 295; *Abi in malam rem* (in. v.) Pers. 288, *Ábi in malam rem* (in. v.) Capt. 877; *Ábi in malam rem máxumam a me* Epid. 78; *I malám rem* (m. v.) Poen. 873. — *Malúm, quod tibí di dabúnt* (in. v.) Amph. 563, Pseud. 1130; *Malúm quod isti di deaeque omnés duint* Most. 655; *Malúm tibi di dent* — (in. v.) Stich. 263 (sic P: *Malúm quidem si vis* — cum A Goetzius Schoellius); *Tibí quidem hercle, quisquis es, magnúm malum* (sc. dabunt) Stich. 108; *tibi hodie ut dét, senex, magnúm malum* Most. 529. — *Dí me perdant* (in. v.) Cist. 497, (m. v.) Aul. 645, Mil. 833; *Dí te perdant* (in. v.) Merc. 967, Mil. 286, Poen. 588, Pseud. 1230, Trin. 992; (m. v.) Epid. 23; *dí istam perdant* (m. v.) Pers. 622; ... *di vos pérdant* (m. v.) Men. 666; *Di illum ómnes perdant* (in. v.) Men. 596; *Quí te di omnes pérdant* (in. v.) Rud. 1166; *Quí di te omnes* ... *perdant* (in. v.) Trin. 997[3]); *qui istúm di perdant* (m. v.) Trin. 923; *Qui illúm Persam* ... *Male di ómnes perdant* Pers.

1) *di me⟨d⟩* coniecit Klotzius Altröm. Metr. p. 188; *di me* VE, *me di* B, cuius lectionem tutantur hiatu in semiquinaria admisso Osannus Anal. p. 114 et Spengelius T. Macc. Pl. p. 25 adn.; cf. autem Seyffertus Berl. phil. Wochenschr. VIII p. 234 adn. 1.

2) Cf. Ussingius ad loc.

3) *Quo* libri: *Qui te di* Scaliger; cf. Langenus l. s. l. p. 483.

783 sq.; *Quin hércle di te pérdant postremó quidem* Cas. 609[1]) *Di deaéque me omnes pérdant* — Pers. 292; *Di té deaeque omnis fúnditus perdant* (in. v.) Most. 684; *Ut istúm di deaeque pérdant* Pers. 298; *Qui illum di omnes deaéque perdant* (in. v.) Cas. 279; ⟨*Di*⟩ *deaeque illam perdant pariter* — Cist. 481. *Qui té di deaeque* — (in. v.) Pers. 296; *At té di deaeque quántumst* — (in. v.) Pseud. 37; *Di me pérduint* Truc. 331; *Di te pérduint* Poen. 610, Stich. 595; *ut te omnes, Démipho, di pérduint* Merc. 710; ... *téque di pérduint* Cas. 642; *Dei te et tuom erum pérduint* Poen. 863; *Di istum perduint* — Most. 668; *Hercle istum di omnes pérduint* (in. v.) Asin. 467; *Qui illum dei omnes pérduint* (in. v.) Men. 451; *Di illos homines ... pérduint* Men. 308[2]); *te ... di deaeque pérduint* Curc. 720, Merc. 793; *Út illum di immortáles omnes deaéque quantumst pérduint* Aul. 785. *Iúppiter te pérdat* (in. v.) Rud. 569; *Iuppitér te Perdát* Amph. 569 sq., Pseud. 250 sq.; *[Iuppiter te male perdat* (in. v.) Curc. 622[3]);] *Iúppiter te dique perdant* (in. v.) Aul. 658, Capt. 868, Curc. 317, Rud. 1112; *Diéspiter te deique ... pérdant* (in. v.) Capt. 909; *At te Iúppiter Dique ómnes perdant* Most. 38 sq., Pseud. 836 sq.; *Ut té bonus Mercuriús perdat* (in. v.) Cas. 238; *Hércules dique istam perdant* (in. v.) Cas. 275. *Iúppiter te pérduit* Epid. 66; *Diéspiter vos pérduit* (in. v.) Poen. 740; *Qui te Iuppitér dique omnes ... pérduint* Men. 933. *Utinám te di prius pérderent* (in. v.) Capt. 537. — *Dico út perpetuo péreas* Pers. 281; *Utinam ... Maló cruciatu in Sicilia perbíteres* Rud. 494 sq. *Di deaéque omnes me péssumis exémplis interfíciant* Most. 192. *Di deaeque et te ... excrúcient* (in. v.) Pers. 831. † *Si fraudassis, dic ut te in quaestú tuo Venus éradicet caput et aetatém tuam* Rud. 1345 sq. *Venerór te ut omnes miseri lenonés sient* Rud. 1349.

His vovendi atque exsecrandi formulis ex immensa formularum Plautinarum, quibus etiam proverbiorum aliquot adnumeres, mole (cf. etiam ex. gr.: *Quid ego ex te audio?* Seyffertus Stud. Plaut. p. 9, *animo bono's* [sim.] Brix.-Niem.[3] ad Mil. 1206, Leo ad Mil. 1236, *quom recogito* [sim.] Luebbertus Stud. Gramm. II p. 46, 211 sq., Seyffertus l. s. l. p. 8, *illuc sis vide* Seyffertus Phil. v. XXVII p. 432, *volui dicere:* Ritschelius Opusc. phil. II p. 437 sq., Kellerhoffius l. s. l. p. 83, *Ego dicam tibi* [semper ex. v. praeter Rud. 388: sim.]

1) *te di* Langenus l. s. l.
2) Cf. Seyffertus Stud. Plaut. p. 5 sq.
3) Pro *male* librorum apte coll. Curc. 720, Capt. 909 coniecit *miles* Leo (in adn.).

Kaempfius de pron. pers. usu et colloc. Berol. 1885 p. 5 etc. etc.) electis satis ostendisse mihi videor, quam varius sit Plauti sermo et in ipsa varietate quam sibi constans. Quaedam huc pertinentia in tertii quartique capitis adnotationibus tangam (cf. velut Aul. 7), Bacch. 7), Men. 9), Poen. 7), Pseud. 8) etc.).

Iam transeo ad alteram huius capitis partem, ad repetitiones rhetoricas. Neque miraberis, quod apud hunc poetam tam vividae actionis plenum haec artis rhetoricae pars eximio floreat vigore. Sic figura *ἀναδιπλώσεως* (vel *παλιλλογίας*) tritissima est Plauto; cf. ex. gr. *ei mihi, ei mihi* Bacch. 411, *mane mane* Amph. 765, Asin. 229, Aul. 655, Men. 180, Merc. 474, 928, *tene tene* Aul. 415, 713, *age age* Asin. 39, Epid. 631, Poen. 717, vel in nominibus Curc. 166, Mil. 313, 415; quin etiam ter eadem locutio repetitur ex. gr. Curc. 276 *exi exi exi,* Pers. 766 *age age age,* Pseud. 243 *Hódie nate, heus, hódie nate: tibi ego dico: heus, hódie nate,* Truc. 621 *iam iam iam,* Trin. 1094 *O Cállicles, o Cállicles, o Cállicles* (cf. Aristoph. Ran. 184). Atque ne 'anaphorae' (velut Asin. 424 sqq., Capt. 159 sqq., Truc. 902 sqq., Capt. 902 sqq., 923 sqq., Merc. 852 sqq., Mil. 191 sq., Poen. 418 sq.) vel 'epiphorae' (velut Cas. 517 sqq., Curc. 21 sq., Men. 941 sqq., Mil. 218, Most. 780 sq.) exemplis apud Plautum cottidianis proferendis tempus teram, de aliis quibusdam rebus ad artem rhetoricam spectantibus eisque huic dramatico generi propriis potius dicam. Cuius generis est, si persona aliqua, quae prius dixerat, repetit progrediente oratione aliqua cum vi: velut Amphitruo in scaenam progressus sic incipit loqui (v. 654): *Édepol me uxori éxoptatum crédo adventurúm domum,* deinde aliis interiectis sic claudit orationem (v. 658): *Cérte enim me illi éxpectatum optáto venturúm scio.* Cf. sim. Aul. 226 sqq., 517 : 520, Bacch. 316 : 319 sq., Cas. 775 sq. : 788 sq., Mil. 600 sq., 852 : 856, Most. 561 sqq. Praecipue hoc minitanti convenit schema, cf. Mil. 502 *Nisi mihi supplicium virgarum de té datur,* deinde v. 511 *Nisi míhi supplicium stimuleum de ⟨té⟩ datur* (cf. Leo ad loc.), sed etiam deos precanti, cf. Merc. 678 sqq. *Apóllo, quaeso te, út des pacem própitius, Salútem et sanitátem nostrae fámiliae, Meóque ut parcas gnáto pace própitius,* siquidem v. 680 ultima verba a Goetzio et Schoellio cruce ornata recte tutatus est Leo in adn. Idem suo iure servasse videtur sollemnem conceptorum verborum repetitionem Merc. 536[ab]. Eadem ratione pertinacis persona apte describitur Asin. 455 sq. *Sic pótius, ut Demaéneto tibi eró praesente réddam.* # *Erus istunc novit átque erum hic.* # *Ero huic praesente réddam,* Curc. 712 sqq. *Me ípso praesente ét Lycone*

tárpezita. # *Nón taces?* # *Nón taceo.* # *Non égo te flocci fácio: ne me térrites.* # *Me ipso praesente ét Lycone fáctumst.* Haec orationis gradatio interdum iam ex addito *inquam* vocabulo facile agnoscitur, velut Asin. 204 sqq. *Áliam nunc mi orátionem déspoliato praédicas, Longe aliam, inquam, praebes nunc atque olim quom dabam, Áliam atque olim quom inliciebas ...,* ubi v. 205 quamvis corruptum *(aliam ⟨mihi⟩* Pareus, Reizius, *inquam ⟨linguam⟩* Vahlenus Herm. tom. XVII p. 276 sq., *inquam ⟨orationem⟩ nunc* Leo in adn. sanabant: possis etiam *praedi⟨cas⟩ nunc, ⟨aliam⟩ atque)* non est cur cum Fleckeiseno, quocum etiam Goetzius et Schoellius fecerunt, secluseris; cf. enim locum satis similem Aul. 757 sq. *Haúd te invito póstulo, sed méam esse oportere árbitror. Quín tu iam inveniés, inquam, meam illam ésse oportere, Eúclio,* quorum alter versus miror quod adhuc dittographiae effugerit suspicionem; ceterum codices habent *eam (iam* corr. Brixius), unde Goetzius (in praef. ed. min.) probabiliter *illam* ad corrigendum *eam* referebat sic versum exhibens: *Quin tu illam invenies, inquam, meam esse ...* Cf. etiam Amph. 88 *Ipse hánc acturust Iúppiter comoédiam* ad v. 94 *Hanc fábulam inquam hic Iúppiter hodie ípse aget* atque Amph. 595 sq., Curc. 276, Merc. 916 sq., Most. 1:5, 453 : 456, Pers. 484, Pseud. 517 etc.

Rhetorica quaedam vis inest etiam in iteratis in versibus vicinis a) eisdem locutionibus affirmativis, velut Asin. 499:502 *(Fortasse;* cf. etiam vv. 493, 503), Cist. 697 : 702 *(Sed is hác iit),* Men. 621 sqq. *(Nugás agis),* Mil. 416 : 419 *(ea vidétur),* Most. 660 : 676 *(Ecce aútem perii)* Pers. 482 sqq. *(Credo),* Poen. 159 sqq. *(Cupio),* Rud. 1212 sqq. *(Licet),* 1269 sqq. *(Censeo),* Truc. 531 : 533 *(Ís te dono),* in verborum ludo: Curc. 314 : 316 *(ut ventum gaúdeam)* etc. etc.; — b) eisdem verbis imperativis vel prohibitivis, velut Amph. 810 : 813 *(né me appella),* Asin. 921 sqq. *(Súrge amator, í domum),* Aul. 640 : 649, Bacch. 857 : 861, 989^{a} : 990^{c} : 993, 1175 : 1181 *(I hac mécum intro;* cf. etiam v. 1185), Capt. 152 : 167, 385 : 388 : 430 *(animum advortás volo),* Cist. 751 : 754 *(Ne oblóquere),* Epid. 684 sqq. *(colliga),* Merc. 954 sq. *(i modo;* cf. Poen. 428 sqq., Trin. 583 sqq.), 1005 : 1015 *(Eámus intro;* cf. etiam v. 1008), Most. 489 : 491 *(auscultá modo)* etc. etc.; — c) eisdem interrogationibus, velut Amph. 1098 : 1118 *(Quid fit deinde?* [in. v.]), Asin. 177 : 215 *(Nón tu scis?* [in. v.]), 334 : 346 *(Quid tum póstea?* cf. etiam v. 350), Bacch. 295 : 303 *(quid illi?),* 844 : 850 *(quis illest?),* 990^{b} : 993 *(Quid opust?),* Cist. 724 : 731 *(quid quaéritas?),*

Merc. 317 : 321 *(Egon te?)*, Poen. 731 sqq. *(Quippini?)*, Trin. 986 sq. *(Ipsus est?)* etc. etc.

Quas ultimas attuli tribus generibus divisas repetitiones rhetoricas, eas animadvertendum est in singulis non semper plane discerni posse ab eis, quas in capite tertio tractandas mihi proposui; itaque ubi dubitari possit, quas minores duxerim atque huc magis pertinere sermonis similitudines, earum exempla nonnulla — omnia vix possis — supra congessi, maiores, ut in quibus satis diversa se praebeant poetarum ingenia, conspectui locorum earundem fabularum parallelorum subiunxi.

Rhetoricam porro spirare vim videntur enuntiata aut in se ipsis παραλλήλως formata, velut Amph. 199 *Nam quóm pugnabant máxume, ego túm fugiebam máxume,* 785, Aul. 482 sqq. (493), Trin. 320 sq. sim. aut in actione vivide sibi opposita, velut Amph. 537 sq. *Écastor condignum donum, quálest qui donúm dedit.* # *Ímmo sic:*[1]) *condignum donum, quálest quoi donó datumst,* Merc. 141 sq. *Hóminem ego iracúndiorem quám te novi néminem.* # *Át ego maledicéntiorem quám te novi néminem,* Pers. 365 sqq. *Virgo átque mulier núlla erit quin sít mala Quae praéter sapiet quám placet paréntibus.* # *Virgo átque mulier núlla erit quin sít mala Quae...*, Rud. 431 sq. . . . *Sapiénti ornatus quid velim indiciúm facit.* # *Méus quoque hic sapiénti ornatus quid velim indiciúm facit,* Amph. 658 sq., Asin. 640 : 642, 662 : 686, 669 : 697, Aul. 210 sq., 303 : 305, 425 sq., 742 sq., Bacch. 37 sq., Cas. 406 : 408, Curc. 308 sqq., 533 sq. : 537 sq., 574 : 577, Epid. 331 sqq., 480, 719 sq., Men. 205 sq., Merc. 426 : 428, 981 sq. : 983 sq. (cf. Goetzius et Schoellius in praef. ed. min.), Pers. 245; Bacch. 207 sqq. *(immo)*, Cas. 604 *(quin)*, Asin. 560 sqq. : 569 sqq. etc.; cf. etiam in interrogationibus Asin. 167 : 169, Aul. 431 sq., Bacch. 534, Cas. 269 sq., Pers. 13, Rud. 438 : 440 etc.

Unum his etiam adiungam genus, quod eo constat, ut alter alterius verba cum aliquo affectu repetat, velut Amph. 692 sq. . . . *Témptas; iam dudúm, modo.* # *Quí istuc potis est fieri, quaeso, ut dícis: iam dudúm, modo?*, Aul. 546 sq., 572 : 574, 611 : 617, Bacch. 747 : 750, Capt. 549 : 552, 1006, Cist. 287 sq. : 293 sq., Curc. 726, Mil. 377 : 418 etc., vel eum eius ipsius verbis usus inter-

1) Post *sic* gravius esse interpungendum recte vidit Niemeyerus, cf. Merc. 737, Pseud. 542, Mil. 68; etiam Bacch. 1100 qui sane esse traditum crediderit, sic scripserit: *immo édepol sic: ludós factum.* Quamquam sunt cur dubites.

rumpat, velut Curc. 7 *At tándem tandem* — # *Tándem es odiosús mihi*, Trin. 945 etc. Alia quaedam exempla ad artem rhetoricam pertinentia videas infra Trin. 4), Asin.-Poen. 2).

Caput III.

Iam eae relictae sunt sermonis Plautini similitudines, quas cum e neglegentia quadam huic poetae propria natae sint ad artem eius iudicandam permultum valere concedendum est. Quarum multitudinem ita digessi, ut hoc capite, quas singulae fabulae secum ipsis haberent sermonis similitudines, quarto, quas inter se, complecterer. Atque earum, quae statim subsequuntur, quamquam multae, cum saepius easdem res exprimi necesse sit, e natura rerum plus minusve necessariae viderentur, tamen separatim eas proferre nolui, quoniam et, ut diversam in his rebus inierunt poetae rationem, ita ne hae quidem nihil referunt ad eorum artem examinandam, neque interdum necessitatis atque neglegentiae fines satis certis distinguuntur terminis (cf. etiam quae supra p. 143 dixi). Prologorum ceterum eandem habui rationem quam ipsarum fabularum, non quo quam discrepans esset de eis virorum doctorum iudicium nescirem, sed quia eam potissimum sententiam, quam in 'Quaestionum Plautinarum' capite quarto luculenter exposuit Leo, sequendam duxi. Adnotationes et in hoc et in proximo capite posui, ubi versus comparatos aut tutandos aut similibus locutionibus illustrandos esse existimabam (cf. etiam supra p. 129).

Iam singularum fabularum secundum litterarum ordinem sese excipientium subsequantur loci paralleli:

Amphitruo:

1) 17 *Nunc quóius iussu vénio et quam ob rem vénerim,*
26 *Etenim ille quoius huc iússu venio Iúppiter ...*
2) 51 *Post árgumentum huius éloquar tragoédiae.*
96 *Dum huius árgumentum éloquar comoédiae.*
3) 90 *... Ióvem facere histrióniam?*
152 *Iovem ét Mercurium fácere histrióniam.*
4) 102 sq. *Is priusquam hinc abiit ipsemet in exércitum,*
Gravidam Álcumenam úxorem fecit suam.
1137 sq. *Tu grávidam item fecisti, quom in exércitum*
Proféctu's.
5) 108 sq. *Usúramque eius córporis cepit sibi*
Et grávidam fecit is eam compressú suo.

1135 sq. *Primum ómnium Alcuménae usuram córporis*
Cepi ét concubitu grávidam feci filio.

6) 192 *Império atque auspició eri ...*
196 *... ductu, ímperio, auspició suo.*

7) 252 *Ipsúsque Amphitruo régem Pterelam súa obtruncavit manu.*
415 *Ét ipsus Amphitruo óptruncavit régem Pterelam in proélio.*

8) 260 sq. *Post ób virtutem ero Ámphitruoni pátera donata aúreast,*
Qui Ptérela po⟨ti⟩táre rex est sólitus.
419 *Ptérela rex qui pótitare sólitus est patera aúrea.*
535 *Ptérela rex qui pótitavit, ...*

9) 390 *... quándo pugnis plús vales.*
396 *... quóniam pugnis plús vales.*

10) 404 sq. *Nónne hac noctu nóstra navis * ex portu Pérsico*
Vénit, ...
412 *Nám noctu hac solútast navis nóstra e portu Pérsico,*

11) 407 *... pugnis cóntudit?*
624 *... pugnis cóntudit.*

12) 623 *Vígilans vidi, vígilans † nunc vídeo, vigilans fábulor,*
698 *Équidem ecastor vígilo et vigilans id quod factumst fábulor:*

13) 628 *... nam mi istuc primum exquisitóst opus.*
791 *Ópus mist istuc éxquisito.*

14) 714 sqq. *Écastor equidém te certo heri ádvenientem ílico*
Ét salutavi ... et ósculum tetulí tibi.
799 sq. *... Áio, adveniensque ílico*
Mé salutavísti, et ego te, et ósculum tetulí tibi.

15) 882 sq. *... ita mé probri, ‖ Stupri, dedecoris á viro argutám meo:*
897 sq. *... qui me miseram árguit ‖ Stupri, dedecoris.*

16) 946 *Iube véro vasa púra adornari mihi,*
1126 *... iube vása pura actútum adornari mihi,*

17) 1042 *... résque ut factast éloquar.*
1129 *... simul hánc rem ut factast éloquar.*

Amph. 6) Cf. etiam v. 657. 10) Cf. etiam v. 823.
11) Eadem versus clausula exstat etiam Bacch. 450.
16) Cf. etiam Aul. 270, Capt. 861.
17) Cf. v. 1133 ... *quae futúra et quae facta éloquar.*

Asinaria:

1) 830 ... *si haec nunc mecum áccubat.*
832 ... *quia tecum áccubat.*
2) 901 sq. ... *edepól ne tu istuc cúm malo magnó tuo*
Dixisti in me.
909 sq. ... *et tú istaec hodie cúm tuo magnó malo*
Ínvocasti.

Aulularia:

1) 36 ... *Cereris vigiliis.* 795 *Céreris vigiliis* ...
2) 44 *Nam quá me nunc causa éxtrusisti ex aédibus?*
70 *Deciés die uno saépe extrudit aédibus.*
3) 69, 76 *Queo cómminisci:*
4) 74 sq. *Neque iám quo pacto célem erilis filiae*
Probrúm, propinqua pártitudo quoi áppetit ...
276 *Núnc probrum atque pártitudo própe adest ut fiát palam.*
5) 89 *Abi intro, occlude iánuam: iam ego hic ero.*
103 sq. *Tace átque abi intro.* # *Táceo atque abeo.* # *Occlúde sis*
Forés ambobus péssulis. iam ego hic ero.
273 sq. *Táce atque abi: curata fac sint quom á foro redeám domum.*
† *Atque occlude aédis: iam ego hic ádero.*
6) 295, 372, 540, 797 ... *filiai núptiis.*
7) 397 *Sed césso prius quam prórsus perii cúrrere?*
627 ... *séd ego cesso cúrrere?*
8) 431, 435 ... *nos cóquere hic cenam?*

Asin. 1) *accubat* verbum usitatum est in fine v.: cf. velut Bacch. 81, 140, 141, Pseud. 1311.

Aul. 3) Iniuria utrumque locum in suspicionem vocat Leo (in adn.); eadem verba coniuncta habes etiam Bacch. 982.

4) Versum 276 coll. v. 74 sq. fortasse additicium esse iudicat Leo; atque videtur certe hic versus superioris memoria factus esse, sed ipsa sententia cur post v. 275 minus apta sit quam v. 75 non video.

7) In cognato scaenarum exitu eandem interpunctionem (quam praetulerim etiam Epid. 100, Pers. 234) adhibendam esse vidit Leo; ceterum tales interrogationes, quibus se ipsum incitat qui loquitur, creberrimae sunt in comoedia, velut Cas. 237, 723, Mil. 896, Pers. 197 (*Cesso* ...?); Capt. 827, Epid. 100, Pers. 234 (*Sed ego cesso* ...?); Asin. 125, Men. 552 (*Sed quid ego cesso* ...?), saepius.

9)	678 sq.	*. . . inscéndam aliquam in árborem*
		Indeque óbservabo aúrum ubi abstrudát senex.
	706 sq.	*. . . me cónlocavi in árborem:*
		Indeque éxspectabam aúrum ubi abstrudebát senex.

Bacchides:

1)	56	*Nam huic aetati nón conducit, múlier, latebrosús locus.*
	430	*Íbi suam aetatem éxtendebant, nón in latebrosís locis.*
2)	137	*Tace átque sequere, Lýde, me.*
	169	*. . . sequere hac me ác tace.*
3)	468	*Périit tibi sodális.*
	484	*Míhi discipulus, tíbi sodalis périit.*
4)	489	*Pérdidisti mé, sodalis.*
	560	*Pístoclere, pérdidisti mé sodalem fúnditus.*
	567	*Pérdidisti me.*
5)	506	*Ego fáxo hau dicet náctam quem derídeat.*
	864	*Faxó se haud dicat náctam quem derídeat.*
6)	522	*Patér ne noceat neú quid ei suscénseat,*
	533	*Vérum postremo impetravi, ut néquid ei suscénseat.*
	690 sq.	*Ímmo tibi ne nóceat neuquid ób eam rem suscénseat.*
		Átque aegre impetrávi.
7)	576	*. . . ánne eat secúm semul.*
	591	*. . . eat secúm semul.*
8)	789	*Cedo.* # *Nósce signum.* # *Nóvi.*
	986	*Nósce signum: estne eius?* # *Novi.*
9)	794	*Manedúm parumper: iam éxeo ad te, Chrýsale.*
	1052	*. . . mane istic: iam éxeo ad te, Chrýsale.*
10)	858	*. . . iám manufesto hominem ópprimet.*
	867	*Dum né manufesto hominem ópprimat . . .*
11)	1153	*. . . égo quod dixi haud mútabo.*
	1202	*Quod sémel dixi haud mutábo.*

Aul. 9) Ipsa locorum similitudine vetamur ullam coniecturarum ad eos prolatarum comprobare.

Bacch. 1) Editores multi post Guyetum v. 430 damnant, non recte.

5) V. 506 *derideat* P: *deluderet* A; priorem versum loquitur amator desperatus, alterum iratus miles. Neuter versus pro spurio haberi potest.

7) *secúm simul* frequens est Plautinorum versuum clausula, cf. Pseud. 693, 1034, Rud. 53; eodem v. loco invenitur *mecúm simul* Cist. 92, Pseud. 1123, *tecúm simul* Men. 736.

Captivi:

1)	1	... *hic captivós duos,* 110 ... *istos captivós duos...*
2)	4	*Senéx qui hic habitat...* 96 *Senis qui hic habitat...*
3)	5	*Sed is quo pacto sérviat suo sibi patri,*
	21	*Hic núnc domi servit suó patri nec scit pater:*
	50	*Ita núnc ignorans suó sibi servít patri:*
4)	8	*Altérum quadrimum púerum servos súrpuit...*
	760	*Puerúm quadrimum quém mihi servos súrpuit,*
	876	*Qui tibi surripuit quadrimum púerum filiolúm tuom.*
	1011	... *hic sérvos, qui te huic hinc quadrimum súrpuit,*
5)	9	*Eumque hinc profugiens véndidit in Álide...*
	18	*Domo quém profugiens dóminum abstulerat, véndidit.*
6)	24	*Postquám belligerant Aétoli cum Áleis,*
	93	*Ita núnc belligerant Aétoli cum Áleis:*
7)	27 sq.	*Coepít captivos cómmercari hic Áleos,* *Si quém reperire pósset qui mutét suom...*
	100 sq.	*Hominés captivos cómmercatur, si queat* *Aliquem ínvenire suóm qui mutet fílium.*
8)	34	*Emít hosce e praeda ámbos de quaestóribus.*
	453	... *quom íllos emi dé praeda a quaestóribus:*
9)	35, 47	... *confinxerúnt dolum.*
10)	80, 165	... *in occultó latent:*
11)	92	*Nam póstquam meus rex ést potitus hóstium —*
	144	*Ego póstquam gnatus túos potitust hóstium...*
12)	156	... *fugitant ómnes hanc provínciam.*
	158	... *fúgitare hanc provínciam.*
13)	251	... *si ex his quaé volo exquisívero.*
	293	... *eádem ego ex hoc quaé volo exquaesívero.*
14)	295	... *hic fassúst mihi.*
	317	... *éadem quae hic fassúst mihi?*
15)	299, 412	... *et génus et divitiás meas,*
16)	340	*Vérum, te quaeso, aéstumatum hunc mihi des quem mittam ád patrem,*
	379	*Ut te aéstumatum in Álidem mittam ád patrem,*
17)	384, 686	... *in patriam ád patrem.*

Capt. 3) Cf. etiam v. 29.

4) Codices habent v. 8 *surrupuit,* aliis locis *surripuit* correctum a Camerario vv. 8, 760, a Pylade v. 1011. 6) Cf. etiam v. 59.

10) Cf. v. 82 sq. 16) Cf. etiam vv. 364, 432 sq., [438] (supra p. 132).

14) Cf. Cist. 6). 17) Cf. 16), vv. 365, 699.

18) 487 *Ábeo ab illis, póstquam video mé sic ludificárier:*
490 *Núnc redeo inde, quóniam me ibi video ludificárier.*
19) 546, 565 ... *qui istum appelles Týndarum pro Philocrate.*
20) 669 ... *quam ób rem suscensés mihi?*
680 ... *id nunc suscensés mihi?*
21) 805 *Míra edepol sunt ni hic in ventrem súmpsit confidéntiam.*
812 ... *habét profecto in véntre confidéntiam.*
22) 809 *Eórum si quoiúsquam scrofam in público conspéxero,*
821 *Eórum ego si in viá petronem pública conspéxero,*
23) 891, 897 ... *si vera aútumas.*
24) 982 *Tuós pater pecúliarem párvolo pueró dedit.*
1013 *Párvolum pecúliarem párvolo pueró dedit.*

Casina:

1) 68, 73 ... *serviles núptiae.*
2) 90 ... *sine ted árbitro?* 143 ... *sine med árbitro.*
3) 99 ... *Quin ruri es in praefecturá tua?*
110 *Rure incubabo usque in praefecturá mea.*
4) 382, 402 v. supra p. 139.
5) 553 ... *éa se eam negat morárier.*
603 *Negávit eius óperam se morárier.*
6) 579 *Iamne hánc traduxti huc ád nos vicinám tuam,*
597 *Ut tráduxisti huc ád nos uxorém tuam.*
7) 653 ... *Timór praepedít dicta linguae.*
704 *Timór praepedít verba.*

Cistellaria:

1) 99 *Mé uxorem ductúrum esse:*
103 *Eum uxorem ductúrum esse aliam.*

Capt. 18) Varie hos versus temptaverunt viri docti, quorum commenta allata invenies apud Schoellium (in ed. mai. app. ad vv. 490 sqq.). Sed v. 487 suo loco aptissimus est, v. 490 quam arte cohaereat cum bono v. 491 recte iam Schoellius sensit iniquius inde ansam ambos delendi repetens (in adn.). Ac ne in sententiae quidem repetitione ulla apparebit offensio πάθος scaenae consideranti (cf. etiam v. 484: v. 489); verborum quamvis leves discrepantiae firmant adeo loci integritatem.

19) Versum 565 induxerunt post Osannum Anal. crit. p. 181 Fleckeisenus, Brixius1—3, quorum iudicium fulcire conatur Bachius Stud. stud. II p. 329; sed neutro loco haec verba deleri possunt, quin totus sermo fiat deterior (cf. Langenus Plaut. Stud. p. 26, Leo in adn.).

24) V. 982 *parvulum* codicum e v. 1013 correxit Lindemannus.

2) 123 ... *quae hinc flens abiit* ...
192 *Quae dúdum flens hinc ábiit* ...
3) 147, 197 *Haec sic res gestast.*
4) 162, 179 ... *quam comprésserat.*
5) 250, 303 ... *ne tibi suscénseat.*
6) 654 ... *quae dúdum fassast mihi, quae ne infitiás eat?*
661 *Ómnia infitiáre iam, quae dúdum confessást mihi.*

Curculio:

1) 18 ... *Deridésne me?* 392 ... *Quaéso, deridésne me?*
2) 413, 416 ... *ómnes Summanúm vocant.*
3) 435, 488 *Et aúrum et vestem.*
4) 490 sq. *Meménto promisisse te, si quisquam hanc liberáli Causá manu adsereret, mihi omne argéntum redditum eiri,*
709 sq. *Prómistin, si liberali quisquam hanc assererét manu, Te ómne argentum rédditurum?*
5) 499, 514 ... *meo quidem ánimo.*
6) 531 *Quoi⟨i⟩ hómini dei sunt própitii, lucrum ei profecto obiciunt.*
557 *Quoi homini di súnt propitii, ei nón esse iratós puto.*
7) 568, 713 ... *ne me térrites.*
8) 641, 658 *Fratér mi, salve.*
9) 693 ... *Cóllum óbstringe,* ...
707 *Nil agit, collum óbstringe homini.*

Epidicus:

1) 30 *Pól illa ad hostis tránsfugerunt.*
35 *Trávolaverúnt ad hostis.*
2) 116 *Si hércle haberem, ⟨pólliceror⟩.*
331 *Si hercle hábeam, pollliceár lubens.*

Cist. 3) V. 197 codd. *res gesta sic est:* traiec. Bothius.
4) Cf. etiam v. 178. 5) Cf. Bacch. 6), Merc. 960.
Curc. 4) Cf. etiam vv. 667 sqq., Poen. 1348.
5) Cf. Men. 200 ... *Meó quidem animo* ...
6) Scaliger et Muellerus Plaut. Prosod. p. 756 v. 531 damnabant; damnandi causam nec attulerunt neque, quae quidem probabilis sit, invenias (cf. Ussingius ad loc.). Ceterum cf. Curc.-Pers. 2).
Epid. 1) Versus 34—36 recte suo loco tutati sunt Ussingius, Schredingerus Observ. in Pl. Epid. p. 24, Leo, Goetzius (in ed. mai. sec.).
2) V. 116 supplevit C. F. W. Muellerus l. s. l. p. 257 adn. 2.

3) 160, 193 ... *argentum aúferam.*
4) 185 ... *qui exénterem marsúppium.*
511 *Meum exénteravit Epidicus marsúppium.*
5) 197 ... *per ómnem urbem quem súm defessus quaérere:*
719 *Quámne hodie per úrbem uterque súmus defessi quaérere?*
6) 245 sq. ... *Stratíppoclem* || *Périphan⟨a⟩i fílium.*
508 *Stratíppoclem aiunt, Périphan⟨á⟩i fílium.*
7) 353 *Manibus his dinumeravi pater suam natam quam esse credidit.*
367 sq. *Quippe égo qui nudiustértius meis mánibus denumerávi*
Pro illá tua amica quám pater suam fíliam esse rétur.
8) 438 ... *Periphanes † Platénius.*
448 ... *Periphanem † Platénium.*
9) 479, 503 ... *fídicinam Acropolístidem?*

Menaechmi:

1) 71 *Hunc quaéritatum géminum germanúm suom.*
232 *Fratrém quaesitum géminum germanúm meum.*
2) 282 ... *Oe, cérte hic insanúst homo.*
292 *Nam équidem insanum ésse te certó scio,*
312 *Nam tú quidem hercle cérto non sanú's satis,*
325 *Non édepol tu homo sánus es, certó scio.*
3) 296, 324 *Ego té non novi:*
4) 344, 442 ... *návis praedatória.*
5) 445 ... *véniam advorsum témperi.*
464 ... *edepol vénio advorsum témperi.*

Epid. 7) V. 353 ut in codicibus traditus est, soluta potius oratio atque sensu carere videtur: sed si cum correctoris veteris (B^3) auctoritate *credit* restituis, *dinumeravi* corrigis e v. 367, elisionem *manib'* admittis (quamquam dubitationi obnoxiam) vel verba sic: *Manibus denumeravi his* transponis cum Leone (in adn.), totum demum versum cum praecedenti coniunctum sic cum Vahleno (Ind. lect. Berol. 1880, p. 15) distinctum legis: *Nam léno omne argentum ábstulit pro fídicina — ego resolvi, Manibús denumeravi hís — pater suam nátam quam esse crédit,* bene quadrare versum 353 fateberis in enumeratione dolorum contra Periphanem aut factorum aut parandorum; contra in novo dolo explicando cum iterata argenti soluti commemoratio (v. 367) necessaria non sit, minusque adeo necessaria — turbat potius hoc loco quodam modo sententiarum conexum — recordatio eandem esse illam fidicinam quam filia Periphanis quae videatur (v. 368), tamen hoc ipsum contra morem Plautinum fieri negaverim. Quamquam locum suspectum esse concedo.

6) 476 sq. *Prandí, potavi, scórtum accubui: ápstuli* || *Hanc ...*
1141 sq. *... prandi pérbene,*
Pótavi atque accúbui scortum: pállam et aurum hoc ⟨ápstuli⟩.

7) 489, 709 *Flagitium | hominis.*

8) 615 sq. *Pér Iovem deosque ómnis adiuro, úxor, — satin hoc ést tibi? —*
Mé isti non nutásse.
655 sq. *Pér Iovem deosque ómnis adiuro, úxor, — satin hoc ést tibi? —*
Nón dedisse —

9) 631 *Tún negas? # Nego hércle vero.*
821 *Tú negas? # Nego hércle vero.*

10) 672 *... orabo út mihi pallam réddat, quam dudúm dedi.*
678 sq. *... pallam íllam, amabo té, quam tibi dudúm dedi,*
Mihi eam redde:

11) 721 *Quam istaéc flagitia túa pati, quae tú facis.*
735 *Atque ei narrabo túa flagitia, quaé facis.*

12) 727, 1029 *Meá quidem hercle caúsa ...*

13) 777 *Quid tu tristis és? quid ille autem ábs te iratus déstitit?*
810 *Quid tu tristis és? quid illa autem irata abs te déstitit?*

14) 831 *Ei mihi, insanire me aiunt, últro quom ipsi insániunt.*
962 *Án illi perperam insanire me aiunt, ipsi insániunt?*

15) 832 *... quando ille me insanire praédicant,*
958 *... insanire praédicant?*

Men. 6) V. 1142 e loco simili probabiliter supplevit Onions Journ. of philol. XIV p. 74.

7) Idem convicium eodem modo exstat etiam Asin. 473 (aliter: Cas. 551).

8) Neque in hac repetitione suo iure offendisse credo Leonem et ceterae huius scaenae similitudines (rhetoricae magna ex parte), quas post alios congessit Schoellius (in ed. mai. app. ad vv. 604 sqq.), tam leves sunt, ut conspectui supra proposito inserere noluerim. Cum hac scaena, cuius elegantem et variationis plenam disputationem 'nimium distractam' increpat Schoellius, cf. ex. gr. Most. III 1, Rud. IV 4.

9) V. 821 quamquam *Tu⟨n⟩* ante *negas,* quod editores novicii cum Bothio in contextum receperunt, nullo suppleri potest negotio, attamen *Tu* traditum purgari posse docet Terent. Andr. 909; ceterum cf. Men.-Mil. 2), Amph. 758 sq., Curc. 711.

11) Cf. etiam vv. 719, 738.

12) Eadem locutio eodem v. loco exstat etiam Rud. 139; cf. etiam Asin. 275 *Meá quidem hercle ópera ...*

14) V. 831 tradito loco defendit Vahlenus (in edit., Berol. 1882).

16) 1031 sq. ... '*Quom tu liber es, Messénio,* ‖ *Gaúdeo*'.
1148 ... *Quóm tu's liber, gaúdeo, Messénio.*

Mercator:

1) 13, 210, 260 ... *fórma eximia múlierem.*
2) 103, 267 *Vosmét videte* ...
3) 128 ... *Ego animi péndeo.* 166 ... *nimis diu animi péndeo.*
4) 163 *Périi, tu quidém thensaurum huc míhi adportavisti mali.*
641 *Nón hominem mihi, séd thensaurum néscioquem memorás mali.*
5) 181, 888 *Túam* | *amicam* — # *Quid eam?* 479 *Túam* | *amicam* —
6) 185 *Hóc quod te [inter]rogó responde.* # *Quín tu siquid vis roga.*
214 *Hóc quod te rogó responde,* ⟨*quaéso*⟩. # *Quaéso, quid rogas?*
7) 364 *Quíd illuc est, quod sólus secum fábulatur filius?*
379 *Quíd illuc est, quod ille á me solus se in consilium sévocat?*
8) 412, 1007 *Hércle qui tu récte dicis.*
9) 441, 597 ... *advorsum méi animi senténtiam?*
10) 474, 928 *Máne, mane, opsecró, Charine.*
11) 807 *Sed máter rure rédiit:*
810 *Iam máter rure rédiit?*
12) 819 *Nam si vir scortum dúxit clam uxorém suam,*
827 *Si quis clam uxorem dúxerit scortúm suam,*

Men. 16) Cf. etiam Epid. 711 *Quóm tu's liber, gaúdeo.*

Merc. 1) Cf. Mil. 782 ... *fórma lepida múlierem.*

2) Cf. etiam Poen. 91, Trin. 463.

6) V. 185 post v. 181 traditum apte transposuit Acidalius; Ussingius, cum 'mera repetitio videatur versus 214' (similiter iudicat Langenus Plaut. Stud. p. 309), mira arte critica usus eum illius loco in contextum recepit.

7) 'V. 379 sine causa ab Osanno Anal. p. 201 sq. sollicitatus propter v. 364' recte adnotavit Goetzius (in ed. mai.).

9) *mei* v. 441 iam Scaliger supplevit; cf. etiam Poen. 1411 ... *advorsum ánimi tui senténtiam* (in dittogr. scaenica).

10) V. 928 *opsecro* post *mane* inserit Leo (in adn., cf. etiam Amph. 765, Men. 180); quo inserto quomodo hiatus in vice personarum relinquatur, ut affirmat Muellerus Mus. Rhen. v. LIV (a. 1899) p. 398, non video.

12) V. 827 ut e v. 819 perperam iteratum damnabant post Osannum Anal. 204; recte oblocutus est Langenus l. s. l. p. 308.

Miles gloriosus:

1) 57 *Virtúte et forma et fáctis invictissimum?*
1042 *... praéclarum virtúte et forma ⟨et⟩ fáctis.*
2) 153 *Ita súblinetur ós custodi múlieris.*
467 *Út sublinitur ós custodi caúto, ...*
3) 162 sq. *... sé sectari aut simiam ‖ Dicat:*
179 *... sé sectari símiam.*
4) 199 *... id visum ut ne visúm siet.*
227 *Quae hic sunt visa ut visa ne sint, fácta ut facta né sie⟨n⟩t.*
5) 370 sq. *Ego stúlta et mora múltum,*
Quae cum hóc insano fábuler, ...
443 *Ímmo ecastor stúlta multum, quaé vobiscum fábulem.*
6) 873 *Lepide hóc succedit súb manus negótium.*
1143 *... negótium omne iám succedit súb manus.*
7) 981 sq. *Iúbe sibi aurum atque órnamenta quae illi instruxti múlieri*
Dóno habere † auferet abs te, quo lubeát sibi.
1099 sq. *Aurum átque vestem múliebrem omnem habeát sibi*
Quae illi instruxisti: súmat, habeat, aúferat:
1126 sq. *... atque illaec quae dixi dato:*
Aurum órnamenta quae illi instruxisti ferat.
1147 sq. *Quín etiam aurum atque órnamenta quae ipse instruxti múlieri*
Ómnia dat dono, á se ut abeat:
8) 1314 *... Quin tu iúbes efferri ómnia quae isti dedi.*
1338 *... [h]ecferte huc intus ómnia quae isti dedi.*
9) 1325 *Hábe bonum animum.* # *Scio ego [in] quid doleát mihi.*
1343[a] *Fer aéquo animo.* # *Scio ego quid doleát mihi.*
10) 1352 *Iám vale.* # *Et tu béne vale.*
1361 *Béne vale.* # *Et tu béne vale.*

Mil. 1) Cf. etiam vv. 1021, 1027. 6) Cf. etiam Pers. 450.

7) V. 982 magis quam quas prolatas video virorum doctorum coniecturas, sic scribere placet: *Súmere, dono habére auferreque ábs te ...*; v. 1099 spurium putavit Ussingius, contra quem recte egit Langenus l. s. l. p. 54. V. 1127 e versibus similibus supra ascriptis interpolatus videbatur Osanno l. s. l. p. 182, cuius iudicium plurimi editores suum fecerunt; sed praeter eorundem verborum repetitionem cum quod ei crimini detur non sit, Ussingio et Leoni assentior eum tutantibus.

8) *quae isti* codd. utroque loco; traiecerunt *isti quae* duce Ritschelio v. 1314, Taubmanno Bothio v. 1338 Goetzius et Schoellius.

11) 1413 *Si te salvom hinc ámittemus Vénerium nepótulum.*
1420 sq. *Salvis téstibus*
Út te⟨d⟩ hodie hinc ámittamus Vénerium nepótulum.

Mostellaria:

1) 22, 64 *... bíbite, pergraecámini:*
2) 166 *Contémpla, amabo, méa Scapha, satin haéc me vestis déceat.*
282 *Ágedum contempla aúrum et pallam, sátin haec⟨me⟩ deceát, Scapha.*
3) 270, 820 *Nón videor vidísse ...*
4) 512 *Quid túte ⟨te⟩cum loquere?*
551 *Quid tú⟨te⟩ tecum?*
5) 514, 524 *... páx mihist cum mórtuis.*
6) 938 *... Cállidamati nóstro advorsum vénimus.*
947 *... Éi advorsum vénimus.*
7) 1169 *Tránioni amítte, quaeso, hanc nóxiam causá mea.*
1177 *Hánc modo missam nóxiam unam quaéso fac causá mea.*

Persa:

1) 147 *... propera, abí domum:*
306 *Propera, ábi domum.*
2) 467 sqq. *Age illúc apscede prócul et conspectú: tace.*
Ubi cúm lenone mé videbis cónloqui,
Id erít adeundi témpus.

Most. 2) Cf. etiam v. 172.

3) Locos similes collegit Leo ad Curc. 260 (quibus addas Epid. 587, Pers. 698).

7) V. 1177 habent libri *unam noxiam unam;* priorem *unam* recte in *missam* correxisse videtur Lomanus Miscell. p. 49.

Pers. 2) Utroque loco erant qui offenderent in his versibus; quod attinet ad secundum, cum iam Ritschelius praef. Pers. XIX sq. (in ed. alt. a Schoellio curata) scaenam IV 9 'amissis quibusdam partibus in brevius contractam esse' suspicatus sit, latius hanc *διασκευαστοῦ* in brevius contrahentis curam patere (inde a IV 5) contendit Goetzius Act. soc. Lips. VI p. 300 (cf. etiam de Wilamowitz Ind. lect. Gotting. 1893/94 p. 21). Contra Schoellius l. s. l. p. XXI Langeni potius sententiae, qui l. s. l. p. 180 contra Goetzium egerat, favens pauciores tantum versus incuria librariorum magis quam retractatoris studio intercidisse probavit. Neque ipsa versuum 727 sqq. e loco simili (vv. 467 sqq.) repetitorum sana videbatur esse Goetzio sententia; sed si vv. 728 sq. scaenis sequentibus

727 sqq. *Age illúc abscede prócul e conspectú: tace.*
Ubi cúm lenone mé videbis cónloqui,
Tum túrbam facito.

3) 522, 541 ... *ex Árabia penitissuma.*

4) 593 ... *Atque hercle tú me monuisti haú male.*
697 *Atque édepol tu me cómmunisti haú male:*

5) 668, 713 ... *fecisti lucri.*

6) 692 sq. *Numquid céterum ‖ Me vóltis?*
708 sq. ... *numquid céterum ‖ Voltis?*

Poenulus:

1) 96 sqq. *Earum hic adúlescens álteram efflictim perit ...*
(98) *Neque eam úmquam tetigit:*
1095 sq. ... *earum hic álteram efflictim perit*
Neque eam íncestavit umquam.

2) 162, 1030 ... *et nequam ét malum.*

3) 171 sq. ... *satin intéllegis? ‖ # Intéllego hercle, ...*
1103 sq. ... *intéllegis? ‖ # Intéllego hercle:*

non ad amussim respondent, hoc corrigitur v. 730 (quem et ipsum ut in solo A exstantem in suspicionem vocabat vir doctissimus). In vv. 467 sqq. invectus est Ussingius, qui vv. 468 sq. ut quibus in proximae scaenae initio non statim satisfieret, minore sane iure, quam quo vv. 728 sq. deleri posse vidimus, damnabat; v. 467 *tace* 'inepte ei dici, qui nihil dixerit neque dicturus videretur' idem affirmavit, cum potius utroque loco *tace* universam 'quiescendi', 'non turbandi' (cf. v. 729 *Tum túrbam facito)* notionem habere iam e sententiae structura *(illuc abscede — tace)* appareret; quo tertio usus est argumento post *ubi* dicendum fuisse *ibi*, non *id*, si omnino in *id* offendendum est (quod non credo), tum sane lenissima coniectura iam a Ritschelio in iudicium vocata *ibi* pro *id* (eadem corruptela ex. gr. exstat etiam Aul. 439 a Guyeto sanata) ponitur. Neque etiam his tribus versibus cum Ussingio eiectis omnia se recte habent, sed scaenarum IV 2 et 3 coniunctio plane discinditur; si Leo, qui ex Ussingii argumentis tantum vv. 467. 468 delet, in lacuna, quam inter vv. 466 et 469 statuit, Toxilum dixisse suspicatur 'post epistulam perlectam et rem lenoni expositam adeundi tempus fore', coniectura haec est probabilis fortasse, certo non necessaria. Itaque cum neutro loco sine sententiae ruina resecari possint versus similes 467 sqq. et 727 sqq. atque retractationis suspicio quamquam haud plane refutanda, tamen paulo audacior videatur, tutius videtur suis locis versus illos relinquere.

Pers. 4) Cf. etiam Men. 385.

Poen. 1) Adnotandus est his versibus insolens transitivus usus simplicis *perit* (intransitive adhibitum habes ex. gr. Merc. 444 in eadem versus clausula ... *efflictim perit)* pro composito *deperit* (cf. v. 103, Amph. 517 ... *te ecflictim déperit).*

4) 175 sqq. *Dicátque se peregrinum esse ex alio óppido:*
Se amáre velle atque óbsequi animó suo:
Locúm sibi velle líberum praebérier,
Vbi néquam faciat clám, nequis sit árbiter.
560 *Ísque se ut adsimuláret peregrinum [esse] áliunde ex alio óppido,*
656 sqq. *Ait sé peregrinum esse, húius ignarum óppidi:*
Locúm sibi velle líberum praebérier,
Ubi néquam faciat . . .
(661) *Potáre, amare vólt.* # *Locum lepidúm dabo.*
At enim hic clam furtim ésse volt, nequís sciat
Neve árbiter sit.
5) 280 *Énim vero, ere, facís delicias.* # *Dé te quidem haec didici ómnia.*
296 *Énim vere, ere, meo mé lacessis lúdo et deliciás facis.*

Poen. 4) Vv. 175 sqq. et 656 sqq. paris sunt gratiae et, quod propter Ussingium (ad v. 176) monendum est, paris in actione necessitatis; uno alterove deleto pulchre currens oratio moleste impeditur. V. 560 metrum restituitur eiecto aut cum Bothio *esse* (cf. Amph.-Pers. 2)) aut cum Leone *Isque.*

5) Vv. 289—296 cum iam Hasperus Fleckeis. annal. suppl. V p. 304 (28) ut dittographiam notasset, item in suspicionem vocabat C. F. W. Muellerus Nachtr. z. Plaut. Pros. p. 63 sq. ut parallelos vv. 275—80, cui etiam Goetzius Act. soc. VI p. 265 sq. assensus est. Causas damnandi vero protulerunt viri doctissimi hasce: V. 296 esse repetitionem v. 280, vv. 297 sqq. accurate excipere versum 288, inter quos qui inepte intercedant vv. 289—296, eos insulse atque frigide eadem iterare, quae iam dicta essent vv. 275 sqq. Quibus nescio an recte opposuerit Schuethius De Poen. Plaut. quaest. crit. (Bonn. 1883) p. 23 'Agorastoclem sapientia amatae verba (285—88) non laudibus prosecutum esse' verisimile non esse, cui etiam Leo accessit 'non probabile esse' affirmans 'meretrices tam longos sermones sine virorum interloquio habuisse'. His argumentis aliae possunt addi: si a v. 288, quo quamvis male traditus sit, tamen bene cumulari sororum disputationem recte senserunt Schuethius et Leo, statim pergis ad v. 297, tum sane valde offendit illud *credo* in eius ore, quae non 'credere' debuit, quod modo (vv. 284 sqq.) pro certo audiverat. Contra interpositis vv. 289—296 *credo* spectatorum gratia insertum apte quam antea docte disputaverant sorores sententiam, rursus arripit, ut ad novas deinde res novum deflectat colloquium. Omnino quid sibi velint vv. 289—296, in quorum sermone quid tanta dignum sit vituperatione, non intellego — nam sententiae iam antea prolatae non repetuntur, sed facete variantur —, e tota huius scaenae I 2 partis (vv. 263—328) quemadmodum composita sit, consideratione demum percipitur: id enim est consilium poetae, ut seriis atque doctis sororum disputationibus quater admiratio Agorastoclis cum eri servique facetiis opponatur, dum eisdem

6) 415 *Trecéntos Philippos Cóllabisco vilico . . .*
558 *Quó modo trecéntos Philippos Cóllabisco vílico . . .*
7) 483, 702 *Quid múlta verba?*
8) 536 *Séd tamen cum éo cum quiqui quámquam . . .*
588 *. . . cum eo cum quiqui tamen . . .*
9) 603 *. . . Eu édepol mortalés malos.*
653 *. . . Mortalis malos:*
10) 878, 889 *. . . Mále credam et credám tamen.*
11) 955 *Sed hic mihi antehac hóspes Antidamás fuit.*
1051 *Patritus ergo hóspes Antidamás fuit.*
12) 1076, 1158 *Mi pátrue, salve.*
13) 1105 *Cum nútrice una súnt surruptae párvolae.*
1346 *Eae súnt surruptae cúm nutrice párvolae.*
14) 1137 *Tua pietas nobis pláne auxilió fuit.*
1277 *Mi pater, tua pietas plane nóbeis auxilió fuit.*

verbis, quibus haec pars scaenae incipit, nova actio incohetur (v. 263 *Eámus, mea sóror* [in. v.]: v. 329 *Eámus, mea germána* [in. v.]). Neque tamen tam accuratam apud hunc potissimum poetam singularium partium responsionem exspectabis, ut eam turbari contendas Milphionis conviciis (vv. 271—274) vel vv. 313—16, quos Hasperus l. s. l. damnandos censuit: eiectis cum Ritschelio v. 303 (cf. supra p. 133) et cum Guyeto v. 305 interpolatis ceteroquin omnia se recte habent; nam neque est, cur cum Goetzio l. s. l. versuum 279 sqq. traditum ordinem, quem recte tutatus est Schuethius l. s. l. p. 22 sq., relinquas neque ipse Schuethius vv. 275—283 postea additos esse iure affirmavit. Nam si 'quam ob causam Agorastocles Milphionem advocaverit, non comperimus', hoc scilicet factum est sequentibus facetiis; de significatione verborum *Milphio, heus, ubi es?* et scaenica actio spectatorem docuit et nos certiores fimus v. 324 (cf. etiam v. 308): etenim advocat erus servum, ut secum admiretur ingenium Adelphasii. V. 279 ioci *assum-elixus* genuinam formam hic exstare, non Most. 1115, propterea verisimile est, quod hoc solo loco anceps vocis *assum* (saepius ad sedulitatem ostentandam usitatae, velut Amph. 956, Capt. 978, Mil. 1031, Trin. 277) significatio, in qua facetiae vis hic posita est, intellegitur (cf. Langen, Beitr. p. 6). V. 282 acumen, quo post *amo* ad deos et amatam spectans iocose *metuo* tantum ad deos pertinet, non perspexit Schuethius. Ceterum cf. Cas.-Men. 1).

Poen. 7) Variationem habes his locis pro quibus ceterum uti solet poeta locutionibus cottidianis *Quid verbís opust?* (Amph. 445, 777, Bacch. 483 etc.) et *Quid opust verbis?* (Amph. 615, Aul. 468, Bacch. 1164 etc.).

8) Explicuit Buechelerus in Woelffl. Arch. v. I p. 280.

9) Cf. etiam Bacch. 293, Most. 1071.

10) V. 878 propter ipsum verborum cum v. 889 concentum frustra coniecturis temptaverunt Brixius et Ussingius, qui ne obelum quidem ei adhibere veritus est; cf. quae Leo ad v. 889 adnotavit.

14) Geppertus Stud. Plaut. v. I p. 74 sq. cum offenderet in versibus 1278 sq. et 1356 sqq. (quos ultimos suo iure seclusit Brachmannus De

Pseudolus:

1)	61	*Nisi quid mihi in test aúxili.*
	71	*Nisi quaé mihi in test aút tibist in mé salus.*
2)	80	*Misér sum: argentum núsquam invenio mútuom —*
	299	*Nímis miser sum: númmum nusquam réperire argenti queo:*
3)	106 sq.	*Atque id futurum unde únde dicam néscio,*
		Nisi quia futurumst:
	567 sq.	*Quo id sim facturus pácto, nil etiám scio,*
		Nisi quia futurumst:
4)	114 sqq.	*Róga me viginti minas,*
		Ut me éffecturum tibi quod promisi scias,
		Roga, ópsecro hercle: géstio promittere.
		# *Dabisne argenti mi hódie viginti minas?*
		# *Dabó:*
	1070 sqq.	*Róga me viginti minas,*
		Si ille hódie illa sit potitus múliere,

Bacch. Plaut. retract. saenic. p. 73 sq.) post vv. 1155 sqq., dubitanter adiecit etiam v. 1277, qui iam antea paulo mutatus exstet (v. 1137), suspectum videri. Atque unum saltem est, quod primo obtutu in his versibus mirum videatur: commonefacere Agorastoclem patruum dotis omnino non promissae. Neque enim e versibus 1080 sq., quibus ipsis appositis — genuinos potius esse credo — ab 'alio' quodam, 'qui illorum non recte meminerit', etiam hos versus additos esse satis 'lubrica', ut ipse fatetur, est Schuethii l. s. l. p. 38 coniectura, tale quid elici potest. Sed propterea ut versus damnem e dittographia ortos, tantum abest, ut potius levi poetae errore vel priore loco (vv. 1155 sqq.) hanc dotis mentionem intercidisse vel hoc loco additam esse credam. Tales discrepantiae apud omnes poetas inveniri possunt adeoque mirum esset, si deessent in Plauto 'non adstricto percurrente pulpita socco'; cf. Schanzius Röm. Littgesch. I p. 60, adn., Curc.-Pers. 1), Merc. 560 cum vv. 584 sqq. (praecipue v. 587). Mea quidem sententia Hannonis gratulatio (vv. 1274—76) apte excipitur verbis Adelphasii (v. 1277), totam scaenam bene concludunt vv. 1278 sq.

Pseud. 4) V. 1073 ut parallelum v. 116 eiciebat Lorenzius eumque secuti sunt Goetzius (in ed. mai.), Leo; contra quos quam cautiorem inierunt artis criticae viam Ussingius, Goetzius-Schoellius, ea etiam mihi probanda videtur. Nam multo vividius v. 1074 iterato illi *roga* (vel *gestio* voci) subiungitur, quam ut quasi claudus vv. 1070 sqq. subsequatur. Si tenes v. 1073, haud necessaria est, quae Ritschelio placuit, inversio vv. 1074 et 1075. Ceterum versui 1075 si artem logicam adhibueris, ineptus videbitur: nam quomodo leno mulierem (i. e. Phoenicium) Simoni se condonaturum esse polliceri potest, si ea potitus sit Pseudolus? Neque tamen ideo iocus vere Plautinus delendus est.

Sive eám tuo gnato hódie ut promisit, dabit.
Roga, ópsecro hercle: géstio promittere,
Omnibus modis tibi ésse rem ut salvám scias:
Atque étiam habeto múlierem donó tibi . . .
(1077) # *. . . vigintí minas*
Dabín? # *Dabuntur.*
5) 119 *Atque hóc, ne dictum tíbi neges, dicó prius:*
125 *Nunc, néquis dictum síbi neget, dico ómnibus,*
6) 174 *. . . hodie éxperiar,* 176 *. . . hodie expériar.*
7) 265 *. . . nam si sácruficem summó Iovi . . .*
327 *. . . ut ego huic sácruficem summó Iovi:*
8) 340 *Díc mihi, obsecro hércle, verum sério, hoc quod té rogo:*
1191 *Résponde, obsecro hércle, vero sério, hoc quod té rogo:*
9) 381 *Íllic homo meus ést, nisi omnes dí me atque homines déserunt.*
600 *St, táce tace: meus hic ést homo, ni omnés di atque homines déserunt.*
10) 384, 585ᵇ *Hóc ego oppidum ádmoenire ut hódie capiatúr volo.*

Pseud. 6) V. 176 iniuria in suspicionem vocabat Leo (in adn.).

8) V. 1191 iam Muellerus Nachtr. p. 140 *hoc* in libris Pall. post *hercle* exstans non recte traditum esse credidit, quod Ambrosianus (cf. Loewius Anal. Pl. p. 172) confirmavit; *hoc quod te rogo* crebra est formula (cf. Men. 914, Pseud. 479, 1179, Trin. 930, Truc. 273).

9) V. 600 cur e v. 381 inserto *me* cum Bothio, Ritschelio corrigas vel *tace* cum eisdem falso repetitum credas, causa non est; versum contra Ussingium post alios eum expungentem tutatus est Langenus Plaut. Stud. p. 363 sq. Se ipsos alloquuntur personae Plautinae figura admodum usitata, cf. Ussingius ad Most. 870; adde etiam Bacch. 1058 . . . *taceam núnciam.* Enuntiatum, quod apte praecedit de novo consilio ratiocinationi, suppressum indicat Pseudoli gaudium.

10) Priore loco versus tolli nequit; alter versus cum in confuso exstet loco, varia excogitaverunt viri docti. Si vv. 585 sqq. per se consideraveris, sane offendere potest v. 587 ambigue illud e v. 585ᵇ repetitum *hoc oppidum* addita voce *vetus* et variatum, ut videtur, e v. 586 *atque huc meas legiones adducam* illud *meum exercitum obducam,* deinde coniunctio Plauto ceteroquin inaudita *continuo — protinus,* particularum utriusque temporalium: cf. Langenus Beitr. p. 163 sq., Brix.-Niem.[3] ad Mil. 1193. Ritschelius Opusc. phil. II p. 279 sq. fundamentum emendationis putavit proscriptionem versus 585ᵇ ascripti, ut opinabatur, e v. 384; neque tamen v. 585ᵇ simpliciter eiecto (sic nuper Leo) locum sanatum esse recte vidit: tum enim *atque huc* non conexum est verbis *date operám modo,* vox *expugno* caret obiecto plane necessario nec e praecedente prorsus diversa imagine nec e sequentibus apte supplendo. Itaque satis intricata et ortae confusionis et emendandae ratione instituta ad eum finem pervenit vir sagacissimus, ut de uno tantum impetu (sc. in Ballionem) cogitans haec verba genuina

15) 409 *Sed cónprimunda vóx mihi atque orátiost:*
788 *Sed cómprimendast mihi vox atque orátio:*
16) 485, 527 *Per sýcophantiam átque per doctós dolos ...*
17) 555, 566 *Non démutabo.*
18) 718 *Éius servos qui húnc ferebat cúm quinque árgenti minis,*
753 *Sýmbolum hunc ferát lenoni cúm quinque argentí minis,*
19) 927, 932 *... dolis átque mendáciis ...*
20) 963 *Quís hic homo chlamydátus est?*
1101 *Sed quís hic homost chlamydátus?*
21) 1155 *...Átque ut a me múlierem tu abdúceres?*
1194 *...ut falláciis hinc múlierem a me abdúceres.*
22) 1207, 1233 *... múlierem qui abdúceret.*

Rudens:

1) 56 *Ibi ésse quaestum máxumum meretrícibus.*
541 *Illi ésse quaestum máxumum meretrícibus:*

putaret: *Namque ad oppidum hoc ego vetus continuo legiones meas Protinam adducam: hoc si expugnaro, facilem civibus rem faciam.* Simplicius res se expediret, si aliis versibus integris relictis tantum v. 587 ut dittographiam deleres, cf. similes Bergkii (Op. I p. 107) et Winteri (Über die metr. Rekonstruktion d. plaut. Cant. p. 72) coniecturas. Sed omnes difficultates dissolvuntur, si cum Spengelio T. Macc. Pl. p. 32 sqq., cui frustra obnisus est Ritschelius l. s. l. p. 768 sq., servatis quae tradita sunt verbis de duplici impetu (sc. in Ballionem et Simonem) sermonem esse credis: quod commendatur et locis a Spengelio allatis Pseud. 524 sq., 691, 704 sq. et numero plurali his versibus: 580, 583, 589, 763, necessarium prorsus fit *post* illo et ad discernenda oppida addito *vetus* (cf. Pseud. 412, Bacch. 711) v. 587. Verba *facilem hanc rem meis civibus faciam* παρενθετικῶς inserta sunt (Leo). Ceterum conferas, quae Goetzius in ed. mai. ad hunc locum adnotavit.

Pseud. 15) V. 788 ad versus similis (409) exemplum corrigebat Ritschelius, 'quando neutro sat commode posse carere videmur'. Cf. etiam Uss. ad v. 409: 'v. redit infra 792, neutro tamen loco spurius'.

16) V. 485 delebant Ritschelius, Goetzius, Leo; sed si comparas Bacch. 805 sq., locum huic satis cognatum *Et té dixisti id aúrum ablaturúm tamen* || *Per sýcophantiam?* ⌗ *Égone· istuc dixí?* ⌗ *Ita* facile concedes per se hunc versum hoc loco nullam praebere offensionem. Contra alterum locum si cum Ussingio spurium habes, anacoluthi vv. 527 sqq. augetur asperitas. Ceterum cf. Pseud. 19).

Rud. 1) V. 56 notabat Fleckeisenus, cui etiam Langenus Plaut. Stud. p. 366 assensus est, qui quamquam ei rei nihil tribuendum esse, quod versus alio loco repetatur vel si absit hoc loco, non desideretur, recte

2)	78	*Quoius déturbavit véntus tectum et tégulas.*
	87	*Ita omnis de tecto déturbavit tégulas:*
3)	388	*... Ego dicám tibi: hoc sése excruciat ánimi, ...*
	399	*... ne sic se excruciet ánimi.*
4)	649	*... eas ambas ésse oportet ⟨líberas⟩.*
	714	*Sí tuas esse opórtet nive eas ésse oportet liberas,*
5)	782 sqq.	*Ego quaé tu loquere flócci non fació, senex.*
		Meás quidem te invito ét Venere et summó Iove
		De ará capillo iám deripiam. # *Tánge dum.*
	#	*Tangam hércle vero.* # *Ágedum ergo, accede húc modo.*
	795 sqq.	*Minácias ego flócci non faciám tuas:*
		Equidem hás te invito iam ámbas rapiam. # *Tánge dum.*
	#	*Tangam hércle vero.* # *Tánges? at scin quó modo?*
6)	1109, 1133	*Cistellam isti inésse oportet caúdeam in isto vídulo:*
7)	1295	*Siquís perdiderit vídulum cum auro átque argento múlto,*
	1309	*Quid pérdidisti?* # *Vídulum cum auro átque argento múlto.*

censet, tamen hunc versum delendum esse statuit, quod ex arte logica ineptus sit post v. 54, aptus ante v. 542. Cui scrupulo cum nullo negotio traiectis vv. 54 et 55 satisfieri posset (cf. Schoellius in ed. mai.), tamen ne hac quidem medicina utar, quia quam non obstrictus sit Plautus in hoc potissimum prologorum genere argutioribus rationis logicae legibus docere potest vel sententiarum conexus in Mercatoris prologo inde a vv. 46 sqq. Deinde videas, quam iucunde v. 56 *ibi* post v. 53 sq. tertium iterato solita prologi garrulitas augeatur, cum altero loco tantum *illi* idoneum sit; quod docte in *ibi* commutasse, cum versum post v. 55 insereret, non sit interpolatoris.

Rud. 2) Dziatzko Mus. Rhen. v. XXIV (a. 1869) p. 583 nimis sagaci argumentatione usus v. 78 proscribebat itemque Schoellius in ed. mai.; sed nec non convenit prologo haec loquacitas, quae quod deinde accuratius explicetur — in ipsorum v. 85 sqq. latitudine offendit Langenus l. s. l. p. 71 — iam antea significet, nec cur Plautus, ut *imbricis et tegulas* (Mil. 504) vel *tegulas imbricesque* (Most. 109) ex ipsius Dziatzkonis testimonio coniunxit, ita non etiam *tectum et tegulas* dicere potuerit, quamquam aliud exemplum casu non exstat, apparet.

4) V. 649 supplevit Camerarius.

5) Leo (in adn.) vv. 795—97 'quamvis actioni aptos' — hoc quin concedat, facere non potest vir doctissimus — 'cum 782—785 ipsis verbis magis conspirare quam in talibus admiserit Plautus' iudicans duplici recensioni (pro vv. 782—794) ascribere studet. Sed ut in hac lepida scaena non invenitur, quod excitare potuerit decurtatoris alicuius studium, ita vide, quanto aptius sese excipiant et vv. 794, 795 et vv. 797, 798 quam eiectis versibus 795—797 vv. 794, 798.

Stichus:

1) 418 *Age abdúc hasce intro . . .*
435 *Age ábduce hasce intro.*
2) 467 *Valuistin usque? # Sústentatumst sédulo.*
586 *Váluistin bene? # Sústentatumst sédulo.*
3) 534 sq. *Deós salutatum átque uxorem módo intro devortór domum.*
Haéc si ita ut voló conficio, cóntinuo ad te tránseo.
623 *Deós salutabó modo: poste ad té cóntinuo tránseo.*

Trinummus:

1) 117, 142 . . . *fide et fidúciae,*
2) 203 *Atque égomet me adeo cúm illis una ibidém traho:*
412 . . . *Ibidem uná traho.*
3) 403, 420 *Minás quadraginta áccepisti a Callicle:*
4) 440 *Ego quóque volo esse líber: nequiquám volo.*
565 *Et égo esse locuples, verum nequiquám volo.*

Stich. 3) Versum bonum 535, quem post Ritschelium 'ut ad similitudinem v. 623 fictum' damnant (cf. Baierus de Pl. fab. rec. Vratisl. 1885 p. 122, Leo Rel. soc. litt. Gott. 1902 p. 379) potius casu quam consilio in recensione Palatina intercidisse crediderim.

Trin. 3) Vv. 420—24 ut alterum huius scaenae (II 4) initium positos esse a diasceuasta satis improbabiliter arbitratus est Ladewigius Philol. v. XVII p. 251 sq. propter et sententiae v. 420 sq. pravam post v. 402 sq. abundantiam et ipsorum verborum cum eisdem versibus nimiam similitudinem, ad quam cf. Most. 1010 sq. *Minás quadraginta áccepisti, quód sciam,* ‖ *A Phílolachete?* Sed conexum sententiarum iam prius optime enarraverat Ritschelius Parerg. p. 542 sq. (quamquam et ipse in Trin. ed. alt. de hac re dubitabat): nam servus, qui 'nullum iam refugium relictum videns ad rationem singillatim reddendam descendit', bene a pecunia pro aedibus accepta quasi fundamento rationis suae proficiscitur. Et hos versus (403, 420) et qui eis similis est v. 126 *Minás quadraginta, ádulescenti ipsi in manum* prima tantum specie sibi contradicere — iniuria damnabat Ritschelius — recte animadvertit Bergkius Opusc. I p. 619: Stasimus servus est quasi dispensator Lesbonici.

4) Vv. 562—68 ut versuum 439—41 iocum repetentes damnat Ribbeckius Mus. Rhen. v. XXVII p. 180, qui cod. veteris (B) lectione, quae quomodo orta sit, facillime sic explicatur, ut librarii oculi a *verum* v. 564 ad *verum* v. 565 aberraverint, abusus mire e vv. 562, 567 frustulis novum sententiarum conexum restituit; sed praeterquam quod, cur tamdiu clam inter se collocuti sint Philto et Stasimus, quibus excusetur vix deesse possunt, aptum est mendacium senis v. 564, quod ei e v. 440 facile in mentem venire potuit. Nec in v. 567 sq. ulla est offensio: nam saepius eadem sententia iteratur apud Plautum, ubi altera persona alterius verba

5) 849, 960 ... *quem égo qui sit homo néscio ...*
6) 936 sq. ... *sed ego sum insipientior,* ‖ *Qui ...*
1057 *Séd ego sum insipiéntior qui ...*
7) 970, 1068 ... *ego sum Chármides.*

Truculentus:

1) 34 *Temptát benignusne án bonae frugi sies.*
41 *Atque ést benignus pótius quam frugi bonae,*
2) 384 sq. *Primumdum quóm tu's aucta líberis*
Quomqué bene provenísti salva, gaúdeo.
516 sq. *Quóm tu recte próvenisti quómque es aucta liberis,*
Grátulor, ...

Caput IV.

In universum conferas, quae initio capitis tertii disserui; iam quas huic capiti seposui fabularum inter se statim subsequantur sermonis similitudines:

1) Amph. 184 *Quoniám bene quae in me fécerunt, ingráta ea habui atque ínrita.*
Asin. 136 sq. *Íngrata atque ínrita esse ómnia intéllego*
Quaé dedi et quód bene féci:
2) Amph. fragm. XVII *Nóli pessumó precari.*
Asin. 477 *Pergín precari péssumo?*
1) Amph. 792 sq. *Quid ego aúdio?* ‖ # *Íd quod veru⟨m⟩st.*
Aul. 734 sq. *Quid ego ex te aúdio?* ‖ # *Íd quod verumst.*
1) Amph. 407 (624): Bacch. 450 cf. Amph. 11).
1) Amph. 697 ... *Quaéne vigilans sómniat?*
Capt. 848 ... *Hic vigilans sómniat.*

non intellexit, cf. Cas. 185 sqq. *Vir Péssumis mé modis déspicatúr domi.* # *Hém.* # *Quid est?* # *Díc idem hoc — nám pol hau sátis meo Córde accepí querellás tuas — ópsecro.* # *Vír me habet péssumis déspicatám modis* . . ., Amph. 596 (: 595), Bacch. 600 (: 599), Most. 959 sqq. (: 956 sqq.).

Truc. 1) V. 41 contra Boeckelium Exercit. Plaut. Carlsr. 1872 p. 28 recte defendit Schoellius Anal. Plaut. p. 56.

Amph.-Asin. 2) Asin. locum male intellectum Servium Dan. in Aen. VIII 127 errore quasi ex Amph. attulisse coniecerunt Goetzius-Loewius (in ed. mai.).

Amph.-Aul. 1) Cf. supra p. 140.

Amph.-Capt. 1) Cf. etiam Cist.-Men. 1).

2) Amph. frg. III *Óptumo iure infringatur aúla cineris in caput.*
Capt. 89 *... frángique aulas ín caput.*
1) Amph. 391 *... Tuaé fidei credó? # Meae.*
Cas. 1007 *... Tuaén fidei credó? # Meae.*
2) Amph. 610 *... Míhi quidem uno té plus etiamst quám volo,*
Cas. 359 *... Te úno adest plus quam égo volo.*
1) Amph. 626 *... ita naugás blatis.*
Curc. 452 *... [nam] ita nugás blat[t]is.*
2) Amph. 984 sq. *Concédite atque abscédite omnes, dé via decedite:*
Nec quisquam tam audax fúat homo, qui óbviam obsistát mihi.
Curc. 281 sqq. *... abite et dé via decédite,*
(284) † *Nec quisquamst tam opulentus, quí mi obsistat in via, ...*
1) Amph. 1011 sqq. *Nam ómnis plateas pérreptavi, gýmnasia et myropólia,*
Ápud emporium atque in macello, in palaestra atque ín foro,
Ín medicinis, ín tonstrinis, ápud omnis aedís sacras
Súm defessus quaéritando, ...
Epid. 197 sqq. *Périphanem, per ómnem urbem, quem súm defessus quaérere:*
Pér medicinas, pér tonstrinas, ín gymnasio atque ín foro,
Pér myropolia ét lanienas círcumque argentárias:

Amph.-Capt. 2) Ad rem cf. Curc. 396; *in caput* ex. v. exstare videtur etiam Amph. frg. IV. Codicum utroque loco consensu aliquid mutare vetamur.

Amph.-Cas. 1) Rec. Pal. utroque loco habet *tuae;* A in Amph. non exstat, in Cas. loco eius scripturam cum editoribus reddidi.

Amph.-Curc. 1) Rectam vocis *blatis* scripturam contra codd. Plaut. servavit Nonius p. 44, 8; *nam* particulam Curc. 452 recte delevisse videtur Langenus Beitr. p. 232, cuius emendatio loco Amph. parallelo, quem vir ille doctus praeteriit, magis etiam commendatur.

2) Curc. 281 necessariam arbitror Ritschelii et Brixii (Nov. Annal. v. CI [a. 1870] p. 763) *decedite* pro tradito *secedite* emendationem; Amph. 985 tradita lectio ferenda est, Curc. 284 fortasse sanatur inserta cum Leone post *nec* voce *homo.* Cf. etiam Capt. 791 ... *néquis mihi obstiterit óbviam,* ubi aut tradita tenenda sunt cum Skutschio Forsch. I p. 9 adn. 2 aut cum Guyeto *quis* ut e v. sequente huc delatum delendum est.

1) Amph. 41 sq. *Nam quid ego memorem, ut álios in tragoédiis Vidi . . .*
Merc. 3 sq. *Non égo item facio, ut álios in comoédiis Vi ⟨ví⟩di . . .*

2) Amph. 107 *Is amáre occepit . . .*
Merc. 13 *Ibi amáre occepi . . .*

3) Amph. 526 *. . . tímidam palpo pércutit.*
Merc. 153 *. . . Palpo pércutis.*

4) Amph. 655 *Quaé me amat, quam cóntra amo:*
Merc. 919 *. . . quaé me amat, quam ego cóntra amo?*

5) Amph. 661 *. . . án ille me temptát sciens . . .*
Merc. 722 *. . . sed tu me temptás sciens.*

6) Amph. 965 *Hábui expur⟨i⟩gátionem:*
Merc. 960 *Át e[r]go expur⟨i⟩gátionem habébo, . . .*

7) Amph. 996 *. . . dum íd modo fiát bono.*
Merc. 1022 *. . . quód bono fiát modo.*

1) Amph. 153 *Qui me álter est audácior homo . . .?*
Mil. 313 *. . . quís homo in terra te álter est audácior?*

2) Amph. 887 sq. *. . . néque me perpetiár probri ‖ Falso ínsimulatam . . .*
Mil. 396 *Neque mé quidem patiár probri falso ínpune insimulátam.*

3) Amph. 1048 sqq. *Cértumst, intro rúmpam in aedi[bu]s: úbi quemque hominem aspéxero,*
Si[ve] áncillam . . . videbo, óbtruncabo in aédibus:
Mil. 460 sq. *Íntro rumpam récta in aedis: quémque hic intus vídero*
Cúm Philocomasio ósculantem, eum óbtruncabo extémp⟨u⟩lo.

Amph.-Merc. 2) Conferri potest etiam Rud. 44 *Amáre occepit.*
4) Cf. etiam Asin. 631, Cist. 95, 193, 239.
6) Cf. Ritschelius Opusc. II p. 431.
7) Abrahamus Stud. Plaut. p. 210 usitatiorem verborum collocationem requirens ad exemplum loci Merc. paralleli Amph. 996 verba sic transponit: *dum íd bono fiát modo;* sed cf. velut Amph. 590 . . . *míseriast servó bono.*
Amph.-Mil. 1) Codd. meliores habent *interemat est alter;* Ritschelii emendatio certa fit coll. loco Amph. simili.
3) Hiatum quamvis legitimum Amph. 1050 si tolles, aut Fleckeisenum *eum* aut Muellerum Plaut. Pros. p. 544 inter alia *ego* ante *obtruncabo* inserentem sequeris; *in aedibus* iam a Camerario correctum ex *in aedibus* v. 1050 corruptum esse videtur, ubi haec verba et ipsa postea demum voci *extempulo* substituta esse fortasse conicere licet. De vocis *extempulo* in fine versus usu vide Br.-Niem.[3] ad Mil. 461.

1) Amph. 253: Most. 767 ... *úsque a mani ad vésperum.*
2) Amph. 459 *Vivo fit, quod númquam quisquam mórtuo faciét mihi.*
Most. 428 ... *quod crédo mortuo nunquám fore.*
1) Amph. 344 *Áin vero?* # *Áio enim vero.* # *Vérbero.*
Pers. 184sq. ... *Ain véro, verbereúm caput?* || # *Áio enim vero.*
2) Amph. 969 *Iam hic ero, quom illic censebis ésse me.*
Pers. 190 *Séd ita volo te cúrrere ut domi sis, quom ego te † esse illi cénseam.*
1) Amph. 69sq. † *Sive qui ambissent palmam histriónibus Seu quoiquam artifici —*
Poen. 37 *Ne pálma detur quoiquam artifici iniúria,*
2) Amph. 80 ... *quibus est ea res in manu.*
Poen. 52 ... *quibus est in manu.*
3) Amph. 372 ... *certumst, nón est arbitrárium.*
Poen. 787 ... *cérto, haud arbitrário.*
4) Amph. 958: Poen. 1326 ... *gaúdeo et volup ést mihi.*
1) Amph. 319 *Mirum ni hic me quási murenam éxossare cógitat.*
Pseud. 382 *Éxossabo ego illúm simulter itidem ut muraenám coquos.*
2) Amph. 367: Pseud. 540 ... *consutis dolis.*
3) Amph. 563: Pseud. 1130 cf. supra p. 139.

Amph.-Most. 1) Cf. etiam Mil. 503 ... *a mane ad vésperum*, Merc. 580.

Amph.-Pers. 1) Pers. v. 190, quem sic sine metri vitio esse traditum vix credi posse — nisi *illi* (vel ut BF habent *illic*) monosyllabum leges — recte censet Schoellius (in app. ed. mai.), cum tamen coll. Amph. 969 non facile dici possit, quo vel quibus verbis deletis recto stet talo, varia fuit emendandi ratio. Neque tamen in prima versus parte leviter aliquid mutari potest; in qua damnum latere crediderunt Bothius, Ritschelius, Geppertus, quorum coniecturae (videas apud Schoellium) Palatinorum scriptura *curare* corrupta, ut videtur, e vera, quam A praebet *currere*, nituntur, Leo, qui pro *currere* substituit *ire* (coll. v. 191), cum quomodo synonymum in contextum invaserit, non appareat; *te esse* delevit Schoellius: equidem tantum *esse* eiecerim, quod saepius invito metro illatum est: cf. Asin. 837, Bacch. 218 (cf. Bacch.-Cas. 1)), *te* potius tenendum esse duco collato ipso, quem versum Schoellius attulit, Pers. 214.

Amph.-Poen. 2) *in manu* ex. v. saepius exstat velut Asin. 94, Pers. 187, Stich. 706.

Amph.-Pseud. 2) Cf. Ussingius ad Amph. 363 et Pseud. 353 ... *Nempe concéptis verbis?* # *Étiam consutis quoque.*

1) Amph. 19 ... *nómen Mercurióst mihi.*
Rud. 5 ... *nómen Arcturóst mihi.*
2) Amph. 322 *Átque haud longe abésse oportet,* ...
Rud. 255 *Haud lónge abesse opórtet homines hinc:*
3) Amph. 903 ... *Pótin [est] ut abstineás manum?*
Rud. 425 ... *pótin ut me abstineás manum?*
4) Amph. 1121 ... *Summus ímperator dívom atque hominum Iúppiter:*
Rud. 9 *Quist ímperator dívom atque hominum Iúppiter,*
5) Cf. Amph.-Merc. 2).
1) Amph. 536: Stich. 530 ... *Fácis ut alias res soles.*
2) Amph. 899: Stich. 626 ... *Ita ingeniúm meumst:*
1) Amph. 541: Trin. 883 *Fáciam ita ut vis.*
1) Amph. 899: Truc. 358 *Quo te ávortisti?*
Asin.: Amph. cf. Amph.-Asin. 1) 2).
1) Asin. 282: Capt. 769 *Máxumas opímitates* ...
2) Asin. 729 ... *Quin néc caput nec pés sermoni[s] appáret.*
Capt. 614 *Gárriet quoi néque pes umquam neque caput compáreat.*

Amph.-Rud. 1—5) Amphitruonis et Rudentis sermonis similitudines collegit F. Marxius l. p. 129 l. p. 3 adn. 1, qui ut omisit 3) 5), ita alia potius omittenda huc traxit, velut Amph. 418: Rud. 420 *(Séd quis ais?* [in. v.]; cf. Amph. 620, Cas. 252, Men. 914, Trin. 195, 196 saepius), deinde si comparat Amph. 591: Rud. 621, quid his locis cognati intercedat praeter *vi* substantivum et alliterationem Plauto tritissimam, non video.

1) Dubitanter reliqui, quia solet ponere poeta ex. v. *est nomén mihi* (cf. Cist. 465, Pseud. 637, 639, Trin. 889); sed cf. Asin. 10.

4) Cf. *divom atque hominum* (in. v.) Merc. 842, (m. v.) Aul. 300; cf. etiam Capt. 622 *Át ita me rex deórum atque hominum fáxit* ...

Amph.-Stich. 1) Similis versus exitus est Men. 752 *Ecástor pariter hóc atque alios rés soles.*

2) Cf. Amph.-Truc. 1); quam receperunt Amph. 899 ad hiatus tollendos satis 'ingeniosam' Seyfferti coniecturam ⟨*ingeni*⟩ *ingenium* (cf. Stich. 126) Goetzius et Schoellius, ea incertior redditur loco Stichi parallelo supra comparato.

Amph.-Trin. 1) Eadem locutio exstat etiam (Poen. 1422), Trin. 1172 (m. v.).

Amph.-Truc. 1) Amph. 899 aliquid mutare, ut multi voluerunt viri docti, quorum conamina videas apud Goetzium et Loewium (in ed. mai.), ipso verborum cum Truc. loco simili concentu vetari videmur.

Asin.-Capt. 2) Asin. 729 *sermonis* librorum e Capt. 614 correxit O. Seyffertus Philol. v. XXVII (a. 1868) p. 440; cf. Otto Sprichw. d. Röm. p. 74.

1) Asin. 697 ... *Quam véro indignus videor?*
Merc. 172 *Tándem indignus videor?*
2) Asin. 720 *Opta id quod ut contingát tibi vis.* # *Quid si optaro?* # *Evéniet.*
Merc. 907 sq. ... *Opta érgo ob istunc núntium quidvis tibi.* # *Quid si optabo?* # *Deós orato, ut éius faciant cópia⟨m⟩.*

1) Asin. 685: Pers. 311 *Vidébitur: factúm volo.*

1) Asin. 4 sq. *Face núnciam tu praéco omnem auritúm poplum.*
Age núnc reside:
Poen. 11 sqq. *'Exsúrge, praeco, fác populo audiéntiam'* ...
(15) *Age núnc reside,* ...
2) Asin. 93 *Defrúdem te ego? age sis, tu sine pennis vola.*
Poen. 871 *Síne pennis voláre hau facilest:*
3) Asin. 668 *Prehénde auriculis,* ...
Poen. 375 ... *síne prehendam auriculis,* ...

1) Asin. 56 ... *Quia non súppetunt dictis data.*
Pseud. 108 *Utinám quae dicis díctis facta súppetant.*

1) Asin. 13: Rud. 352 *Inést lepos* ...

1) Asin. 10 sq. ... *húic nomen Graéce Onagost fábulae:*
Demóphilus scripsit, Máccus vortit bárbare:
Trin. 18 sq. *Huic Graéce nomen est Thensauro fábulae:*
Philémo scripsit: Plaútus vortit bárbare,

1) Asin. 168 *Módo quom accepisti, haúd multo post áliquid quod poscás paras.*
Truc. 51 *Priusquam únum dederis, céntum quae poscát parat:*

Asin.-Merc. 2) Asin. 720 *optaro* librorum Merc. 506 — potius Merc. 908 afferre potuit — cum Luebberto Stud. gramm. I p. 78 adn. in *optabo* mutandi nulla est causa.

Asin.-Pers. 1) Cf. *Factúm volo* Bacch. 495, *Fácta volo* Aul. 146.

Asin.-Poen. 2) Asin. 93 seclusit Fleckeisenus assentientibus omnibus editoribus noviciis. Sed quod post v. 92 nova infertur imago, hoc non fit contra poetae morem; nam Plauti sermo ut abundat proverbiis et similitudinibus undique petitis, ita non veretur poeta eandem rem pluribus imaginibus laxe coniunctis illustrare, cf. velut Aul. 194 sqq., Capt. 78 sqq. (conexus fit repetito *prolatis rebus)*, Cas. 970 sq. (cf. Capt.-Cas. 2)), Epid. 35 sqq. (cum adn. Leonis), 493 sqq., Mil. 288 sqq., Poen. 753 sq., Pseud. 382 sqq. Deinde quod verbis *Defrudem te ego* inepte repeti eadem, quae proximo versu legantur, contendit Ussingius (in adn.), non intellexit vir doctus *πάθος* huius loci, ad quod cf. Capt. 139, Truc. 441.

2)	Asin.	186	*Véra dico: ad suóm quemque hominem quaéstum esse aequomst cállidum.*
	Truc.	416	*Ad su⟨ó⟩m quemque aequomst quaéstum esse cállidum.*
3)	Asin.	614 sq.	*O mélle dulci dúlcior [mihi] tu's.* # † *Certe enim tu vita's mihi:* *Compléctere.* # *Fació lubens.*
	Truc.	370 sq.	... *Compléctere.* ‖ # *Lubéns. heia hoc est mélle dulci dúlcius.*
	Aul.:	Amph.	cf. Amph.-Aul. 1).
1)	Aul.	631	*Quaé te mala crux ágitat?*
	Bacch.	584	*Qui⟨d est? quaé⟩ te mala crux ágitat, ..?*
1)	Aul.	166	*Égo virtute deum ét maiorum nóstr[or]um dives súm satis.*
	Capt.	324	*Égo virtute deum ét maiorum nóstrum dives súm satis.*

Asin.-Truc. 2) Necessaria est sententia, quae in universum dicta sit, neutro loco; ut interpolatum ex Asin. Truc. versum damnabant Spengelius, Kiesslingius, Bergkius; contra illo loco non aptam eam vocabat Boeckelius Exercit. Plaut. p. 30 sq., cuius iudicio adstipulati sunt Schoellius (in ed. mai.), Leo (in adn.). Mihi neuter delendus videtur, minime Asinariae; nam lena a sententia initio orationis suae proposita (v. 177) cum deflexisset, in fine (v. 186) ad eam rediens his verbis quasi summam eorum, quae dixit, subducit, quo demum apte spectant amatoris quae sequuntur verba. Similis sententia, sed corrupta, exstare videtur Truc. 932.

3) Asin. 614 prius *mihi* e sententia sequente illatum recte deleverunt Fleckeisenus, Leo, qui idem versus exitum *(vitá's mi)* tutatus est.

Aul.-Bacch. 1) Bacch. 584 apte suppleverunt Ritschelius et Seyffertus.

Aul.-Capt. 1) Versus neutro loco necessarius, tamen utroque aptus; Capt. versum, quem ceteroquin apte hic legi ipse fatetur, damnabat Ritschelius Opusc. II p. 283 sq., quia pluralis numerus *nostrum* seni de se tantum loquenti non conveniat, atque plerique eum secuti sunt editores. At recte tutatus esse videtur versum Niemeyerus Zeitschr. f. östr. Gymn. v. XXXIX (a. 1885) p. 360 et in adn. ad Capt.[5] 324, qui *nostrum* sermoni familiari proprium (cf. praeter Bacch. 237 etiam Cas. 254, 372, 762, Pseud. 407) sic explicat, ut spectatores, qui affinitatem Hegionis et Tyndari noverint, ambiguitatem dicti excipiant, quod etiam Lindsayo (in ed.) probavit; atque etiam si eiusmodi acumen a facetiis Plautinis abhorrere dicas, tamen numerus pluralis excusari potest atque explanari collatis locis velut Hom. Odyss. VI 310 sq. XVI 300 vel ex ipso Plauto Epid. 147 *nóvi ego nostros,* 340 *sic egerunt nóstri.* Ad locutionem cf. formulam Pers. 390 *Pol deúm virtute dicam et maiorúm meum —,* Trin. 346, Mil. 679; Pseud. 581.

2)	Aul.	564	*Quia óssa ac pellis tótust: ita curá macet.*
	Capt.	135	*Ossa átque pellis súm miser a macritúdine.*
1)	Aul.	441	*Adeo út tu meam senténtiam iam nóscere possis:*
	Curc.	715	*Núnc adeo, ut tu scire possis, léno, meam senténtiam,*
2)	Aul.	730	*... [h]abeam an maneam, ...*
	Curc.	589	*... máneam an abeam?*
1)	Aul.	181	*... nam égomet sum hic, animús domist.*
	Merc.	589	*... sín foris sum, animús domist.*
1)	Aul.	296	*... Quíd negotist? # Quid negoti sít rogas?*
	Mil.	317	*Quíd negotist? # Quid negoti sít rogas?*
1)	Aul.	683 sq.	*... nunc te óbsecro Resecróque, ...*
	Pers.	48	*Obsecro te, resecro ...*
1)	Aul.	306	*Sic míhi te ut tibi me⟨d⟩ aéquomst crédo crédere.*
	Poen.	490	*An mi haéc non credis? # Crédo ut mi aequomst crédier.*
1)	Aul.	275	*Núnc nobis prope adést exitium, ...*
	Pseud.	60	*... própe adest exitiúm mihi,*
2)	Aul.	582	*Nunc hóc mihi factust óptumum, ...*
	Pseud.	185	*Nunc ádeo hoc factust óptumum, ...*
1)	Aul. 45: Trin.	515	*Tibi egó rationem réddam?*
2)	Aul.	223 sq.	*Néque edepol ego té derisum vénio neque derídeo: Néque dignum arbitrór.*
	Trin.	448	*Neque té derisum advénio neque dignúm puto.*
3)	Aul.	492 sqq.	*Hoc sí ita fiat, ... Ego fáxim ...*
	Trin.	220 sqq.	*Hoc íta si fiat, ... Pauci sint faxim ...*
4)	Aul.	677	*Euge, eúge, di me sálvom et servatúm volunt.*
	Trin.	1076	*... Di me sálvom et servatúm volunt.*

Aul.-Capt. 2) Ut supra libri (*a* omisit Nonius), quorum lectionem firmat exemplis Ussingius ad Aul. 179.

Aul.-Curc. 1) Cf. etiam Rud. 728 ... *nunc adeo meam út scias senténtiam.*

2) De corruptela *[h]abeam,* quam B[2] correxit, cf. Curc. 553, Men. 852, Merc. 1016, Mil. 944, saepius.

Aul.-Merc. 1) Cf. Cist. 211 sq. et Leo Pl. Forsch. p. 125.

Aul.-Pers. 1) Pers. 48 *resecro⟨que⟩* coniec. Scaliger.

Aul.-Pseud. 1) E locis supra comparatis verisimilis fit Acidalii coniectura Bacch. 987 *nunc ⟨própe⟩ adest exitium Ilio,* nisi coll. Bacch. 1054 magis placet *Pergamo* pro *Ilio* scribere.

2) Priore loco correxit traditum *factumst* Aldina, altero Lambinus.

Aul.-Trin. 2) Omnino scaenarum Aul. II 2, Trin. II 4 animadvertas affinitatem. 3) Ad rem cf. Leo Pl. Forsch. p. 105 sqq.

4) Cf. etiam Men. 1120, Poen. 917, Pseud. 906; Curc. 335.

1) Aul. 700 *Ibo intro ubi de cápite meo sunt cómitia.*
Truc. 819 *... meo illic núnc sunt capiti cómitia.*
Bacch.: Amph. cf. Amph.-Bacch. 1); Bacch.: Aul. cf. Aul.-Bacch. 1).
1) Bacch. 218 *... ut hánc rem natam [esse] intéllego,*
Cas. 343 *... íta rem natam intéllego:*
2) Bacch. 399 *Núnc, Mnesiloche, spécimen specitur, núnc certamen cérnitur,*
Cas. 516 *... nunc spécimen specitur, núnc certamen cérnitur.*
1) Bacch. 248 *Benene úsque valuit? # Páncratice atque athlética.*
Epid. 20 *... Valet púgilice atque athlética.*
1) Bacch. 412: Men. 1022 *Nam ábsque te esset, ...*
1) Bacch. 279 *... átque ego lembum cónspicor ...*
Merc. 256 sq. *... atque ego cónspicor ‖ Navem ...*
1) Bacch. 205: Mil. 273 *... próxumae viciniae ...*
2) Bacch. 216 *Sed Bácchis etiam fórtis tibi visást?*
Mil. 1106 *... Ecquid fórtis visast?*
3) Bacch. 480 *... lábra a labris nusquam aúferat?*
Mil. 1335 *... labra áb labellis † ferinautace malum.*
1) Bacch. 913 sqq. *Lippi ílli⟨c⟩ oculi sérvos est simíllimus:*
Si nón est, nolis ésse neque desideres:
Si est, ábstinere quín attingas nón queas.
Pers. 11 sq. *Sed quási lippo oculo me érus meus manum ápstinere hau quít tamen,*
Quin míhi imperet, ...

Bacch.-Cas. 1) Bacch. 218 *esse* delevit Bentleius, quod idem propter hiatum addendum censuit Cas. loco Camerarius; eadem de causa Ritschelius versui simili Men. 737 ... *íta rem* | *esse dícito* vocem *natam* inseruit. Locutionem exemplis illustraverunt Br.-Niem. ad Capt.[5] 569.

2) Cf. etiam Most. 132 *Igitúr tum specimen cérnitur,* ubi metri causa alliteratione etymologica *(specitur),* quam valde adamabat poeta (cf. Lorenzius Pseud. praef. p. 40, Siewertus Plaut. in Amph. fab. quomodo exempl. gr. transtulerit [Berol. 1894] p. 10 sq.), uti non potuit.

Bacch.-Men. 1) Cf. Pers. 836 sq., Trin. 832.

Bacch.-Mil. 1) Cf. etiam Most. 1062 ... *próxuma vicínia?*

2) Cf. etiam Mil. 1111.

3) In *fer* Mil. 1335 vix aliud quicquam latere posse quam *aufer* apparet e loco simili; verborum, quae sequuntur, emendatio incertior est *(aúfer, nauta, cáve malum* Brixius). Cf. etiam Pseud. 1259 ... *ubí labra ad labélla adiungit.*

2)	Bacch. 1087 sqq.	*Quiquómque † ubique sunt, qui fuerunt, quiqué futuri sunt pósthac ...*
	(1089)	*Solús ego omnis longe ántideo ...*
	Pers. 778 sq.	*Qui súnt qui erunt quiqué fuerunt quiqué futuri sunt pósthac,* *Sólus ego omnibus antídeo, ...*
1)	Bacch. 675	*Sic hoc digitulis duobus súmebas primóribus?*
	Poen. 566	*Víx quidem hercle — íta pauxillast — digitulis primóribus.*
1)	Bacch. 116	*Iocus, Lúdus, Sermo, Suávisaviátio.*
	Pseud. 65	*Iocus, lúdus, sermo, suávi[s]saviátio,*
2)	Bacch. 405	*Núnc experiar, sítne aceto tíbi cor acre in péctore:*
	Pseud. 739	*Écquid is homo habét aceti in péctore?*
3)	Bacch. 805 sq.: Pseud. 485 (527) cf. Pseud. 16).	
1)	Bacch. 843: Rud. 1371	*... quae haec fáctiost?*
1)	Bacch. 170 sq.	*Erílis patria, sálve, quam ... conspició lubens.*
	Stich. 650	*† Terra erilis patria, te videó lubens.*
2)	Bacch. 1037	*Neque ego haúd committam ut ...*
	Stich. 640	*Néque ègo hoc committam út ...*

Bacch.-Pers. 2) Bacch. 1087 pro *ubique* corrupto maximam habet verisimilitatem lectio Parei e codice Schobingeri *ubi ubi* (cf. Asin. 287, Curc. 97ᵇ, Epid. 492, Mil. 399, 1379, Rud. 1210), quod etiam Pers. 778 fuisse credo *(ubi ubi sunt, qui fuerunt* ... fortasse recte Leo); nam *qui erunt* quamquam servabant Ritschelius, alii, propter sequentia verba *quique futuri sunt posthac* vix potest sanum esse neque adiectivum (velut *miseri:* Schoellius) eius loco exstitisse probabile duxerim collatis, quos iam Leo ad Pers. 778 attulit, locis parallelis (quibus addas Cas. 684 sq.). Ex eisdem intellegas, quam perverse Ijsendijkius De T. M. Plauti Persa (Trai. 1885) p. 44 Pers. 778 sq. ut interpolatos e Bacch. 1087 sqq. deleat. Ad Bacch. 1089: Pers. 779 cf. Amph. 649, Cist. 205.

Bacch.-Pseud. 1) Pseud. 65 propter substantivorum numerum singularem ut grammatici veteris interpretamentum e Bacch. 116 huc ascriptum delent Kiesslingius Symb. philol. Bonn. p. 835 et Leo in adn.; sed etiam si versum 'huc peius quadrare quam loco Bacch.' Goetzio (in ed. mai.) concedes, poetam versu lepido semel invento iterum uti potuisse ideo negabis? Illustrandi vel comparandi causa siquis ascripsisset versum Pseud. loco, non omisisset, opinor, cohaerentem cum eo versum Bacch. 115. Delendus tum demum esset versus, cuius numerus propter metrum mutari non potuit atque offendere desinit, si confers Capt. 770 sq. *Laudém lucrum ludúm iocum festívitatem férias Pompám penum potátiones saturitatem gaúdium*, si unum alterumve eius verbum in reliqua rediret lepidae epistulae parte. Cf. etiam Merc. 846 ... *ludúm*, *iocum.*

Bacch.-Stich. 1) Stich. 650 Ritschelius coll. Bacch. 170 sic sanare studebat *Erílis patria, sálve: ut te ...;* fortasse recte Leo *Sperâta erilis* ... restituit.

1) Bacch. 247 ... *Eúax, aspersisti aquam.*

Truc. 366 ... *Ah, aspersisti aquam.*

2) Bacch. 294: Truc. 401 *Quid dénique agitis?*

3) Bacch. 296 *Revórsionem ad térram faciunt vésperi.*

Truc. 396 *Revórsionem ut ád me faceret dénuo.*

4) Bacch. 471 *Átque acerrume aéstuosam: absórbet, ubi quemque áttigit.*

Truc. 350 sq. *Sed aéstuosas séntio aperiri foras,*
Quae obsórbent quidquid vénit intra péssulos.

5) Bacch. 1043 *Ego néque te iubeo néque veto neque suádeo.*

Truc. 641 ... *néc te iubeo néque voto ...*

Capt.: Amph. cf. Amph.-Capt. 1) 2); Capt.: Asin. cf. Asin.-Capt. 1) 2); Capt.: Aul. cf. Aul.-Capt. 1) 2).

1) Capt. 538 ... *éx parata re ímparatam omném facis.*

Cas. 827 *Faciés tu hanc rém mi ex paráta imparátam:*

2) Capt. 617 *Núnc ego inter sacrúm saxumque stó nec quid faciám scio.*

Cas. 970 *Núnc ego inter sacrúm saxumque súm nec quo fugiám scio:*

1) Capt. 75: Curc. 375 *Verum hércle vero ...*

2) Capt. 192 ... *súbducam ratiúnculam,*

Curc. 371 ... *súbduxi ratiúnculam,*

3) Capt. 804 *Cóntinete vós domi, ...*

Curc. 298 *Proín se⟨se⟩ domi contineant, ...*

1) Capt. 256 ... *saépe is cautor cáptus est.*

Epid. 359 ... *Iam ípse cautor cáptust.*

2) Capt. 634 *Nón fuit, neque égo istuc nomen úmquam audivi ante húnc diem.*

Bacch.-Truc. 1) Cf. etiam Cist. 579 sq., Epid. 554 sq.

5) Truc. 641 librorum *volo* correxerunt Camerarius et Pareus; cf. etiam Curc. 145 ... *neque veto neque iúbeo.*

Capt.-Cas. 2) Capt. versum delebat Osannus Anal. p. 208; contra Leo, quamquam per se aptum esse concedit, Cas. versum eicit ut pugnantem cum sequente proverbio, qua de re cf. Asin.-Poen. 2). Cf. etiam Cas. 875 sq. *Neque quó fugiam ... Scio.*

Capt.-Curc. 3) Cf. Amph.-Curc. 2).

Capt.-Epid. 1) Buechelero Annal. phil. v. IC (a. 1869) p. 536 Capt. 256 ex Epid. 359 interpolatum esse censenti recte oblocutus est Schoellius (in ed. mai.); cf. etiam Br.-Niem.[5] et Uss. ad loc.

2) Epid. 496 *istunc hominem*, quod in codd. traditum est ad Capt. versum mutabat in *istuc nomen* Bothius, quem cum plerique secuti sint editores (etiam Goetzius et Schoellius), recte auctoritatem librorum tutati

	Epid.	496	*Fando égo istunc hominem númquam audivi ante húnc diem,*
1)	Capt.	69 sq.	*Iuventus nomen indidit Scortó mihi,* ‖ *Eo quia ...*
	Men.	77 sq.	*Iuvéntus nomen fécit Peniculó mihi,* ‖ *Ideó quia ...*
1)	Capt.	536	*... quid rébus confidám meis?*
	Merc.	363	*Néc qui rebus meis confidam, míhi ulla spes in córde certast.*
1)	Capt.	39	*Huius íllic, hic illius hódie fert imáginem.*
	Mil.	151	*Et hínc et íllinc múlier feret imáginem ...*
2)	Capt.	358: Mil. 256	*... dice, monstra, praécipe,*
3)	Capt.	421 sq.	*... Pól istic me haud centésumam* ‖ *Pártem laudat ...*
	Mil.	763 sq.	*... Haud centésuma⟨m⟩* ‖ *Pártem dixi ...*
4)	Capt.	517	*Nunc spés opes auxiliaque a me ségregant spernúntque se.*
	Mil.	1232	*Ille íllas spernit ségregat ab se ómnis extra te únam.*
5)	Capt.	651: Mil. 1434	*Vérba mihi data esse video.*
1)	Capt.	523 sqq.	*Nec cónfidentiae úsquam hospitiumst ...*
		(529)	*Néque iam Salus serváre, si volt, mé potest:*
	Most.	350 sq.	*... nusquam stábulumst confidéntiae.*
			Néc Salus nobis saluti iam ésse, si cupiát, potest:
2)	Capt.	932 sq.	*... numquám referre grátiam possim satis,*
			Proínde ut tu proméritu's de me et fílio.
	Most.	214	*Numquam égo illi possum grátiam reférre, ut meritust dé me:*

sunt Leo et Goetzius (in ed. mai. alt. 1902): locutio quomodo nata sit illustrant Curc. 593 sq. *Vérum mulierém peiorem ... Nón vidi neque audívi ...* Locutiones similes vide apud Leonem Pl. Forsch. p. 315. Ceterum *ante húnc diem* frequens est Plautinorum versuum clausula, cf. velut Epid. 576, Men. 305, 500, 749; item *post húnc diem*, cf. velut Men. 477, Mil. 565, Most. 436, Poen. 449, Rud. 1416.

Capt.-Men. 1) Ut alius parasitici sermonis reliquias Men. 77 sq. eicere studet Sonnenburgius de Men. Pl. retract. (Bonnae 1882) p. 2, quia sequentibus non coniuncti sunt, cumque eo facit Ribbeckius Mus. Rhen. v. XXXVII p. 532; verisimilius est intercidisse post v. 77 sq. aliquos versus (quae est sententia Ritschelii): nam ex alia fabula v. 77 sq. desumpti esse iam ideo non possunt, quia tantum ad Peniculum quadrant, deinde parasitum spectatoribus se repraesentare e more fit Plautino (cf. praeter Capt. locum parallelum Stich. 174 sq. et Langenus Plaut. Stud. p. 296).

Capt.-Mil. 1) Cf. etiam Amph. prol. 141 ... *quoius ego hánc fero imáginem.* Capt.-Most. 1) Cf. etiam Terent. Ad. 761 sq.

1) Capt.	77	*Quasi múres semper édimus alienúm cibum.*
Pers.	58	*Quasi múres semper édere alienúm cibum:*
2) Capt.	347	*... néque qui magis sit sérvos ex senténtia,*
Pers.	10	*... neque sátis sum ero ex senténtia:*
3) Capt.	358	*Quód bonis benefít beneficium, grátia ea gravidást bonis.*
Pers.	674 sq.	*Siquid bonis ‖ Boní fit, esse id ét grave et gratúm solet.*
1) Capt.	10	*Patri † huiusce: iam hóc tenetis? óptumumst.*
Poen.	116	*Iamne hóc tenetis?*
2) Capt.	257: Poen. 533	*Án vero non iústa causast ...?*
3) Capt.	406	*Rébus in dubiis, egenis.*
Poen.	129 sq.	*... res ... Dubiás, egenas, ...*
4) Capt.	891	*... íterum gnatus videor, ...*
Poen.	1077	*Iterúm mihi gnatus videor, ...*
1) Capt.	202	*In ré mala animo sí bono utare, ádiuvat.*
Pseud.	452	*Bonus ánimus in malá re dimidiúmst mali.*
2) Capt.	284	*Sálva res est: philosophatur quóque iam, non mendáx modost.*
Pseud.	974	*Sálvos sum: iam phílosophatur.*
3) Capt.	534	*... eúnt ad te hostes, Týndare.*
Pseud.	453	*... Ítur ad te, Pseúdole:*

Capt.-Pers. 1) Persae versus in dubium vocari non potest; Capt. 77 ut interpolatum e Persae v. eiecit Spengelius Philol. v. XXXVII (a. 1877) p. 421, quia sententia eius conexum inter *numquam quisquam vocat* et *victitant suco suo* verba turbet (cf. etiam Martinsius Quaest. Plaut. Hal. 1879 p. 26 sqq.); sed potius deleto hoc versu turbatus est sententiarum conexus: nam quomodo ei, quos *numquam quisquam vocat*, tantum *prolatis rebus* victu carere possunt? Coniunctio demum fit ipso v. 77: „Nos, qui numquam vocamur, quasi mures sumus invocati (ἄκλητοι); nihilominus semper alienum edimus cibum, item ac mures faciunt (cf. Diog. Laert. 6, 40); tantum *ubi res prolatae sunt*, *simul prolatae res sunt nostris dentibus*" (etiamnunc subest muris imago). Cf. Niemeyerus Zeitschr. f. d. Gymnasialw. v. XXXIX (a. 1885) p. 361, contra cuius versuum 76 sq. interpunctionem recte egerunt Langenus Plaut. Stud. p. 271, Schoellius in ed. mai.; Seyffertus, Berl. phil. Wochenschr. a. 1884 p. 1349, Leo in adn.

2) Ussingius ad Capt. 346 *ex sententia* sic explanat: 'gratus, cf. Pers. 18, Ter. Phorm. 256. al.' (cf. etiam Br.-Niem.[5] ad locum), sed desideratur, cui sit ex sententia; itaque pro tradito *servus* coll. Aul. 589 *Nám qui ero ex senténtia* ..., Pers. 10 coniecerim *éro suo.*

3) Cf. etiam Rud. 939 ... *Nam bónis quod bene fit, haúd perit.*

Capt.-Poen. 1) Similem Capt. 10 fortasse ac Poen. 116 sq. legitur iocum exstitisse et corruptus versus et ut nunc exstat vix explanandum *optumumst* (cf. Leo ad loc.) ostendere videntur.

4)	Capt. 664 sqq.	† *At ut confidénter mihi contra ástitit.*
		⌗ *Decet innócentem sérvom atque innóxium*
		Confidentem esse, suom ápud erum potissumum.
	Pseud. 459 sqq.	*Bene cónfidenterque ádstitisse intéllego.*
		⌗ *Decet innocentem qui sit atque innóxium*
		Servóm superbum esse ápud erum potissumum.
5)	Capt. 1024	*Quási per nebulam, . . .*
	Pseud. 462 sq.	*. . . quaé quasi ‖ Per nébulam nosmet scimus . . .*
6)	Capt. 1026	*. . . Certumst príncipio id praevórtier.*
	Pseud. 602	*Hoc praévortar princípio:*
1)	Capt. 51	*Homúnculi quanti sunt, quom recógito.*
	Rud. 155	*Homúnculi quanti éstis:*
1)	Capt. 186	*Numquam istoc vinces me, . . .*
	Stich. 756	*Númquam edepol me⟨d⟩ istoc vinces, . . .*
2)	Capt. 191	*. . . Memorém mones.*
	Stich. 578	*. . . Capti cónsili memorém mones.*
3)	Capt. 471	*. . . Lacones únisubselli viros,*
	Stich. 489	*. . . únisubselli virum.*
4)	Capt. 482	*. . . dictum dé dictis melióribus,*
	Stich. 400	*. . . discam dé dictis melióribus:*

Capt.-Pseud. 4) Pseud. versus bene sunt traditi nec suo loco eripi possunt; contra Capt. 465 sq. quasi e similitudine illorum confictos et Tyndari condicioni non accommodatos damnabat Kiesslingius Annal. phil. XCVII (a. 1868) p. 631, cuius iudicium suum fecit Spengelius l. s. l. p. 443 etiam Capt. 664 coll. Pseud. 459 in suspicionem vocans. Sed has argutias a tenore versuum praecedentium (662 sq.) non recedentes recte tutati sunt Seyffertus l. s. l., Niemeyerus l. s. l., Langenus l. s. l. p. 277, Leo in adn. De v. 664 emendatione nondum constat; fortasse scribendum est *Vidén tu ut confidenter*, cf. Most. 1172 . . . *víden ut astat fúrcifer?*, Curc. 93, 188, 311, Mil. 1045, Rud. 157, 171 (cf. etiam Muellerus Prosod. p. 58 adn. 1).

6) Capt. 1026 lectio codicis A *principio (principium* P*)* quamvis incerta firmatur loco parallelo (cf. Abraham Stud. Pl. p. 224); similis sermo est Cist. 781 . . . *Praevórti hoc certumst rébus aliis ómnibus.*

Capt.-Rud. 1) In Capt. 51 acerrime invecti sunt Fleckeisenus Epist. crit. p. XX et Schoellius (in ed. mai.); quem apte suo loco exstare cum iam Niemeyerus Herm. v. XIV p. 449 dixisset, e totius prologi ratione et conexu defendit Leo in adn. (cf. etiam Skutschius Forsch. I p. 156). Vox *homunculi* exstat etiam Trin. 491.

Capt.-Stich. 1) Cf. etiam Merc. 438 *Númquam edepol me víncet hodie.*

3) *Unisubsellium* (= μονοκοίτιον) Plauto vindicavit Leo Pl. Forsch. p. 295; editores plerique (etiam Goetzius et Schoellius) *imi subselli* scripserunt.

1) Capt. 533 *Quo illúm nunc hominem prόripuisse forás se dicam ex aédibus?*
Trin. 276 *Quó illic homo forás sé penetravit éx aédibus?*
2) Capt. 775 *Sine sacris herḗditatem sum áptus effertissumam.*
Trin. 484 *Cena hác annonast sine sacris herḗditas.*
Cas.: Amph. cf. Amph.-Cas. 1) 2); Cas.: Bacch. cf. Bacch.-Cas. 1) 2); Cas.: Capt. cf. Capt.-Cas. 1) 2).
1) Cas. 87 sq. *Tantúmst. valete, béne rem gerite et vincite Virtúte vera, quód fecistis ántidhac.*
Cist. 197 sq. *Haec sic res gestast. béne valete et vincite Virtúte vera, quód fecistis ántidhac.*
2) Cas. 224 *Hanc égo de me coniécturam domi fácio magis quam ex aúditis:*
Cist. 204 *Hanc égo de me coniécturam domi fácio, ni foris quaéram,*
1) Cas. 406 *Quid tibi istunc táctiost?*
Curc. 626 ... *Quid tibi istum táctiost?*
1) Cas. 528 ... *nímias deliciás facis.*
Men. 381 ... *Heia, deliciás facis.*
1) Cas. 325 *Nunc in fermento tótast:*
Merc. 959 ... *tóta in fermentó iacet.*

Cas.-Cist. 1) Utroque loco his versibus apte concluditur narratio, qua prologus (vel Fides et Auxilium dei eius vice fungentes) res ipsi actioni antecedentes spectatoribus exponit; Teuffelius Stud. u. Charakt. p. 260 cum totam Cist. scaenam I 3 in suspicionem vocaret, etiam his versibus quasi e Cas. interpolatis argumento usus est, quos potius hoc loco esse genuinos et qui sequuntur vv. 199 sqq. demonstrant (cf. Langenus Plaut. Stud. p. 282, Schoellius praef. p. IX sq.) et quod quidem probabili ratione enucleari potest fabularum actarum tempus (cf. Ritschelius Parerg. p. 191 sqq., Schoellius l. l.). Argumentum vero, quod Langenus e Cas. prologo posteriore demum aetate nato petivit, non multum valet, postquam post Leonem Pl. Forsch. p. 188 adn. 2 Skutschius Mus. Rhen. v. LV p. 272 sqq. multo maiorem prologi partem (atque etiam hos versus) felici acumine ipsi Plauto vindicavit. Pro peculiari locutione Cist. 197 *Haec sic res gestast* (cf. Cist. 3)) poeta in Cas. prologo solitam substituit formulam *Tantúmst. valete* ... iterum in Trin. prologo (v. 22) exstantem (cf. etiam Capt. 67 *Abeó. valete;* alias *Valete* initio versus ponitur: Poen. 127, Rud. 82; cf. Skutschius l. s. l. p. 274 adn. 2).

2) Pro usitata dictione *ni foris quaeram* (cf. Asin. 319; Aul. 358, Mil. 638; Bacch. 648) poeta in Cas. rariorem recepit locutionem.

Cas.-Curc. 1) Curc. 626 libri habent *istum tibi;* legitimam verborum collocationem restituit Guyetus, cf. G. Kaempfius de pron. pers. us. et coll. p. 18, Bachius in Stud. stud. II p. 243.

2) Cas. 507 *Manufésto teneo in nóx⟨i⟩a inimicós meos.*
Merc. 729 *Manufésto teneo in nóxia[es].*
1) Cas. 783 *— novi hóminum mores máleficos —*
Mil. 194 *... ad ómnis mores máleficos.*
1) Cas. 103 *Abi rús, abi dieréctus tuam in provínciam.*
Most. 8 *Abi rús: abi dierécte.*
2) Cas. 312: Most. 993 *... ut verba aúdio.*
1) Cas. 794 *Iamne ábiit illaec? dícere hic quidvís licet:*
Pers. 711 *Postquam íllic abiit, dícere hic quidvís licet.*
1) Cas. 249 *Ohe, iám satis, uxor, ést:*
Stich. 734 *Óhe, iam satis:*
1) Cas. 237 *Manufésto miser teneór.*
Trin. 911 *... Téneor manufestó miser.*
1) Cas. 215 sq. *Mox magis quom otium mihi et tibi erit,*
Ígitur tecúm loquar:
Truc. 871 *Ótium ubi erit, de ístis rebus tum ámplius tecúm loquar:*
2) Cas. 243 *... Scio plus quam tu me árbitrare.*
Truc. 296 *Scío ego plus quam tu árbitrare scíre me.*
1) Cas. 246 *... víde palliolum ut rúgat.*
Frg. inc. XXVI *Quid ést?* # *Hoc rugat pállium:*
Cist.: Cas. cf. Cas.-Cist. 1) 2).
1) Cist. 631 *Rem élocuta súm tibi omnem:*
Epid. 104 *Rém tibi sum elocútus omnem, ...*
1) Cist. 291 *Utrúm deliras, quaéso, an astans sómnias,*
Men. 395 *... astans sómniat.*
2) Cist. 765 *... Aequom póstulas.*
Men. 1075 *... Énim vero aequom póstulas.*
1) Cist. 191 sqq. *Is amóre ... illam déperit, ...*
Et ílla hunc contra, quíst amor suavíssumus.
Mil. 100 sq. *Is amábat meretricem ...*
Et illa íllum contra: quíst amor cultu óptumus.
Curc.: Amph. cf. Amph.-Curc. 1) 2); Curc.: Aul. cf. Aul.-Curc. 1) 2); Curc.: Capt. cf. Capt.-Curc. 1—3); Curc.: Cas. cf. Cas.-Curc. 1).

Cas.-Pers. 1) Cf. etiam Truc. 884 *Íllequidem abiít, abscessit. dícere hic quidvís licet,* Poen. 437; Amph. 393, Artem. fr. 1; Trin. 998 sq., Truc. 211 sq.

Cas.-Trin. 1) Cf. etiam Most. 679, Cas.-Merc. 2).

Cist.-Epid. 1) Apta est locutio, qua nova aperiatur scaena; cf. etiam Pseud. 694.

Cist.-Men. 1) Cf. Most. 954; 1013, ubi sic interpungas: *Quid? sómnias.*

1) Curc.	419	*Sed istúm quem quaeris égo sum.*
Epid.	448 sq.	*Sed istúm quem quaeris Périphanem † Platénium Ego súm, siquid vis.*
2) Curc.	553	*. . . bellatór, vale.* Epid. 492 *. . . Bellatór, vale.*
1) Curc.	665	*. . . Mé lubente féceris.*
Men.	272	*. . . mé lubente féceris.*
1) Curc.	30	*Sempér curato, né sis intestábilis.*
Mil.	1417	*. . . Ut vivam sémper intestábilis.*
1) Curc.	344	*. . . et pro his decem coaccedúnt minae.*
Pers.	669	*. . . etiam pro véstimentis húc decem accedént minae.*
2) Curc.	531	*Quoi⟨i⟩ hómini dei suntprópitii, lucrum ei profecto obíciunt.*
Pers.	470	*Quoí homini di própitii sunt, áliquid obiciúnt lucri.*
3) Curc.	562	*. . . númquam delingés salem.*
Pers.	430	*. . . númquam delingét salem.*
1) Curc.	307 sq.	*. . . ubi sunt spés meae? Éloquere, obsecro hércle. # Eloquere, te óbsecro, ubi súnt meae?*
Rud.	1161	*Di immortales, úbi loci sunt spés meae? # Immo edepól meae?*
1) Curc.	675	*Et ego hóc idem una spóndeo.*
Trin.	1163	*Spóndeo. # Et ego spóndeo idem hoc.*
1) Curc.	431	*. . . Méus hic est, hamúm vorat.*
Truc.	42	*. . . ínterim ille hamúm vorat;*
2) Curc.	713	*. . . Non égo te flocci fácio:*
Truc.	606	*. . . non égo te flocci fácio.*

Epid.: Amph. cf. Amph.-Epid. 1); Epid.: Bacch. cf. Bacch.-Epid. 1); Epid.: Capt. cf. Capt.-Epid. 1) 2); Epid.: Cist. cf. Cist.-Epid. 1); Epid.: Curc. cf. Curc.-Epid. 1) 2).

Curc.-Epid. 2) Epid. 492 haec verba apte tantum de milite dici — recte Periphani dedit Goetzius (in edit. mai.) cum codicibus deterioribus — docet locus parallelus.

Curc.-Men. 1) In libris Curc. 665 totus militi tribuitur, cuius tantum ultima verba esse intellexit Ussingius; cf. Stich. 474, Truc. 361.

Curc.-Mil. 1) Cf. etiam Curc. 32: Mil. 1420 sq.

Curc.-Pers. 1) Curc. 344 ut repugnantem v. 492 pro spurio habet Ussingius; sed cf. Langenus Plaut. Stud. p. 135, supra Poen. 14).

2) Cf. Curc. 6); Aul. 810 *. . . quoi di sint própitii?*

Curc.-Trin. 1) *Unum* librorum, quo Curc. 675 sensus ineptus inculcatur, in *una* emendavit Ussingius.

1) Epid. 192 ... *Di hércle omnis me ádiuvant, augént, amant:*
Men. 551 *Di mé [e]quidem omnes ádiuvant, augént, amant.*
2) Epid. 710 ... *Quae haéc, malum, inpudéntiast?*
Men. 793 ... *quae haéc, malum, inpudéntiast?*
3) Epid. 711: Men. 1148 cf. Men. 16).
1) Epid. 16: Merc. 726 ... *Audácter quamvis dícito.*
1) Epid. 56: Mil. 469 ... *Quid iam? aút quid est?*
2) Epid. 240 ... *Ibi illarum áltera ...*
Mil. 62 ... *ibi illarum áltera ..*
3) Epid. 475: Mil. 434 ... *Quaé te intemperiaé tenent?*
1) Epid. 701 ... *Enim istae⟨c⟩ cáptiost.*
Most. 1144 ... *Enim istic cáptiost.*
1) Epid. 43 *Quia fórma lepida et líberali ...*
Pers. 130 *Quia fórma lepida et líberalist.*
2) Epid. 190: Pers. 548 ... *Laúdo consiliúm tuom.*
1) Epid. 39 *Supérsede istis rébus iam.*
Poen. 414 *Supérsede istis vérbis.*
2) Epid. 49 *Utcúmque in alto véntust, Epidice, éxim velum vórtitur.*
Poen. 754 *Utquómquest ventus, éxim velum vórtitur.*
3) Epid. 188 ... *éxsugebo sánguinem ...*
Poen. 614 ... *sánguinem exsugám procul.*
1) Epid. 183 sq. *Liquido exeo foras auspicio, avi sinistra.*
Pseud. 762 *Ávi sinistra, auspício liquido ...*

Epid.-Men. 1) Contra Langenum Mus. Rhen. v. XII (a. 1857) p. 40 Ep. 192 usitatiorem verborum ordinem *Di me hercle omnis* restituentem cf. Cas. 814 *Di hércle me cupiúnt servatum.*

Epid.-Merc. 1) *audacter dícito* ex. v. habes etiam Capt. 401, Most. 916, Pseud. 828.

Epid.-Mil. 1) Cf. etiam Aul. 71, 642.

Epid.-Most. 1) Epid. 701 *Enim* traditum (*Em:* Muellerus Nachtr. p. 128) tutatur locus Most. parallelus, ad quem etiam hic *istic* corrigendum esse putat Ussingius.

Epid.-Pers. 1) Cf. etiam Mil. 967; Rud. 408.

2) Cf. Pers. 598 ... *Quin laúdo ínquam consiliúm tuom.*

Epid.-Poen. 2) Epid. 49 ut desumptum e Poen. 754 una cum tribus praecedentibus versibus delebat Reinhardtus in Studem. stud. I p. 104 sq., contra quem vide quae citata sunt apud Goetzium (in ed. mai. alt.). De versuum similitudine iam antea egit Ritschelius Opusc. II p. 282, qui neutrum tamen versum delendum censuit.

2) Epid. 452 ... *fugias mánibus dimissis domum.*
Pseud. 843 ... *'Dimissis mánibus' volui dicere:*
3) Epid. 505 ... *dicere ádmodum incerté scio.*
Pseud. 962 ... *id ego ádmodum incertó scio.*
4) Epid. 733 ... *lumbos pórgite atque exsúrgite.*
Pseud. 1 *Expórgi meliust lúmbos atque exsúrgier:*

Men.: Bacch. cf. Bacch.-Men. 1); Men.: Capt. cf. Capt.-Men. 1); Men.: Cas. cf. Cas.-Men. 1); Men.: Cist. cf. Cist.-Men. 1)2); Men.: Curc. cf. Curc.-Men. 1); Men.: Epid. cf. Epid.-Men. 1—3).

1) Men. 143 ... *tábulam pictam in páriete,*
Merc. 315 ... *signum pictum in páriete.*
2) Men. 297: Merc. 642 ... *Tantum quód sciam.*
3) Men. 554 ... *fer pedem, confér gradum.*
Merc. 882 sq. ... *cóntra pariter fér gradum et confér pedem.*
Pórrige bracchiúm.
4) Men. 736 sq. *Ei, Décio, quaere meúm patrem, tecúm simul*
Ut véniat ad me:
Merc. 787 sq. *Syra, ei, rogato meúm patrem verbeís meeis,*
Ut véniat ad me iám semul tecúm.
1) Men. 47 *Ne móx erretis, ...*
Mil. 150 *Et móx ne erretis, ...*
2) Men. 306 sq.: Mil. 829 sq. ... *Negas?* ‖ ⌗ *Nego hércle vero.*
3) Men. 463 *Séd quid ego videó?*
Mil. 1281 *Sed quid ego video?*
1) Men. 139 *Nón potuisti mágis per tempus mihi advenire*
quam ádvenis.
Most. 573 sq. *Númquam potuistí mihi*
Magis ó⟨p⟩portunus ádven⟨ire quam⟩ ádvenis.
2) Men. 304: Most. 266 ... *dimminuám caput.*
1) Men. 49 sqq. *Nunc in Epidamnum pédibus redeundúmst mihi...*
(51) *Siquis quid vostrum Epidámni curarí sibi*

Epid.-Pseud. 2) Epid. 452 libri omnes (praeter A fortasse), Pseud. 843 B C praebent *demissis*, priore loco correctum a Lambino.

Epid.-Pseud. 3) Utroque loco *incerto* P, *incerte* A; contextus inaequalitatem dubitans reliqui cum editoribus.

Men.-Merc. 3) Cf. etiam Pseud. 707 sq. ... *Confér gradum Cóntra pariter: pórge audacter ád salutem brácchium.*

Men.-Most. 1) Most. 574 suppleverunt Itali.

2) Cf. etiam Rud. 1118 ... *comminuám caput.*

Men.-Poen. 1) Men. 51—56 damnat Teuffelius Stud. u. Char. p. 263 sqq. ut facetias, quales prologis adhiberi soleant, in Poenulo quidem conexum non turbantes, hic ineptas post vv. 49 sq.; quibus etiam vv. 49 sq. addidit

Velít, audacter imperato et dícito:
Sed ita út det, unde cúrari id possít sibi.
Nam nisi qui [non] arg[um]entum déderit, nugas égerit:
[Nam nisi] Qui déderit, magis maióres nugas égerit.
Verum ílluc redeo unde ábii atque uno adsto ín loco.

Poen. 79 sqq. *Revórtor rursus dénuo Cartháginem.*
Siquíd [a]mandare vóltis aut curárier,
Argéntum nisi qui déderit, nugas égerit:
[Verum] qui déderit, magis maióres nugas égerit.
Sed ílli patruo húius . . .

2) **Men. 62:** Poen. 77 *Eúmque heredem fécit, quom ipse obiit diem.*
3) **Men. 643:** Poen. 1075 . . . *audi átque ades.*

Dziatzko Annal. phil. CVII (a. 1873) p. 836 ut repugnantes quam urendo et secando elicere posse sibi visus est prologi brevitati: in quo id quidem recte vidit contra Teuffelium vir doctissimus divelli non posse vv. 49 sqq. arte cohaerentes. Contra Poen. 79 — 82 post Visseringium quaest. Plaut. I p. 106 ad similitudinem Men. 51—55 factos esse credidit Ritschelius propter *sed* (v. 83). Sed eadem particula prologus se a facetiis revocat ad argumentum porro enarrandum etiam v. 64; similiter Lar familiaris postquam se spectatoribus notum fecit, ad ipsam transit rem (Aul. 6), cf. etiam Trin. prol. 16; Capt. prol. 46, 53, Stich. 579 (Leo ad hos locos). Iam si hos iocos quamvis scurriles, sed quos Plautum olere vix negabis, utroque loco ab ipso poeta abiudicaveris, cui tandem tribues? Nec tuo iure 'solitos' vocabis iocos, qui tantum in hisce artiore omnino necessitudinis vinculo coniunctis exstent prologis nec cuivis argumento apte inseri potuerint. Men. 54 Beroaldus, 55 Pylades inepta deleverunt additamenta; Poen. 82 iusto longiorem vix cum Pylade deleto *nugas* sanatum crediderim, nam praeterea quod sic versus post v. 81 minuitur gratia, contradicit etiam versus geminus Men. 55. Potius *Verum* delendum esse vel ad v. 83 initium pro *sed* adhibendum dixit Schoellius (in ed. mai.); equidem corruptelam sic explanaverim, ut Men. v. 56 *Verum illuc* et qu. seq., quo demum totus iocus facete clauditur, etiam in Poen. olim subsecutus, postea praeter initium errore omissus sit. Quo inserto non iam offendes cum Leone in *huius* voce (v. 83) cum gestu loquentis dicta.

Men.-Poen. 2) Cf. etiam Poen. 904, 1070; versus his vicinos cum maxime addubitassent viri docti, ipsi nullo artificio suis eripi possunt locis suoque exemplo tutantur ceteros horum prologorum locos cognatos; quibus, quamquam levior est concentus, sed inter graviores dignus, qui commemoretur, adnumeres etiam Men. 45 sq.: Poen. 62 sq., Men. 68: Poen. 78 (cf. 95), cf. infra p. 191; e reliqua fabula cf. Men. 471 sq.: Poen. 1280.

3) Cf. etiam Merc. 568 . . . *Príus hoc ausculta átque ades,* Abrahamus Stud. Plaut. p. 228.

4) Men. 683: Poen. 762 ... *númquam factum réperies.*

1) Men. 46 *Quia illúm clamore vídi flagitárier.*
Pseud. 1145 *Séd tu, bone vir, flágitare saépe clamore in foro,*

2) Men. 242 *Ergo ístuc quaeso cértum qui faciát mihi,*
Pseud. 598 ... *nimis vélim certum qui ⟨i⟩d míhi faciat:*

1) Men. 104 *Sed míhi intervallum iam hós dies multós fuit:*
Rud. 137 *Nunc intervallum iam hós dies multós fuit.*

2) Men. 727 (1029): Rud. 139 cf. Men. 12).

3) Men. 1124: Rud. 1172 ... *cóntineri quin complectar nón queo.*

1) Men. 146 ... *Qui ístic est ornatús tuos?*
Trin. 1099 *Sed quis istest tuos ornátus?*

2) Men. 941 *Át ego te sacrám coronam súrrupuisse Iovi s⟨cio⟩:*
Trin. 83 sq. *Nam núnc ego si te súrrupuisse súspicer Iovi coronam* ...

1) Men. 549 ... *quique líceant, véneant.*
Hortul. frg. ... *quique líceat, véneat.*

Merc.: Amph. cf. Amph.-Merc. 1—7); Merc.: Asin. cf. Asin.-Merc. 1) 2); Merc.: Aul. cf. Aul.-Merc. 1); Merc.: Bacch. cf. Bacch.-Merc. 1); Merc.: Capt. cf. Capt.-Merc. 1); Merc.: Cas. cf. Cas.-Merc. 1) 2); Merc.: Epid. cf. Epid.-Merc. 1); Merc.: Men. cf. Men.-Merc. 1—4).

1) Merc. 376 *Rei mandatae omnis sapientis prímum praevorti decet.*
Mil. 765 *Ígitur id quod ágitur † hic primum praevorti decet.*

1) Merc. 7 ... *quid velint quid nón velint.*
Most. 681 ... *utrum eaé velintne an nón velint.*

1) Merc. 141 (142): Pers. 209 ... *quám te novi néminem.*

2) Merc. 373 *Érgo edepol pallés:* Pers. 24 *Ergo édepol palles.*

3) Merc. 408 ... *occentent óstium:*
Pers. 569 ... *óccentabunt óstium,* ...

Men.-Rud. 1) Versibus neutro loco careri potest; cf. Pseud. 9 ... *iam hos multós dies* et Rud. 181 ... *iam hós dies complúsculos.*

Men.-Trin. 1) Cf. Skutschius Forsch. I p. 144 adn. 1.

Merc.-Mil. 1) Mil. 765 traditum *hic* corruptum esse iam e metro intellegitur; cui supposuit *huic rei* Brixius Annal. phil. v. CI (a. 1870) p. 769, *rei* sumens e versu praecedente, quo ex hoc esse illatum constructio *otium rei si sit* Plauto inaudita docet, cum Seyffertus (apud Goetzium in ed. mai.) rectius *ei rei* (cf. Capt. 460 ... *ei rei primum praevortí volo.* [*praevortí volo* ex. v. exstat etiam Merc. 374]) flagitare videatur.

Merc.-Most. 1) Cf. etiam Merc. 452 ... *venirene eám velit an nón velit?* et Woelfflinus Mus. Rhen. v. XXXVII (a. 1882) p. 88.

1)	Merc.	882 sq.:	Pseud. 707 sq. cf. Men.-Merc. 3).
1)	Merc.	31	... *hoc ideo fít, quia* ...
	Rud.	24	... *id eo fít, quia* ...
2)	Merc.	225 sqq.	*Míris modis di lúdos faciunt hóminibus*
			Mírisque exemplis sómnia in somnis danunt.
			Velút ego hac nocte quaé praeteriit próxuma ...
	Rud.	593 sqq.	*Meíris modis di lúdos faciunt hominibus*
			Mírisque exemplis ⟨s⟩ómnia in somnis danunt ...
		(596)	*Velút ego hac nocte quaé processit próxuma* ...
3)	Merc.	248	*Intérea ad me haedus vísust adgredírier.*
	Rud.	600 sq.	... *Póstibi* ‖ *Vidétur ad me símia adgredírier,*
4)	Merc.	252	*Hoc quam ád rem credam pértinere sómnium* ...
	Rud.	611	*Nun⟨c⟩ quam ád rem dícam hoc áttinere sómnium,*
5)	Merc.	633	*Quid ego facerem?* # *Quíd tu faceres? mén rogas? requíreres,*
	Rud.	379	*Quid fáceret?* # *Si amabát, rogas quid fáceret? adservóret* ...
6)	Merc.	847	... *rés simitu péssumas pessúm dedi:*
	Rud.	617	... *átque exemplum péssumum pessúm date.*
7)	Merc.	851	*Ápparatus sum, út videtis.*
	Rud.	3	*Ita sum út videtis* ...
8)	Merc.	864	*Néscioquoia vóx ad áuris míhi advolavit.*
	Rud.	332 sq.	*Quoi⟨a⟩ ad aúris* ‖ *Vox míhi advolavit?*

Merc.-Rud. 1) Post Marxium, qui l. s. l. sermonis Mercatoris et Rudentis similitudines collegit — praeteriit 5), 7) —, hos locos omittere volui, cum phrasis quamvis usitatior (cf. Amph. 756, Curc. 61) his tantum locis in exitu exstet versus. Omisisset potius vir doctus Merc. 912: Rud. 836, locutionem et tritam (cf. Seyffertus Act. Burs. 47 p. 101 adn. 1) et Merc. loco ambiguae emendationis. Etiam propter quam Merc. 375 sq.: Rud. 338 (et Stich. 39 sq.) attulit necessitudinem, ea sat levis est; cui versui potius Merc. 376 comparari possit, vide supra Merc.-Mil. 1).

2—4) Somniorum utriusque fabulae similitudines praeter minores quasdam (velut Merc. 230: Rud. 605, Merc. 234: Rud. 600, Merc. 270: Rud. 611) post Marxium l. s. l. p. 6 sqq. supra attuli tantum; fusius de eis agere liceat in epimetro.

5) Cf. etiam Pers. 42 ... *Quid faciám?* # *Rogas?*

6) Comparavit Marxius l. s. l. p. 4 etiam Most. 1171 ... *pró suis factis péssumis pessúm premam.*

7) Cf. etiam Amph. 604, Most. 199.

8) Hos locos et Amph. 325 sq. *Vóx mi ad aures ádvolavit* iam ante Marxium eo consilio in unum coegit Siewertus Plaut. in Amph. fab. quomodo ex. gr. transtulerit, p. 43, ut coll. Aesch. Prom. 115, 549 graecam locutionem fortasse ex ipso exemplari Plautum recepisse probaret.

1) Merc.	207	*... crédo, non credét pater,*
Trin.	115	*... credo haud créderet.*
2) Merc.	721	*Vin dícam? quoiast? illa — illa edepol — vaé mihi —*
Trin.	907	*Lúbet audire. # Illi édepol — illi — illi — vae miseró mihi.*
3) Merc.	875 sqq.	*... cápe modo vorsóriam ...*
	(878)	*Récipe te ad terrám, Charine, huc:*
Trin.	1026 sq.	*... cape vorsóriam: ‖ Récipe te ad erum.*

1) Merc. 493: Truc. 366 *... áliquid fiet.*

Mil.: Amph. cf. Amph.-Mil. 1—3); Mil.: Aul. cf. Aul.-Mil. 1); Mil.: Bacch. cf. Bacch.-Mil. 1—3); Mil.: Capt. cf. Capt.-Mil. 1—5); Mil.: Cas. cf. Cas.-Mil. 1); Mil.: Cist. cf. Cist.-Mil. 1); Mil.: Curc. cf. Curc.-Mil. 1); Mil.: Epid. cf. Epid.-Mil. 1—3); Mil.: Men. cf. Men.-Mil. 1—3); Mil.: Merc. cf. Merc.-Mil. 1).

1) Mil.	481	*Satin ábiit ille néque ...*
Most.	76	*Satine ábiit neque ...*
2) Mil.	955	*Circumspicedum, néquis nostro hic aúceps sermoní siet.*
Most.	472 sq.	*... Circumspicedum, númquis est Sermónem nostrum qui aúcupet?*
3) Mil.	1211	*... éx virtute formae | ⟨é⟩venit tibi.*
Most.	173	*Virtúte formae id évenit, ...*
1) Mil.	373	*Ibi mei sunt maiorés siti, patér, avos, proavos, ábavos.*
Pers.	57	*Patér, avos, proavos, ábavos, atavos, tritavos ...*
1) Mil.	616	*... At hoc me fácinus miserum mácerat ...*
Poen.	818	*... ita méum erum miserum mácerat:*
1) Mil.	229 sq.	*... confidentiast ‖ Nós inimicos prófligare posse.*
Pseud.	763	*Cónfidentiást inimicos meós me posse pérdere.*

Merc.-Trin. 1—3) Mercatoris et Trinummi sermonis similitudines praeter 1), ad quam cf. Aul.-Poen. 1), contulit iam O. Ribbeckius Emendat. Merc. Pl. spicilegium (a. 1883) p. 3, quibus etiam addidit *i modo* Merc. 954 sqq., Trin. 583 sqq., Poen. 428 sqq. assidue repetitum (cf. supra p. 142).

Mil.-Most. 2) Cf. etiam Trin. 146 sq. *Circúmspicedum te, néquis adsit árbiter Nobís, ...*

3) De hiatu Mil. 1211 cf. Leo Pl. Forsch. p. 315 sq., Br. Niem.[3] ad loc.

Mil.-Poen. 1) Mil. 616 codices (P) praeter B *(: miserã)* habent *miserũ,* recte, ut Poen. 818 demonstrat (aliter res se habet Pseud. 4 ... *té tam misere mácerent,)* pro quo quod *misere* praebent in contextu edit. min. Goetzius et Schoellius, errori debetur. Cf. etiam Seyffertus Stud. Plaut. p. 8 sq.

2) Mil. 491 ... *hic ad me récta habet rectám viam.*
Pseud. 1136 ... *Hicquidem ad me récta habet rectám viam.*
1) Mil. 423 ... *viti probrique pléna,*
Rud. 319 ... *viti probrique plénum,*
1) Mil. 250 ... *trecentae póssunt causae cónligi:*
Trin. 791 *Sescéntae ad eam rem caúsae possunt cónligi:*
2) Mil. 573 sq. ... *Bene me mones:* ‖ *Ita fácere certumst.*
Trin. 1063 *Béne mones: ita fácere certumst.*
3) Mil. 786 *Quoíque sapiat péctus:*
Trin. 90 *Quoi péctus sapiat?*
4) Mil. 1025: Trin. 562 *Redeo ád te.*
1) Mil. 991 *Iámst ante aedis círcus ubi sunt lúdi faciundí mihi.*
Cornic. frg. I *Quíd cessamus lúdos facere? circus noster écce adest.*

Most.: Amph. cf. Amph.-Most. 1) 2); Most.: Capt. cf. Capt.-Most. 1) 2); Most.: Cas. cf. Cas.-Most. 1) 2); Most.: Epid. cf. Epid.-Most. 1); Most.: Men. cf. Men.-Most. 1) 2); Most.: Merc. cf. Merc.-Most. 1); Most.: Mil. cf. Mil.-Most. 1—3).

1) Most. 831 ... *Ut quicquid magis contémplor, tanto mágis placet.*
Pers. 564 *Êdepol qui quom hanc mágis contemplo, mágis placet.*
2) Most. 1176 ... *Necquicquám nevis.*
Pers. 358 ... *At nequiquám nevis.*
1) Most. 4 *Ego pól te ruri, sí vivam, ulciscár probe.*
Poen. 1228 *Nunc pól ego te ulciscár probe:*
2) Most. 1063 *Êrus meus hicquidémst:*
Poen. 1123 *Erús meus hicquidemst, ...*
3) Most. 1115 ... *nam elíxus esse quam ássus soleo suávior.*
Poen. 279 *Mílphio, heus, [Milphio], ubí's.* # *Assum apud te eccum.* # *Át ego elixus sís volo.*

Mil.-Pseud. 2) Cf. etiam Trin. 868 ... *Ad nóstras aedis hícquidem habet rectám viam.*

Mil.-Trin. 3) Cf. etiam Bacch. 660 *Pectus quoi sapit.*

Most.-Pers. 2) Cf. etiam Pseud. 436 ... *Át enim nequiquám nevis.*

Most.-Poen. 1) *ulciscár probe* ex. v. exstat etiam apud Terent. Phorm. 989; similes locutiones invenies Amph. 1043, Asin. 148, Bacch. 507[b], Men.-Poen. 2) (sub fine).

2) Poen. 1123 scripturam librorum Pall. praebui; *[hi]cquide[m est meus e]rus* (vel *meus est*) habet A.

3) Poen. 279 *Milphio* falso iteratum delevit Bothius; cf. Poen. 5).

4) Most. 1175: Poen. 380 ... *sine te⟨d⟩ exorárier.*
1) Most. 928: Pseud. 958 ... *Tecum séntio.*
1) Most. 715: Rud. 1143 *Hóc habet.*
2) Most. 1033 *Delúdificatust mé hodie indigni⟨s mo⟩dis.*
Rud. 147 *Delúdificavit mé ille homo indignis modis.*
3) Most. 1122 ... *atque édormivi crápulam,*
Rud. 586 ... *ut édormiscam hanc crápulam,*
1) Most. 92 ... *ei rei argúmenta dicam.*
Trin. 522 *Ei rei argúmenta dicam.*
2) Most. 1010 sq.: Trin. 403 (420) cf. Trin. 3).

Pers.: Amph. cf. Amph.-Pers. 1) 2); Pers.: Asin. cf. Asin.-Pers. 1); Pers.: Aul. cf. Aul.-Pers. 1); Pers.: Bacch. cf. Bacch.-Pers. 1) 2); Pers.: Capt. cf. Capt.-Pers. 1—3); Pers.: Cas. cf. Cas.-Pers. 1); Pers.: Curc. cf. Curc.-Pers. 1—3); Pers.: Epid. cf. Epid.-Pers. 1) 2); Pers.: Merc. cf. Merc.-Pers. 1—3); Pers.: Mil. cf. Mil.-Pers. 1); Pers.: Most. cf. Most.-Pers. 1) 2).

1) Pers. 305 ... *Magis cálleo quam aprúgnum callum cállet.*
Poen. 579 ... *cállum aprugnum cállere aeque nón sinam.*
1) Pers. 358: Pseud. 436 cf. Most.-Pers. 2).
1) Pers. 99: Rud. 97 *Prope me hic nescioquis lóquitur.*
1) Pers. 158: Trin. 767 ... *in peregrinúm modum:*
2) Pers. 662 *Fáciam ita ut te vélle video[m]:*
Trin. 948 *⟨Fácia⟩m ita ut te vélle video.*

Poen.: Amph. cf. Amph.-Poen. 1—4); Poen.: Asin. cf. Asin. 1—3); Poen.: Aul. cf. Aul.-Poen. 1); Poen.: Bacch. cf. Bacch.-Poen. 1); Poen.: Capt. cf. Capt.-Poen. 1—4); Poen.: Epid. cf. Epid.-Poen. 1—3); Poen.: Men. cf. Men.-Poen. 1—4); Poen.: Mil. cf. Mil.-Poen. 1); Poen.: Most. cf. Most.-Poen. 1—4); Poen.: Pers. cf. Pers.-Poen. 1).

1) Poen. 40 ... *quód paene oblitús fui:*
Pseud. 171 ... *est quód domi dicére paene oblitús fui.*

Most.-Poen. 4) *te* utroque loco P, *hoc* Poen. 380 A (in Most. v. non exstans); *d* adiecto sanabat Guyetus, sed cf. Muellerus Nachtr. p. 116.

Most.-Rud. 2) *indignis modis* ex. v. exstat etiam Rud. 672, quo Bothium Most. 1033 recte supplevisse certissimum fit.

3) *obdormivi* librorum Most. 1122 correxit Camerarius.

Pers.-Trin. 1) E loco simili Pers. 157 sq. *Quasi sit peregrinus* verba in Trinummum delata atque interpretationis causa ascripta esse fortasse recte videntur Brixio.

2) Trin. 948 e loco simili supplevit Spengelius ingeniose; quem ipsum iam Acidalius restituit. Cf. Amph.-Trin. 1), Amph. 1144.

Poen.-Pseud. 1) Pseud. 171 *fui oblitus* librorum recte traiecit

2) Poen. 195 ... *út ferat falláciam.*
Pseud. 765 ... *docte ut hánc ferat falláciam.*
3) Poen. 261 sq. ... *ác tace.* ‖ # *Táceo.* # *Si tacuisses, iam istuc 'táceo' non gnatúm foret.*
Pseud. 208 sq. *Táce* ... ‖ # *Táceo.* # *At taceas málo multo quám tacere dicas.*
4) Poen. 551 *Hórunc hi[n]c nunc caúsa haec agitur spécta-torum fábula:*
Pseud. 720 ... *Horum caússa haec agitur spéctatorum fábula:*
5) Poen. 660 ... *Praeda haéc meast.*
Pseud. 1124 ... *Quia praeda haéc meast:*
6) Poen. 1046 *Ego sum ípsus, quem tu quaéris.*
Pseud. 978 *Ípse ego is sum, adulèscens, quem tu quaéris.*
1) Poen. 50: Rud. 120 *Sed nisi molestumst,* ...
2) Poen. 759 sq. *Calidúm prandisti prándium hodie? díc mihi.* # *Quid iám?* # *Quia os nunc frígefactas, quóm rogas.*
Rud. 1326 *Ós calet tibi: núnc id frig[id]efáctas.*
3) Poen. 1243 *Nil técum ago: apscede, ópsecro.* # *Atque hércle mecum agéndumst:*
Rud. 719 *Técum ago.* # *Atqui mécum agendumst.*
1) Poen. 1034: Stich. 724 ... *quási proserpens béstia.*
1) Poen. 552 *Hós te satius ést docere ut, quándo agas, quid agá[n]s, sciant.*
Vid. 11 *Intéllegetis pótius quid agant, quándo agent.*
1) Poen. 478 ... *eo praesternébant folia fárferi.*
Frg. inc. L *dissipábo* ‖ *Te támquam folia fárfari.*

Pseud.: Amph. cf. Amph.-Pseud. 1—3); Pseud.: Asin. cf. Asin.-Pseud. 1); Pseud.: Aul. cf. Aul.-Pseud. 1)2); Pseud.: Bacch. cf. Bacch.-Pseud. 1—3); Pseud.: Capt. cf. Capt.-Pseud. 1—6); Pseud.: Epid. cf. Epid.-Pseud. 1—4); Pseud.: Men. cf. Men.-

Spengelius Reformvorschl. p. 397; *oblitús fui* ex. v. habes etiam Amph. 457, Merc. 481; 900 (e coniectura Ribbeckii l. s. l. p. 31 et Seyfferti Philol. Anz. XIII No. 11 p. 532).

Poen.-Pseud. 4) Poen. 551, quo hoc loco aegre careas, ut e Pseud. fortasse interpolatum iniuria in suspicionem vocabat Umpfenbachius Meletem. Plaut. (Giss. 1860) p. 18.

6) Cf. etiam Curc.-Epid. 1).

Poen.-Rud. 2) Cf. Ritschelius Opusc. II p. 282.

Poen.-Stich. 1) Cf. etiam Asin. 695, Pers. 299.

Poen.-Vid. 1) Poen. 552 *agant* librorum correxit Acidalius; Vid. 11 coll. Poen. loco simili optime e frustulis Ambrosiani restituit Studemundus.

Pseud. 1)2); Pseud.: Merc. cf. Merc.-Pseud. 1); Pseud.: Mil. cf. Mil.-Pseud. 1)2); Pseud.: Most. cf. Most.-Pseud. 1); Pseud.: Pers. cf. Pers.-Pseud. 1); Pseud.: Poen. cf. Poen.-Pseud. 1—6).

1) Pseud. 595 *Hi lóci sunt atque hae régiones . . .*
Rud. 227 *. . . quam haéc sunt loca atque hae régiones.*

1) Pseud. 954: Truc. 599 *Íllicinest? # Íllic ést.*

Rud.: Amph. cf. Amph.-Rud. 1—5); Rud.: Asin. cf. Asin.-Rud. 1); Rud.: Bacch. cf. Bacch.-Rud. 1); Rud.: Capt. cf. Capt.-Rud. 1); Rud.: Curc. cf. Curc.-Rud. 1); Rud.: Men. cf. Men.-Rud. 1—3); Rud.: Merc. cf. Merc.-Rud. 1—8); Rud.: Mil. cf. Mil.-Rud. 1); Rud.: Most. cf. Most.-Rud. 1—3); Rud.: Pers. cf. Pers.-Rud. 1); Rud.: Poen. cf. Poen.-Rud. 1—3); Rud.: Pseud. cf. Pseud.-Rud. 1).

1) Rud. 111 † *An quo furatum mox vénias vestigás loca?*
Trin. 864 *Crédo edepol quo móx furatum véniat speculatúr loca.*

1) Rud. 845 *Convórret iam hic me tótum cum pulvisculo.*
Truc. 19 *Quo cítius rem ab eo avérrat cum pulvisculo.*

2) Rud. 414 sq. *Quis est qui nostris tám proterve fóribus facit iniúriam?*
Égo sum.
Truc. 256 *Quis illic est qui tám proterve nóstras aedis árietat?*
Égo sum:

Stich.: Amph. cf. Amph.-Stich. 1)2); Stich.: Bacch. cf. Bacch.-

Pseud.-Truc. 1) Libri habent Truc. 599 *illicque ē;* correxit e loco Pseud. parallelo Kiesslingius Nov. Annal. XCVII (a. 1868) p. 635.

Rud.-Trin. 1) Rud. 111 pro corrupto v. initio e Trin. 864 atque Leonis coniectura *quon fúratum mox* (propter accentum suspecta), sic scripserim: *quon móx furatum* . . . Ceterum cf. Marxius l. s. l. p. 31.

Rud.-Truc. 1) Truc. 19 traditum *auferat* correxit Weisius in *averrat* iam propter metrum flagitatum. — Rudentis ab altera parte cum Trinummi Truculentique ab altera sermone similitudines collegit Fr. Marxius l. s. l. p. 30 sq.; Rud. 944 *Enícas iam me odio, quísquis es:* Truc. 119 sqq. *Enícas me miserum, quísquis es. # Péssuma, mané. # Óptume, odió's* huic conspectui inserere nolui, cum eadem locutio exstet etiam eisdem fere verbis Asin. 920 sq. . . . *Pol mé quidem Míseram*odio énicavit* et Pers. 48 *Ah, odio me énicas* (cf. etiam Uss. ad Asin. 443). Idem dicendum est de Rud. 429: Truc. 871 *Ótium ubi erit, . . .* qui dicendi usus quam sit vulgaris, discas e locis apud Abrahamum Stud. Pl. p. 215 sq. collatis, supplendis e Brixio Nov. Annal. CI (a. 1870) p. 769 (adde etiam Merc. 374).

Stich. 1) 2); Stich.: Capt. cf. Capt.-Stich. 1—4); Stich.: Cas. cf. Cas.-Stich. 1); Stich.: Poen. cf. Poen.-Stich. 1).

1) Stich. 582: Truc. 122 ... *átque is est.*

Trin.: Amph. cf. Amph.-Trin. 1); Trin.: Asin. cf. Asin.-Trin. 1); Trin.: Aul. cf. Aul.-Trin. 1—4); Trin.: Capt. cf. Capt.-Trin. 1) 2); Trin.: Cas. cf. Cas.-Trin. 1); Trin.: Curc. cf. Curc.-Trin. 1); Trin.: Men. cf. Men.-Trin. 1) 2); Trin.: Merc. cf. Merc.-Trin. 1—3); Trin.: Mil. cf. Mil.-Trin. 1—4); Trin.: Most. cf. Most.-Trin. 1) 2); Trin.: Pers. cf. Pers.-Trin. 1) 2); Trin.: Rud. cf. Rud.-Trin. 1).

1) Trin. 63 *Habeás ut nanctu's:*
Truc. 844 *Núnc habeas ut náctu's:*

Truc.: Amph. cf. Amph.-Truc. 1); Truc.: Asin. cf. Asin. 1—3); Truc.: Aul. cf. Aul.-Truc. 1); Truc.: Bacch. cf. Bacch.-Truc. 1—5); Truc.: Cas. cf. Cas.-Truc. 1) 2); Truc.: Curc. cf. Curc.-Truc. 1) 2); Truc.: Merc. cf. Merc.-Truc. 1); Truc.: Pseud. cf. Pseud.-Truc. 1); Truc.: Rud. cf. Rud.-Truc. 1) 2); Truc.: Stich. cf. Stich.-Truc. 1); Truc.: Trin. cf. Trin.-Truc. 1).

1) Truc. 268 ... *quasi sus cátulos pedibus próteram.*
Frg. inc. XLII *Et égo te conculcábo ut sus catulós suos.*

Vid.: Poen. cf. Poen.-Vid. 1).

Cornic. frg. I: Mil. 991 cf. p. 187; Hortul. frg.: Men. 549 cf. p. 184; Frg. inc. XXVI: Cas. 246 cf. p. 179; Frg. inc. XLII: Truc. 268 cf. supra; Frg. inc. L: Poen. 478 cf. p. 189.

Fulgentius p. 560, 8 hunc versum e Menaechmis affert

Sicút pollinctor dixit, qui eum pollínxerat.

quem cum vulgo referant ad versum, qui ei simillimus est, Poen. 63

Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

recte propter *sicut* atque totam indolem Men. prologo accommodatam ei vindicasse videtur Schoellius, qui probabiliter versum post v. 36 contextui inseruit (cf. Men. 36 ... *emórtuost:* Poen. 61 ... *est emórtuos.).* Cui coniecturae certe consuetudo poetae non obstat. Dubitari potest, utrum Plautus se ipsum repetiverit an citantis subsit error, etiam his locis: Cist. 408 (a Festo p. 301, 26 et 352, 18 ad Syr. refertur), Stich. 91, 352 (a Festo p. 197, 28 et 169, 11 quasi e Nervolaria citantur: cf. post alios Leo Relat. Gott. a. 1902 p. 390 adn.), vide etiam supra Amph.-Asin. 2). Aliis locis errasse

Trin.-Truc. 1) Cf. etiam Rud. 871 ... *Ut nanctú's, habe,* Marxius l. s. l. p. 31.

citantem verisimile est (cf. velut Capt. frg. a Nonio p. 220, 12 servatum, Vid. frg. XX).

Iam vero sermonis Plautini similitudinibus, quarum si unam alteramve omisi liceat veniam petere, enumeratis, redeam necesse est, unde initium cepi, ad Marxii dissertationem p. 129 allatam. Quas enim supra tantum commemoravi viri doctissimi argumentationes, num recte se habeant, nunc diligentius examinare in animo est. Effecit igitur Marxius e locis similibus, quos et ipse attulit et e conspectu supra proposito facile tibi sumes, eximia esse iunctam Rudentem necessitudine cum Amphitruone, Mercatore, Trinummo, Truculento. Quae si concedenda est de Amphitruone et Mercatore, quamquam omissa de Mercatoris et Rudentis somniis quaestione (cf. epimetrum) non maior est, quam quae intercedit ex. gr. inter Amphitruonem et Mercatorem (7 loci cognati), Bacchides et Truculentum (5 l. c.), Captivos et Pseudolum (6 l. c.), Poenulum et Pseudolum (6 l. c.), satis dubia videtur de Trinummo et Truculento. Qua sermonis similitudine ita usus est vir doctus, ut quae fabula locis cognatis brevius atque simplicius, denique aptius praebeat sententias, eam prius esse scriptam oportere affirmet; quae ratio ut in singulis satis intricata est atque difficilis, ita omnino ipsi poetae ingenio, quod e parvis initiis paulatim ad politiorem stilum lepidioremque dicendi elegantiam crevisse, non e magna loquendi arte minutum esse natura hominum docet, contradicere videtur. Quam rem si exemplis probare omnino necesse est, conferas velut Cas.-Cist. 2), Capt.-Stich. 1) 2) (Captivos post Stichum actam anno a. Chr. n. 200 in scaenam prodiisse verisimile fit e Captivorum cum Poenulo [4 l. c.] et Pseudolo [6 l. c.] fabulis posterioribus [Pseudolus a. 191 acta est] affinitate). In universum cavendum est, ne, quas proposui, similitudinibus nimium tribuas in constituendis fabularum actarum temporibus; quae res quam incertae sint, ostendere possunt velut Pseudolus et Truculentus (cf. Cic. Cat. m. 14, 50) nulla similitudine iunctae, cum utraque fabula cum Amphitruone (Amph.-Pseud. 1—3), Amph.-Truc. 1)) vetustiore fabula atque cum Bacchidibus (Bacch.-Pseud. 1—3), Bacch.-Truc. 1—5)), incerti temporis (sed cf. Bacch.-Pseud. 1)) conexa sit. Coniunctis demum his cum aliis argumentis certius de actionis temporibus ferri poterit iudicium, quod opus aliis relinquo.

Gravioris hos conspectus momenti fore ad aliam rem indagandam spero; etenim ex his demum certius substrui poterit fundamentum ei quaestioni, quatenus Plautus non veritus sit, quos semel condiderit versus, eos libere occasione data repetere. Qua in

re et Ritschelius et qui post eum ad Plautum studia sua contulerunt, interdum acrius atque vehementius, quam par fuit, damnandi resecandique artem exercuerunt. Sed si proficisceris ab eis locis, ubi per se nulla ratio est cur neges poetam se ipsum esse imitatum (velut Bacch. 5), Poen. 6), Pseud. 15), Rud. 6); Cas.-Cist. 1) 2), Men.-Poen. 2), Men.-Rud. 1), Poen.-Pseud. 4) al.), facile etiam eis locis, ubi dubitandi ansa est, velut Epid. 7), Pers. 2), Poen. 5), 14), Pseud. 4), 9), 10), 16), Rud. 1), 5), Asin.-Poen. 2), Capt.-Cas. 2), Capt.-Pers. 1), Capt.-Pseud. 4) potius quam levi interpolationis vel dittographiae indulgeas suspicioni non semel poetam neglegentiae cuiusdam accuses. Quae neglegentia quomodo excusetur, multa afferri possunt; gravissima sunt, quod poeta non in perpetuum legendi fructum, sed ad praesentis actionis usum fabulas suas scripsit, porro quod tum et lingua latina et versus rude aliquid etiam atque inconditum habebant, ut quadam necessitate eadem verba saepius eodem versus loco ponere coactus fuerit Plautus[1]); cuius rei exempla, cum in ea totius opusculi summa versetur, iterum enumerare inutilis esset labor.

De Mercatoris et Rudentis somniis epimetrum.

Quas gravissimas inter Mercatorem et Rudentem intercedere vidimus sermonis similitudines (Merc.-Rud. 2—4)), eae continentur duobis somniis (Merc. 225 sqq., Rud. 593 sqq.) in utraque fabula a senis persona pronuntiatis. In his explanandis recte statuit Marxius l. s. l. p. 12, 20, 27, quod et Leo Plaut. Forsch. p. 147 iam bene explicuerat neque mihi in animo est refellere: narrationem Mercatoris in hac quidem scaena — de totius fabulae arte valde dissentio a Marxii iudicio p. 5 proposito, ab eodem autem correcto p. 29[2]) — esse latam, indistinctam, insulsam, Rudentis concisam, bene dispositam, colore attico repletam.

Iam cum quaerendum sit utra narratio pendeat de altera — nam casu talem cognationem fieri non posse constat —, locis singulis sermone inter se respondentibus tractatis eadem, quam supra (p. 192) incertam esse demonstrasse mihi videor, usus ratione ad eundem de somniis, quo antea de ipsis fabulis, pervenit finem vir doctus: scilicet natum esse somnium Mercatoris ex imitatione somnii Rudentis. Quamquam autem de hoc argumento aliter sentio, cum deinde de

1) Cf. etiam sanum de hac re Brix.-Niem.[5] ad Capt. 665 iudicium.
2) Cf. etiam iudicium Wilamowitzii Nov. Annal. Teubnerian. a. 1899 p. 516.

ipsa sententia narrationum agat Marxius atque quaerat, utrius fabulae somnium ita comparatum sit, ut inventionis, non imitationis vestigia impressa habeat, recte in hac re Rudentem palmam ferre probasse mihi videtur vir doctissimus et egregiam in singulis expediendis ostendisse sagacitatem.

Qua re cum iam pelliciaris, ut Diphilum — huius enim comoediam vertit Plautus Rudente (prol. 32) — inventionis laudem contribuas (causa inserendi somnii ei fortasse erat exemplum Hecubae Euripidis, cf. Leo l. l. p. 145, p. 149 adn. 2), haec opinio confirmatur eis, quae loco tertio exposuit Marxius; eam enim deinceps tractavit quaestionem, quem locum somnia in oeconomia fabularum teneant refutavitque ea, quae Leo l. s. l. p. 147 sq. hac de re disputavit. Nam si non ad totam actionem spectat narratio Rudentis, tamen non est, cur Diphilus non unius tantum actus facta faceto hoc invento complecti potuerit. Contra in Mercatore fabulae argumentum in somnio multis explicatur verbis, ipsae quae eo significantur res, pleraeque post scaenam fiunt (Marxius p. 22), narratio somnii non satis eventis respondet (Merc. v. 242 sqq. conferas cum v. 797 sqq.) — attamen haedum versuum 248 sq. esse Eutychum contra Marxium putaverim, nam versibus 248 sq. respondet ultima fabulae scaena, verbis *sese a símia Capram ábduxisse* v. 966 . . . *Tíbi amicam ésse nullam núntio,* verbis *et coépit inridére me* vv. 969, 974, 976, 982, 990, 1004 sqq. —, denique intentio spectatorum in Rudente dramatica tertii actus expositione aucta relaxatur in Mercatore eo, quod ipsum somnium altera pars interpretationis statim subsequitur, altera plane non exprimitur.

His omnibus cum verisimile fiat Rudentem magis genuinam somnii formam praebere, ea iam oritur quaestio, utrum Philemo (cuius *Ἔμπορον* se transtulisse Plautus ipse fatetur Merc. prol. 9 sq.) Diphili vestigia presserit an Plautus ex suo ingenio Rudentis illam scaenam imitatus in graecam Philemonis fabulam, cum verteret, inseruerit. Cum autem Philemonem triginta fere annos ante Diphilum floruisse constet, maiorem natu poetam minorem secutum esse praecipue tali in re, nemo putaverit nisi certis coactus documentis. Deinde ipsa somnii in Mercatore narratio ab Atticorum ingenio et ipsius Rudentis arte ita abhorret, vix ut eam ex Attico crevisse solo sibi persuadeat Marxius. Oportet igitur poetam Romanum haec ita contaminasse.

Iam ut secerneret Marxius, quae in scaenis Merc. II 1, II 2 — nam nullo alio huius fabulae loco hoc somnium commemorari iam supra dixi — Philemoni, quae Plauto propria sint, ex Attico

colore versuum 277—282 (ad *vilicum Pistum* cf. Antiph. frg. 68 [K.]) Philemonis stilum in his versibus deprehendere recte sibi videtur, alia huius scaenae (II 2) verba a Plauto adiecta esse atque eum concitasse, ut somnium insereret, suspicatur, ita, ut ex suo addidisset Plautus omnino vv. 225—54, 268—70, 272—76. Sed cum ipse affirmet (p. 23) ingeniose esse inventos vv. 272—75, quippe qui vivide medias in res ducant spectatorem, miror, cur postea (p. 25) nescio qua de causa dubitaverit eos Philemoni attribuere. Nam naturae rei convenit abeunti demum servo gravissimum dare mandatum Lysimachum senem vv. 277 sqq.; colloquentes inter se dominus et servus scaenam intrant, servus eo temporis momento, cum nondum ingressi sunt, questus est de hirco homines inquietante, quaesivit quomodo eum coercerent, iam dominus respondet (vv. 273 sq.)

Profécto ego illunc hírcum castrari volo
Rurí qui vobeis éxhibet negotium.

Demipho in altera scaenae parte astans, ut saepissime fit in comoediis Plautinis Terentianisque, audit eos (v. 271), ipse nondum ab eis conspicitur. Ipsa illa verba, quae Demipho deinde apud Philemonem, ut opinor, loquitur (vv. 274 sq.):

Nec ómen illud míhi nec auspiciúm placet:
Quasi hírcum metuo ne úxor me castrét mea,

fortasse poetam Romanum commoverunt, id, quod non potuerunt, si ipsius erant, ut somnium illud e Rudente necessariis quae videbantur admissis mutationibus in hanc fabulam reciperet. Utque suam inventionem cum his versibus (272—275) conglutinaret, cum somnii explicationis alteram partem iam supra post Philemonis vv. 255—267 versibus 268—70 expressisset, actione progrediente semel tantum idque satis infeliciter uno versu (276) suum alieno assuere conatus est: verbis Philemonis, quibus tam ingeniose scaenam II 2 incohatam esse vidimus, ineptum versum (276)

Ac métuo ne illaec símiae partís ferat (sic A),

de cuius explanatione cf. Marxius p. 25, adiecit. Hoc modo probabilius ex mea quidem sententia haec res expedietur, quam si contaminatorem sui ingenii tam diversa inventa, ut exstant vv. 272—75 et in somnio, sic in unum confudisse cum Marxio arbitraberis.

Marxius igitur cum ad eam sententiam pervenisset, ut ipsum Plautum hoc somnio tenere sibi videretur, mihi ne Plauto quidem haec narratio digna videtur. Quod ut suspicarer, praeter ea vitia, quibus eam laborare iam supra expositum est, accuratiore in eius

sermonem adductus sum inquisitione. Vox *simia* ut in Rudente semper pro feminina adhibetur, ita etiam Merc. 234, 269, sed v. 244 legimus

Ad mé domum intro ad uxórem ducturúm meam.

Insciti deinde non potest non esse poetae inanis verborum idem significantium vv. 249 sq. *(infit — coepit)* commutatio, iteratio eiusdem rei eisdem verbis vv. 239 et 241, nimis repetita verba *videri* (vv. 229, 232, 240, 245, 248, bis ex. v.) et *capra* (vv. 229, 230, 236, 238, 240, 246, 253, 268, quinquies ex. v.), *ἐπεξηγητικὸν* illud tantum ad versum supplendum additum *aut quid vóluerit* (v. 254). Ad v. 234 cf. Leo in adn. et Marxius p. 13. V. 245 sive cum Leone (in adn.) *illi* traditum ad capram refers, quod dissuadere videtur vox *capra* sequentis versus, sive cum Bothio in *illud* mutas, eadem restat pravae sententiae offensio.

Deliberatione quidem digna est quaedam huius scaenae cum Terentii sermone cognatio. V. 242 *Instáre factum símia atque hoc déniqu*e... vox *instare* idem significat, quod 'constanter contendere'; nullo alio loco Plautus ea hoc sensu utitur atque iam propterea irriti sunt Ussingius Amph. 877 (= 884 R.) et Trautweinius de prol. Plaut. indole atque nat. (Berol. 1890) p. 37 Merc. prol. v. 16 eam inculcantes. Contra huius versus cum loco quodam Terentiano, Andr. 146 sq. ... *ego illud sédulo* ‖ *Negáre factum. ille ínstat factum. dénique* ... affinitatem iam Donatus hos versus illis illustrans agnovit. Vox *discordare* (v. 231) nusquam alibi in Plauto, quod quidem sciam, legitur: exstat in eiusdem Terentii Andr. v. 575. Itaque ut alia leviora omittam, utrum probabilius est haec apud Plautum uno tantum loco exarata Terentium ex hac scaena hausisse (quod quidem per se fieri potuit, cf. ex. gr. Capt. 800: Eun. 801, Most. 655: Phorm. 976 etc.), an potius retractatorem Mercatoris Terentium sibi notum in conscribendo somnio libere compilasse?

Cum igitur in dicendi genere multa sint, quae displiceant quaeque recte abiudices a Plauti ingenio, non minus offenderis, si sententiarum conexum diligenter perscrutaberis. De quadam repugnantia inter somnium et ipsam fabulam iam Marxium egisse supra (p. 194) dixi. Cui accedit alia: versuum 239—41 si aliquo modo interpretari licet inventionem non satis aptam, nulla est alia explicatio quam significari eis Lysimachum querentem de omissa uxoris dote, scilicet quia Dorippa secum divortium faciat. Sed in ipsa comoedia repudii nulla est mentio: uxor irata patrem tantum

consultura est (vv. 787 sq.), magis etiam discedunt, quae Syra secum loquitur scaena IV 6. Neque etiam species somnii prorsus servata est, ut oportuit a poeta scito: v. 244 vocatur uxor, quam supra (v. 230) Demipho e somnii fictione capram appellaverat. His omnibus perpensis non habes, cur cum Ritschelio Opusc. II p. 703 sq. tam acriter in eum invehari, qui v. 276 defenderit: non alienus videtur ab indole huius contaminatoris.

Iam cum his argumentis probasse mihi videar histrionem aliquem, cum iterum in scaenam Mercator post Terentii aetatem ederetur, hoc somnium interpolasse, hoc ut faceret, quae res eum commovere potuerit, quaerendum est. Qua in re mihi repetendum est, quod iam Marxius (p. 22) docuit: nullam earum rerum, quae in somnio pronuntiatae sint, ante spectatorum oculos agi. Qui ne erroribus implicarentur, eos de ipsa actione accuratius instruere voluit fortasse histrio ita, ut toti expositioni hoc ad normam Rudentis fictum somnium praemitteret.

Huius fabulae etiam alias partes non intactas per histrionum manus ivisse verisimile est; cf. scaenam V 3, ubi haud adeo paucos intercidisse sermones fortasse haud iniuria opinatus est Ritschelius; adde dittographiam in scaena II 3 (cf. Goetzius Act. soc. Lips. VI p. 261 sq.). Dubitari potest de prologo.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEVBNERI.

Kaerst, J., Geschichte des hellenistischen Zeitalters. Erster Band: die Grundlegung des Hellenismus. [X u. [illegible] S.] gr. 8. geh. n. ℳ 12.—, geb. n. ℳ 14.—

— die antike Idee der Oekumene in ihrer politischen und kulturellen Bedeutung. Akademische Antrittsvorlesung. [IV u. 48 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 1.20.

Leo, Fr., die griechisch-römische Biographie nach ihrer litterarischen Form. [VI u. 329 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 7.—

Lexicon Plautinum conscripsit G. Lodge. Vol. I. Fasc. II. (alius — aufugio.) [96 S.] Lex.-8. geh. n. ℳ 7.20.

Lexikon, ausführliches, der griechischen und römischen Mythologie. Im Verein mit vielen Gelehrten herausgegeben von W. H. Roscher. Mit zahlreichen Abb. 47. Liefg. (Bd. III Liefg. 11.) Paris—Peirithoos. 1601—1760. Lex.-8. Jede Liefg. geh. n. ℳ 2.—

Plauti comoediae. Rec., instrumento critico et prolegomenis auxit F. Ritschelius sociis operae adsumptis G. Loewe, G. Goetz, F. Schoell. Tom. I. Fasc. II. Epidicum continens. Ed. II. [XVI u. 129 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 4.—

Roemer, A., Studien zu Aristophanes und den alten Erklärern desselben. I. Teil. Das Verhältnis der Scholien des Cod. Rav. u. Venet. Nebst Beiträgen zur Erklärung der Komödien des Aristophanes. Auf Grund unserer antiken Quellen. [XIV u. 196 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 8.—

Stoicorum veterum fragmenta collegit Ioannes ab Arnim. Vol. II. Chrysippi fragmenta logica et physica. [VI u. 348 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 14.—

Wächter, A., der Verfall des Griechentums in Kleinasien im XIV. Jahrhundert. [IV u. 70 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 2.20.

Wünsch, R., das Frühlingsfest der Insel Malta. Ein Beitrag zur Geschichte der antiken Religion. [IV u. 70 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 2.—

Sammlung wissenschaftlicher Commentare zu griechischen und römischen Schriftstellern.

Aetna. Erklärt von S. Sudhaus. [X u. 230 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 6.—; in Leinwand geb. n. ℳ 7.—

Lucretius De rerum natura Buch III. Erklärt von R. Heinze. [VI u. 206 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 4.—; in Leinwd. geb. n. ℳ 5.—

Sophokles Elektra. Erklärt von G. Kaibel. [VIII u. 310 S.] gr. 8. geh. n. ℳ 6.—; in Leinwand geb. n. ℳ 7.—

Schulausgaben griechischer und lateinischer Klassiker mit deutschen Anmerkungen. [gr. 8.]

Aeschylos, die Schutzflehenden. Mit Einleitung und Anmerkungen von N. Wecklein. [IV u. 120 S.] gr. 8. geh. ℳ 1.60, geb. ℳ 2.—

Aeschylos' Sieben gegen Theben. Mit erklärenden Anmerkungen von N. Wecklein. [100 S.] gr. 8. geh. ℳ 1.20, geb. ℳ 1.60.

Homers Odyssee. Für den Schulgebrauch erklärt von K. F. Ameis. Bd. I, Heft 1 (Gesang I—VI). 11. berichtigte Aufl., besorgt von C. Hentze. [XVIII u. 208 S.] geh. ℳ 1.50, geb. ℳ 2.— Band II, Heft 2 (Gesang XIX—XXIV). 8. berichtigte Aufl., besorgt von C. Hentze. [179 S.] geh. ℳ 1.40, geb. ℳ 1.80.

— Anhang. 4. Heft (zu Gesang XIX—XXIV). 3. umgearbeitete Auflage, besorgt von C. Hentze. Mit 2 Reg. [141 S.] geh. ℳ 2.10, geb. ℳ 2.60.

Horatius Flaccus, Oden und Epoden. Von C. W. Nauck. 15. Aufl., von O. Weissenfels. [XLV u. 244 S.] geh. ℳ 2.25, geb. ℳ 2.75.

P. Ovidii Nasonis metamorphoses. Auswahl für Schulen. Mit erläuternden Anmerkungen und einem mythologisch-geographischen Register versehen von J. Siebelis. Zweites Heft, Buch X—XV und das mythologisch-geographische Register enthaltend. In sechster bis dreizehnter Auflage besorgt von F. Polle. Vierzehnte Auflage von O. Stange. [VIII u. 178 S.] geh. ℳ 1.60, geb. ℳ 2.—

Platons Verteidigungsrede des Sokrates und Kriton. Für den Schulgebrauch erklärt von Chr. Cron. Elfte Auflage bearb. v. H. Uhle. [VI u. 154 S.] geh. ℳ 1.—, geb. ℳ 1.40.

Plautus, ausgewählte Komödien. Von J. Brix. 4. Bändchen: Miles gloriosus. 3. Aufl., bearbeitet von M. Niemeyer. [VIII u. 172 S.] geh. ℳ 1.80, geb. ℳ 2.30.

Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana. [8.]

Donati quod fertur commentum Terenti. Accedunt Eugraphi commentum et scholia Bembina. Rec. P. Wessner. Vol. I. [L u. 542 S.] geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 10.80.

Gellii Noctium Atticarum libri XX. Post M. Hertz ed. C. Hosius. Vol. I/II. [LXIV u. 750 S.] geh. ℳ 6.80, geb. ℳ 8.—

Georgii Acropolitae opera recensuit A. Heisenberg. Vol. I. [XXIV u. 367 S.] geh. ℳ 8.—, geb. ℳ 9.—

Heronis Alexandrini opera quae supersunt omnia. Vol. III v. H. Schöne. Mit 116 Fig. [XXII u. 366 S.] geh. ℳ 8.—, geb. ℳ 9.—

Hesiodi carmina rec. A. Rzach. [IV u. 228 S.] geh. ℳ 1.60, geb. ℳ 2.—

Lycurgi oratio in Leocratem. Post Carolum Scheibe edidit Fridericus Blass. Editio stereotypa minor. [62 S.] geh. ℳ —.60, geb. ℳ —.90.

Mythographi Graeci. Vol. III Fasc. II: Palaephati *Περὶ ἀπίστων*. Heracliti qui fertur libellus *Περὶ ἀπίστων*. Excerpta Vaticana (vulg. Anonymus de incredibilibus). Ed. Nicolaus Festa. [LVI u. 128 S.] geh. ℳ 2.80, geb. ℳ 3.20.

Philostrati minoris imagines et **Callistrati** descriptiones rec. C. Schenkl et E. Reisch. [LVIII u. 82 S.] geh. ℳ 2.40, geb. ℳ 2.80.

C. Plinii Caecilii Secundi epistularum libri novem. Epistularum ad Traianum liber. Panegyricus. Rec. C. F. W. Mueller. [VII u. 392 S.] geh. ℳ 2.80, geb. ℳ 3.40.

Pseudacronis scholia in Horatium vetustiora rec. Otto Keller. Vol. I. Schol. *AV* in carmina et epodos. [XIV u. 400 S.] geh. ℳ 9.—, geb. ℳ 10.—

Ptolemaei, Claudii, opera quae exstant omnia. Vol. I ed. J. L. Heiberg. Pars II, libros VII—XIII continens. [IV u. 608 S.] geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 13.—

Remigii Autissiodorensis in artem Donati minorem commentum. Ad fidem codicum manu scriptorum edidit W. Fox S. J. [XII u. 100 S.] geh. ℳ 1.80, geb. ℳ 2.20.

Senecae, L. Annaei, tragoediae recc. Rudolfus Peiper et Gustavus Richter. Peiperi subsidiis instructas denuo edendas curavit Gustavus Richter. [XLIV u. 500 S.] geh. ℳ 5.60, geb. ℳ 6.20.

—— Supplementum edidit Fridericus Haase. Accedit index rerum memorabilium. [XI u. 101 S.] geh. ℳ 1.80, geb. ℳ 2.20.

Thucydidis historiae rec. C. Hude. Vol. I: libri I—IV. Ed. min. [361 S.] geh. ℳ 1.20, geb. ℳ 1.80.

COMMENTATIONES PHILOLOGAE IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES

VOLVMINIS SEPTIMI FASCICVLVS POSTERIOR



LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCCVI

COMMENTATIONES PHILOLOGAE

IENENSES

EDIDERVNT

SEMINARII PHILOLOGORVM IENENSIS PROFESSORES


VOLVMINIS SEPTIMI FASCICVLVS POSTERIOR



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCCVI



LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

INDEX DISSERTATIONVM

DE RATIONE
QVAE INTER PLATONIS PHAEDRVM SYMPOSIVMQVE INTERCEDAT

SCRIPSIT

PAVLVS CRAIN

APOLDANVS

Praefatio.

Quaestionem quae dicitur Platonica ferme solutam esse etsi non defuerunt qui conarentur asseverare[1]), plurimi tamen doctissimique viri vehementer negant. Quid igitur mirum, quod eadem, quae summo studio ac labore acerrimo non minus philosophis quam philologis digna existimatur, iterum iterumque repetitur et retractatur? Quodque porro, cum rationes a prioribus adhibitae parum valere viderentur, cognoscendi novae viae sunt quaesitae? Atque plurimum confidunt ad restituendum ordinem Platonicorum operum se contulisse ei, qui verborum ex usu temporum signa petere nuper conati sunt. Quae ars cum esset a Britanno homine Campbellio incohata, doctissimis a viris, e quibus nomino Lutoslawskium[2]) studiosissime omnium, ut opinor, rem amplexum, summa industria et subtilitate exculta est. Nec tamen tantam ei nec tam certam, quam illi voluerunt, fidem tribuendam esse cum alii docuerunt tum iterum ac denuo probare Zeller studuit.[3]) Zellerum quidem nimis diffidere existimo; sed etiam in eis, qui favent illi arti, sunt qui, etsi Platonicorum librorum genera quaedam dignosci ea optime posse contendunt, valere eam negent ad singulorum dialogorum tempora certo definienda.[4]) Atque Natorp, qui in eadem arte emendanda magnam operam consumpsit[5]), relicta denique ea in libro novissime edito[6]) eum Platonis librorum ordinem se retinere profitetur[7]), quem collegerit maxime ex indiciis rerum. In quibus

1) Cf. Gomperzium, Zs. f. Philos. u. philos. Kritik v. 109 pp. 164. 175.

2) W. Lutoslawski cum alias de hac re commentationes tum librum edidit, cui inscribitur: The origin and growth of Plato's Logic, London 1897.

3) Sitzungsber. d. Kgl. Pr. Ak. d. W. 1887 p. 218; Philos. d. Gr. II, 1[4] p. 512 ss.; Arch. f. Gesch. d. Philos. II, 676 ss.; IV, 133 s.; X, 593 ss.; XI, 1 ss.

4) Cf. Const. Ritterum, Neue Jbb. f. d. klass. Altert. XI, 1903 p. 241 ss., 313 ss.

5) Cf. Arch. f. Gesch. d. Ph. XI, 461 ss.; XII, 1 ss., 159 ss.; XIII, 1 ss.

6) Platos Ideenlehre. Eine Einführung in den Idealismus. Leipzig 1903. 7) Ib. p. V.

ego quoque maiorem vim inesse mihi persuasi quam in ratione verborum, quam tamen omnino neglegendam minime existimo. Quamvis autem multi doctique homines in illam rerum rationem inquisiverint, non tamen omnia adhuc videntur explorata, quibus possit certior opinio de singulorum librorum ordine constitui. Itaque etiam atque etiam Platonis opera censeo perlustranda; neque eum tantum modo, qui ex uno conspectu totam operum molem digerere conabitur, sed etiam, qui singulorum quorundam libellorum rationem explicabit, operae pretium arbitror facturum.

Itaque ut pro mea tenui infirmaque parte studia Platonica augerem, expediendam atque illustrandam mihi proposui eam necessitudinem, quae inter Phaedrum Platonis Symposiumque intercedit. Quos quidem dialogos artiore vinculo contineri nemo non videt, etiam si obiter perlegerit; neque desunt, qui de singularum rerum non nullarum ratione diligentissime et optime disputaverint; sed nondum quisquam exstitit, qui illorum librorum omnes tamquam angulos perscrutatus colligeret, quaecumque ad universam eorum rationem quam accuratissime plenissimeque potest explicandam valere viderentur. Id ipsum ego mihi proposui exsequendum neglecta tamen una, quam cum sit maximi laboris momenti minus habere censeo, ratione sermonis; ac fore spero, ut perfecto illo opere eam quae etiam nunc est controversiam disceptare possim, utrum Phaedrus Symposium excipiat an contra. Instituenda vero sic mihi videtur dissertatio, ut utriusque dialogi prius spectem ornatum poeticum, deinde doctrinam.

Pars I. De ratione poetica.

Cap. 1. De Phaedri persona.

Id ipsum notabile est, quod idem Phaedrus in duobus dialogis interest sermoni; namque easdem iterum inducere personas abhorrere a more Platonico videtur. At scimus esse quosdam Platonis dialogos, quibus eidem homines colloquium serentes repetuntur, Theaetetum, Sophistam, Politicum iterumque Timaeum et Critiam: horum utrique autem communi inter se consilio ita iuncti sunt, ut tamquam unius videantur operis partes esse. Servantur praeter hos duo libellorum paria Hippiae Alcibiadisque nominibus ornata, quibus eidem homines socii disputationis exhibentur; quae tamen ea de causa existimo nobis neglegenda esse, quod utrumque Alcibiadem maioremque qui dicitur Hippiam inter omnes fere viros doctos subditicium esse constat.[1]) Reliquos autem Platonis libros perlustrantes non invenimus eandem personam primas bis agentem partes. Id contra accidit, ut, qui in aliquo dialogo principem post Socratem locum obtinuerit, is in alio cum pluribus iterum inducatur. Ad hoc dialogorum genus pertinent Phaedrus et Symposium.

Non temere Plato compositurus eum dialogum, cui Phaedri nomen inscribitur, hanc ipsam sumpsit personam, sed quia aptissima ei videbatur esse ad id, quod sequebatur. Volebat enim oratoriam tractare artem; quare talem oportebat deligi Socratis sodalem, qualis illius rei non esset imperitus. Videtur igitur Phaedrus oratorum opera incredibile quantum admirari ac pie lectitasse[2]) nec non versatus esse in studio praeceptorum, quae profitebantur.[3]) Recitatione orationis cuiusdam, quam a Lysia modo

1) Alterutrum Hippiam Alcibiademque non esse a Platone conscriptos nescio an hac ipsa re firmetur, quod in eis dialogis, de quarum origine vere Platonica non licet dubitare — qui tamen satis multi sunt — diversas causas Platonem non videmus ad easdem personas rettulisse.

2) Cf. Phaedr. p. 227 s. 234 CE. 235 BD. 236 B. 237 A. 257 A. 264 BE. 266 CE. 268 A.

3) Ib. p. 234 C ss. 235. 259 E s. 261 B s. 266 C ss. 267 s. 269 C. 271 C. 272 C. 273 A.

acceptam summis laudibus effert, Socratem incitat, ut, quid ipse sentiat, explicet, qua re totius dialogi auctor exsistit. Omnino nullam praetermittit occasionem, quin vel ipse habeat orationem vel alios cogat ad dicendum.[1]) Itaque Socratem, qui Lysiam contendit non laudabiliter locutum esse, se negat prius dimissurum, quam eandem materiam quam Lysias et ipse tractaverit (p. 235 D ss.). Itemque postea, cum Socrates Amorem ipsius verbis nefarie laesum sua sponte se altera oratione placare velle promiserit, Phaedrus id se a Lysia impetraturum esse pollicetur, ut secutus Socratis exemplum novam scribat orationem (243 D). Ad eas autem orationes, quae priore Phaedri parte continentur, respicit omnis in altera parte de rhetoricis disputatio.

Quomodo igitur ex Phaedri ingenio eius dialogi, cui idem nomen inscribitur, et actio pendeat et materia, satis mihi demonstrasse videor. In Symposio, de quo nunc dicturus sum, Phaedrus non solus colloquitur cum Socrate, sed unus est inter complures sodales; nec, quas ipse edit sententias, gravitate ulla excellunt. Tamen partes ei a Platone quam maxime insignes datae sunt: ut enim in Phaedro dialogo ita in Symposio ab immodica eius movendi orationes cupiditate sermo ducit originem. Namque Eryximachus oratorium certamen proponens recurrit ad Phaedrum, quem, quotiescumque cum eo congrediatur, iterum iterumque dicit vehementissime indignari, quod Amor a nullo etiam digne laudatus sit (176 E s.), eumque expressis verbis *πατέρα τοῦ λόγου* appellat (177 D).[2]) Nec Phaedrus ideo minus auctor sermonis putandus est, quod non ipse certamen quaestionemque proponit; immo Platonem, quo evidentius illud Phaedri studium ostendat, hoc artificio usum esse existimo. Vix enim Phaedrus ipsius verbis, quantum sua interesset Amorem laudari, tam graviter potuit exprimere quam Eryximachus expressit paucis suis verbis.[3])

Iam nobis quaerendum est, qua re commotus Plato sermonis in Symposio instituendi Phaedrum tam notabiliter finxerit auctorem.

1) Cf. Phaedr. p. 228 A—C. 235 D ss., praecipue p. 236 D E. 242 A B. 243 B D E. 272 C. 276 E.

2) Phaedrum tamquam parentem colloquii esse Plato saepius nos admonet, cum singulos sodales illum facit appellantes. Cf. p. 180 C. 185 C. 197 C E. 199 B s. 212 B C. P. 194 D. Phaedrus Agathonem, quocum Socrates colloquium serere incipit, hortatur, ut, quo modo constitutum sit, orationem habeat.

3) Eryximachus sic orditur: . . . *οὐ γὰρ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλὰ Φαίδρου τοῦδε, ὃν μέλλω λέγειν.* 177 A.

Nec enim eius rei necesse erat causam afferri, quod orationes habentur, quia id oblectamenti genus quam maxime in conviviis erat usitatum. Quamvis igitur apte Phaedri ille dicendi audiendique furor tamquam fons fiat colloquii, tamen alia potius de causa Phaedrum in Symposium inductum esse conicio. Teneamus oportet Phaedrum rem quoque proposuisse, de qua disputaretur, scilicet Amorem. Quid, quaeso, spectans Plato ex eis, quos omnes videmus maxime Amori deditos, Pausaniam, Agathonem, Aristophanem dico, potissimum elegisse Phaedrum putandus est, cui illas daret partes? Quem ne maiorem quidem ceteris depinxit amatorem? Multo hercule maius in Phaedro artis oratoriae quam amoris studium est; neque tam mihi Amorem laudari quam orationes haberi interesse eius videtur. Dicta enim ea oratione, qua quid ipse sentiret de amore exposuit, non amplius quaerit vim amoris; id unum agit studiosissime, ne quis debitam sibi orationem recuset. Eadem in Phaedro dialogo res est; nec enim propter id videtur maxime Lysiacam orationem Phaedrus amplexari, quod est de amore, sed quia propositum abhorret a probabilitate. Amatoriam vero orationem se non ad Phaedri, sed ad Socratis ingenium sumpsisse aptam Plato docet ipse, siquidem recte haec interpretor verba Phaedri (227 C): *καὶ μήν, ὦ Σώκρατες, προσήκουσά γέ σοι ἡ ἀκοή. ὁ γάρ τοι λόγος ἦν, περὶ ὃν διετρίβομεν, οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον ἐρωτικός.* Progrediente autem colloquio duobus tantummodo locis indicatur Phaedrum amatorium esse hominem, p. 257 B: *ἵνα καὶ ὁ ἐραστὴς ὅδε αὐτοῦ* (scil. Phaedrus) *μηκέτι ἐπαμφοτερίζῃ καθάπερ νῦν, ἀλλ' ἁπλῶς πρὸς Ἔρωτα μετὰ φιλοσόφων λόγων τὸν βίον ποιῆται* et p. 265 C: *τὸν ἐμόν τε καὶ σὸν δεσπότην Ἔρωτα, ὦ Φαῖδρε.* At nemo erat illa aetate, quin esset amator. Vera igitur causa, cur Plato sermonis in Symposio Phaedrum parentem praedicaverit, haec mihi videtur esse: rediens ad eas cogitationes, quas in Phaedro dialogo instituerat, eundem quoque auctorem colloquii reduxit. Quod si recte iudicamus, hac ipsa re Symposium post Phaedrum scriptum esse significatur, cuius sententiae, quamquam omnium fere communis est, gravissimi tamen non nulli adversarii exstiterunt.[1])

Simillimas Phaedrum in utroque dialogo partes suscepisse satis demonstravimus; nunc imaginem eius docebimus eisdem utrimque coloribus depictam esse. Quam exprimere accuratissime

1) Cf. G. Teichmüller, Lit. Fehden im 4. Jh. v. Chr., Breslau 1881 p. 118 s. Fr. Blass, Die Rhythmen d. att. Kunstprosa, Leipz. 1901 p. 81.

per poeticam licebat libellorum rationem. Atque amplior describendis Phaedri moribus in Phaedro dialogo locus datur; in Symposio, quia plures accedunt homines, coërcere Plato abundantiam rerum singularum debebat. Tamen omnia fere, quae Phaedri maxime propria esse in Phaedro dicuntur, in Symposio quoque commemorantur. Iam initio utriusque dialogi Phaedrus non satis firma valetudine fingitur praeditus: in Phaedro (227 A) eum, postquam matutinis Lysiae scholis interfuit, defatigatum videmus ambulantem atque eas maxime vias requirentem, quas plurimum ad recreandum animum corpusque conferre medicus professus est; in Symposio (176 C) ab Eryximacho nominatur in eis, qui non pollent potando, et postea quam multorum comissatorum adventu omnia strepitus plena facta sunt inter primos domum discedit (223 B). Nescio an hanc ipsam ob animi mollitiem Phaedri p. 244 A per facetum lusum Myrrhinusius vocetur;[1]) eandem Plato mollitiem Symposii quoque p. 176 D apposito eodem verbo videtur perstrinxisse.[2]) Ut autem Phaedrus valetudinis suae immodice curiosus est, ita se religiosissime ad medicorum praecepta applicat; quam rem primis quae in utroque dialogo edit verbis (Ph. 227 A. S. 176 D) ipse profitetur. Non abhorret ab hoc ingenio, quod intimum sibi potissimum medicum conciliavit Eryximachum, cuius patre quoque Acumeno item medico familiariter utitur (cf. Ph. 227 A. 268 A.). Illa cum Eryximacho amicitia, quae in Phaedro semel tantum ac breviter, saepissime in Symposio respicitur, non ficta esse a Platone videtur; nam in Protagora quoque Platonico (315 C) Phaedrus una cum Eryximacho inter Hippiae sectatores commemoratur.

Quae maxime ad studia Phaedrus animum adiunxerit, iam supra significavi, quia partes, quas agit in utroque dialogo, inde declarantur. Ac primum summa in eo inest cuiuscumque cupiditas doctrinae, quam et librorum lectione et disciplina et colloquiis arripere conatur. At homo quidam levior est nec satis acutus, ut *φιλόμουσος* a Socrate (Ph. 259 B) per irrisionem magis appellari videatur. Trivisse se cum poetarum tum sophistarum rhetorumque libros in Phaedro dialogo saepissime ostentat; in Symposio eiusdem rei testes sunt verba eius ab Eryximacho relata et ipsius laudatio Amoris. Dialectica quoque Socratis ratione

1) Cf. Fr. Ast, Platons Leben u. Schr., Leipz. 1816 p. 104. G. Stallbaum in ed. Phaedri ad p. 244 A.

2) Cf. G. F. Rettig, Platons Symposion, Halle 1876 v. 2 p. 7 ann. 1.

quantopere oblectetur, Symp. p. 194 D (ἐγὼ δὲ ἡδέως μὲν ἀκούω Σωκράτους διαλεγομένου) ipse exprimit; apparet idem ex Phaedri p. 242 A, qua praetextum requirit, quo Socratem ad instituendum colloquium incitet.[1])

Egregiam videtur operam ad rhetoricam contulisse, quamquam eius vim eum percepisse neque eis, quae profert in Phaedro, nec oratione in Symposio habita probatur. De amore quid sentiat ipse, in Phaedro non explicat. Sed delectatur oratiuncula Lysiae. Non tamen assentiri ideo putandus est. Quamquam idem quin ei sit visum, quod omnibus tum placuit, dubitandum non est. Sophistarum denique illum morem, quo explicare fabulas ratione solebant, Phaedrus quoque cum voluptate sequebatur. Ad hanc rem Plato Phaedri p. 229 B ss. respicit, quo Socraticam gravitatem et dignitatem magis ostentet. Phaedrus autem, quo modo sophistarum ratione illigatus sit, sua in Symposio docet oratione, qua fabulas ad suum arbitrium immutat et interpretatur.

Docuisse mibi videor, quaecumque Phaedri in Symposio dicuntur propria esse, eadem respici in Phaedro quoque dialogo. Unde necesse est colligere eandem Phaedri imaginem in componendo dialogo utroque Platonis esse animo obversatam. Qua re eisdem fere temporibus opera illa conscripta esse nequaquam probatur; id vero videtur manifestum esse Platonem, cum accederet ad posterius, rationem prioris quam diligentissime habuisse. Posterius autem Symposium ea de causa censui (p. 7) esse, quod, cur partes Phaedro in eo tam insignes datae sint, facilius intellegitur ab illo, qui ante cognoverit Phaedrum dialogum, contra in hoc nihil est, quod non satis per se intellegi possit.

Cap. 2. De Socratis persona.

Praeter Phaedrum in utroque dialogo Socrates quoque inducitur, qui etsi non proposuit res, quae tractentur, tamen summa sententiarum auctoritate est. De hac re non licet mirari; nam principem philosophiae locum in plurimis Platonis dialogis Socrates tenet. Nec porro mirum est, quod in universum Plato Socratis imaginem ubique eandem pingit: ipsum enim Socratem qualis fuerat imitatur; singula autem ad propria singulorum librorum proposita accommodavit. Salvis his rebus certo quodam per tempora modo mutari rationem, qua Plato Socratis persona utatur, demonstrari potest; regulam vero, qua accurate iudicemus de singulorum libro-

1) Cf. etiam Phaedr. p. 258 E.

rum temporibus, ex mutatione illa petere non licet. Illud constat Platonem dialogis eis, quos primos eum composuisse omnes fere consentiunt, veriorem effinxisse imaginem Socratis et diligentius expressisse eius sententias. Sed quo plures anni post Socratis mortem praeteribant, eo effigies eius Platonis obversata animo clarior facta ac talis conformata est, qualem cum in aliis dialogis tum in Symposio et Phaedone descriptam admiramur. Simul philosophiam quoque Socraticam Plato excoluit; coepitque non iam suo tantum more philosophantem Socratem facere, sed, quae ipsi placebant, pronuntiantem. Longius deinde a Socraticis cogitationibus progressus veritate magis magisque neglecta imaginem Socratis colore mutabat; retinebat tamen personam quam poterat diutissime; ex novissimo demum opere suo, quas esse Leges constat, Socratem removit.[1])

Temporibus igitur aliis aliter Plato Socratis personam tractavit. Nunc quid dicendum est de Phaedro et Symposio? Eademne videntur ad tempora hi referendi esse dialogi? Eademne ratione Plato vel simili quidem in utroque usus est?

Sed de ratione ista generali postea. Nunc videamus, num qua sit forte artior cognatio inter utrumque dialogum. Nonnullis enim rebus et in Phaedro et in Symposio prorsus idem Socrates describitur. At illud nihil valet; nam scimus Platonem hominum, quos in scenam produxit, eos maxime mores expressisse, qui optime quadrarent ad res, quas sibi tractandas proposuisset. Itaque cum similia utroque sequatur dialogo, non esse mirum videtur, quod similiter finxit principem utriusque colloquii sodalem Socratem. Praecipue vero in declaranda arte dicendi Phaedrus dialogus vertitur: quare Socratis maxime orationum cupiditas ostentatur[2]) — id autem agit Plato potissimum in Phaedro, ut novam explicet perfectamque artem dicendi, quam esse non posse censet sine cognitione veri nec sine amore, quo ducamur ad illam: non igitur inepte Socrates amator depingitur.[3]) Symposio amorem Plato definire sibi et illustrare proposuit: Amoris Socrates studiosissimus fingitur sectator[4]) — amorem Plato dialecticae auctorem pronuntiat: divina describitur Socratis vis dicendi[5]). Hac videlicet duplici ra-

1) Cf. Natorp, Unters. üb. Platos Phaedr. u. Theaet., Arch. f. G. d. Ph. XII p. 163. 2) Phaedr. p. 228 B C. 230 D. 236 E.
3) Ib. 227 C. 257 A. 265 C; cf. 242 B ss.
4) Symp. 177 D. 193 E. 194 D. 198 C. 201 D. 206 B. 207 A. C. 212 B. 213 C. 216 D. 222 B. 223 A. 5) Ib. 213 E. 215 C. D. 194 D. 221 D.

tione isti maxime dialogi inter se consentiunt in Socrate pingendo; singularum rerum non est talis consensus, ut alter videatur alterum respicere. At sunt certe quaedam in utroque dialogo aeque commemorata: ut nudis Socratem consuesse pedibus incedere Phaedr. p. 229 A et Symp. p. 174 A. 220 B, summo studio atque inaudita pertinacia in cogitationem et cognitionem incumbere Phaedr. p. 259 A et Symp. p. 175 A. 220 C, precationes adiungere peractis operibus Phaedr. p. 279 B et Symp. p. 220 D docetur. Contra dignus qui notetur verborum consensus non occurrit.

Non igitur prorsus eadem est in utroque dialogo descriptio Socraticae naturae, sed simili in universum ratione instituta: exhibetur enim tam diligenter ac splendide expressa Socratis imago, ut eam nobis quasi oculis cernere videamur. Quare scripsisse Plato utrumque libellum ea aetate putandus est, qua ei integra erat memoria Socratis; est autem id quoque ambobus commune, quod ad effingendam illius imaginem quam maxime Plato poetico suo ingenio indulsit. Quae cum ita sint, Phaedrum et Symposium non esse numeranda in novissimis Platonis dialogis plane apparet. At contra Symposium quidem non ita brevi post mortem Socratis compositum esse ea de causa censeo, quod tam illustris Socratis imago, qualem excepto Phaedone apud Platonem non invenimus, nescio an non nisi aliquanto temporis spatio praetermisso conformari potuerit; Phaedrum concedo non itidem perfectam exhibere.

Sed haec hactenus; nunc spectemus praecepta, quae utroque Socrates dialogo profitetur; neque illud neglegamus, quo modo ea profiteatur. Quae pertinere vidimus ad amorem maxime et ad rhetoricam. Non potest dubitari, quin ea qua Plato utitur ratione nec tractaverit umquam illas Socrates res nec omnino potuerit tractare: Platonica sunt, quae istis dialogis pronuntiantur, non Socratica.[1]) In hac igitur re quae fingitur Socratis persona ab ipso homine, qualis re vera fuit, abhorret; sed studet Plato omni modo redire ad veritatem animosque legentium avocare ab illa discrepantia. Illud constare videtur Platonem, ut quaereret de amore,

1) Cf. Natorp, Arch. f. Gesch. d. Philos. XII, 164: Der Phaedr. geht vielleicht am weitesten in der Skrupellosigkeit, mit der dem Sokrates Dinge in den Mund gelegt werden, die in vollem Widerspruch mit seinem historischen Charakter stehn. Repetit eandem sententiam atque explicat in libro qui inscribitur Platos Ideenlehre p. 55.

eo commotum esse, quod Socrates, cum adiret adulescentes, amatorum quodammodo mores imitabatur ac — non sine irrisione — se amatorem ipse dicebat.[1]) Num Socrates umquam serio et dedita opera de amore cogitaverit nescimus; sententiam expositam a Platone, qui ad species sive ideas recurrit, a philosophia Socratica prorsus alienam esse apparet. Nunc id notabile est, quod Plato, qui suas cogitationes Socrati alias simpliciter solet attribuere, istis dialogis quam diligentissime operam dat, ut ille sine ullo suo periculo dicere videatur. Ita se in Symposio Socrates simulat a femina quadam Mantineensi Diotima amatoriam artem doctum laudatione sua Amoris nil referre nisi colloquia, quae cum illa habuerit.[2]) Accedit, quod quam potest saepissime disciplina illa incredibile quantum indocilem se dicit fuisse, quo magis, qui eum audiant, omnino nihil ab ipso inventum esse sibi persuadeant.[3]) In Phaedro Socrates orationem eam, qua quae Platoni de amore placebant explicantur, Stesichorum Himeraeum poetam habentem fingit. Quod nomen sumpsit duplici causa: primum enim ludit in significatione verborum similiter atque in Symposio Diotimae Mantineensis nomine per facetiam uti videtur; deinde retractationem suam compositurus hac ipsa re Stesichori se monet exemplum sequi, qui eadem ratione laesam Helenam mitigaverat. Stesichoro inducto simul indicat se, quae pronuntiet, non ipsum excogitasse. Expressis autem verbis omnino nihil se scire ab ipso cognitum iam ante contendit. Nam cum laudaverit Phaedrus Lysiae orationem, haud leviora se dicit quam quae ille ediderit animo agitare non tamen a se reperta, sed ab aliis viris feminisque priscis atque sapientibus accepta; nec enim se nescire ipsius inscientiam. Interrogatus a Phaedro, quinam illi fuerint homines prisci, dubitare se utrum Sapphonem dicat an Anacreontem an alium quem scriptorem respondet. Nunc quae sunt meliora illa, quibus moveri se Socrates praedicat? Siquidem ordinem sententiarum verborumque sequimur, dubitari nequit, quin sint ea intellegenda, quae coactus a Phaedro priore sua oratione expedit[4]). His igitur rebus, quae ab impudicitia et pravitate Lysiacae oratiunculae minime discrepant, tam vehementer

1) Cf. Plat. Phaedr., Symp., Lys. p. 204 B. 205 E. 211 E., Xen. Mem. II, 6, 28. IV, 1, 2. Symp. VIII, 2, 24.

2) Cf. quae dicit Natorp, Arch. f. G. d. Ph. XII, 164.

3) Cf. Symp. p. 201 D E. 204 A—D. 206 B. 207 A C. 208 B. 209 E s.

4) Cf. Phaedr. 236 C: *ἐντεῦθεν οὐκ ἄπιμεν, πρὶν ἂν σὺ εἴπῃς ἃ ἔφησθα ἐν τῷ στήθει ἔχειν.*

commovetur? Has existimat ad gravissimos illos auctores referendas esse? Fateor me dubitare. Nec enim profecto impudicitiam, sed verum amorem ardoremque, quem quidem reprobat Lysias, Sappho et Anacreon celebraverant. Itaque Socrates, cum meliora se contra Lysiam dicenda habere profitetur, maxime videtur de eis cogitare, quae posteriore sua oratione expositurus est. Sed haec satis est adnotasse; Platonem vero, cum Socratem quidquam se scire tam strenue negantem faceret, optime probatur sensisse, quam immodice abuteretur illius persona. Id igitur — ut colligam, quae explanavi — tenendum est primum: praecepta ea, quae explicantur Phaedro et Symposio, a vero Socrate prorsus abhorrere; alterum: sensisse istuc Platonem maximeque enixum esse, ut probabilem efficiat illam discrepantiam.[1]) Ceterum eadem Plato ratione et in Menone (cf. p. 81 A) et in Phaedone (cf. p. 61) usus est. Reliquis autem dialogis, quibus mera Platonica exhibentur, haec sine ulla exceptione Socrates fingitur pronuntians; quare haud absurdum videtur concludere istos libellos huius generis primos atque scriptos esse ea aetate, qua Plato licentia illa vitiare se Socratis memoriam penitus sentiret.

Deinde Phaedrus Symposiumque ea quoque re et inter se consentiunt et a plerisque ceteris Platonis operibus discrepant, quod, cum Socrates fingatur orationes habens, alia eum inducunt dicendi ratione utentem atque qua maxime videtur usus esse. At tamen Phaedri ratio a Symposio aliquid differt. In Symposio enim orationis usitato more faciendae in locum relata substituuntur colloquia; Phaedri contra dialogi universa ratio veras orationes a Socrate habendas postulat, atque iterum Plato, quam licenter utatur illius persona, haud ignorare se docet. Namque divino eum spiritu inflatum facit: eloquentiae eius inauditae auctores dicit Nymphas (cf. p. 238 C D. 241 E. 262 D. 263 D); Socratem vero de se ipsum haec fingit edentem: *οὐ γάρ που ἔγωγε τέχνης τινὸς τοῦ λέγειν μέτοχος.*[2]) Quod ut ita faceret, sine dubio commotus est eadem causa, quam supra demonstravimus: tantum se tunc primum

1) Similiter iudicat P. Natorp, Arch. f. Gesch. d. Philos. XII p. 164: Aber auch . . . schon die Übernahme der Hauptrolle durch Diotima in der Sokratesrede des Gastmahls ist sicher in gleichem Sinne zu beurteilen, so nämlich, daß Plato Bedenken trug, den völlig dogmatischen Ausbau wenigstens seiner theoretischen Philosophie länger dem Sokrates in den Mund zu legen, nachdem er sich tatsächlich sehr weit von diesem entfernt hatte.

2) Cf. etiam Phaedr. p. 234 D.

deflectere sentiebat a veritate, ut fieri non posse existimaret, quin, quod sumpsisset sibi illud, excusaret.[1])

Non igitur eo consentiunt inter se isti dialogi, quod prorsus eandem exhibeant Socratis personam; sed eadem utriusque est ratio discedendi a veritate, idem studium probabilem reddendi huius operis novitatem, eadem hominum ac rerum descriptio cum summa perspicuitate facta. Quibus censeo rebus significari utrumque libellum ad mediam pertinere Platonis aetatem.

Cap. 3. De fictis utriusque dialogi temporibus.

Iam respicienti et partium, quas in utroque dialogo Phaedrus agit, et rerum, quae tractantur, similitudinem nescio an eveniat, ut suspicetur pariter ac Theaeteto Sophistam Politicumque Phaedro Symposium quoque adiungi et continuari vel contra. Non tamen ita est. Convivium a Platone perscriptum anno a. Chr. n. 416, quo prima sua tragoedia Agatho vicit, fuisse fingitur; colloquium cum Phaedro habitum referendum videtur ad extremos quinti saeculi annos, quibus Lysias, postquam rediit ex Italia, summam gloriam adeptus est. Nunc si Plato Phaedrum scripsisset post Symposium, mirum esset profecto, quod tanta inter utrumque dialogum necessitudine rerum in Phaedro, cum sermonis auctorem eundem hominem atque in Symposio sumpsisset, praeter hoc ne minime quidem respexit ad illud; certe non potuit sic Phaedrum depingere, ut disputatione in Symposio facta omnino nihil didicisse videretur. Neque fuisset alienum etiam longiore temporis spatio interiecto libelli pridem editi memoriam repetere; nam ne Sophistes quidem continuo videtur Theaetetum secutus esse. Sin vero post Phaedrum Plato Symposium composuit, hoc respicere ad illum non licuisse apparet, ne ea, quae erat, ordinis perturbatio augeretur. Quis autem, quaeso, postulaverit a Platone, ut, quo iusta omnibus rebus temporum ratio fieret, aliam fingeret scenam quam quae nescio quibus gravioribus de causis aptissima ei videretur? Nec enim omnino Platonem tempora, quibus dialogos suos haberi finxit,

1) Überweg, Unters. üb. d. Echth. u. Zeitf. Plat. Schr. p. 252 dicit haec: „Phaedrus wundert sich im Phaedr. über die ungewohnte εὔροια beim Sokrates; wäre das Symp. dem Phaedr. vorausgegangen, so wäre wohl irgendwie an dasselbe erinnert worden.“ Quod argumentum e silentio ductum haud ita mihi certum videtur; atqui simillimum veri est Platonem in Phaedro non tam studiose ostentaturum fuisse Socratis eloquentiam tamquam quidquam inauditi, si ante composuisset Symposium.

accommodasse ad rationem, qua philosophia eius progrederetur, inter omnes nunc constat; atque Munkii sententia, qui Platonem crescente Socratis aetate denotasse ordinem librorum suorum existimavit, iam pridem explosa est.

Liceat mihi hoc loco opiniones eorum afferre, qui altero dialogo manifesto ad alterum respici voluerunt. Atque Phaedrum significari Ast[1]) existimavit eis verbis, quae Pausanias edit Symp. p. 182 A: *οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ καὶ τὸ ὄνειδος πεποιηκότες ὥστε τινὰς τολμᾶν λέγειν ὡς αἰσχρὸν χαρίζεσθαι ἐρασταῖς.* Atqui haec verba: *ὡς αἰσχρὸν χαρίζεσθαι ἐρασταῖς*, quibus omnes fere patres Athenis filios monuisse putandi sunt, tam mihi videntur communia esse, ut ea ad Lysiacam orationem casu magis quodammodo quadrare quam consilio conformata esse censeam.

Contra in Phaedro aperte respici ad Symposium Blass[2]) nuper contendit; quod si esset probatum, dubitare non liceret, quin Phaedrus scriptus esset post Symposium. Videamus igitur, quo modo res se habeat. Phaedr. p. 242 A-B Socrates haec dicit ad Phaedrum: *οἶμαι γὰρ ἐγὼ τῶν ἐπὶ τοῦ σοῦ βίου γεγονότων μηδένα πλείους* (sc. *λόγους*) *ἢ σὲ πεποιηκέναι γεγενῆσθαι, ἤτοι αὐτὸν λέγοντα ἢ ἄλλους ἑνί γέ τῳ τρόπῳ προσαναγκάζοντα.* Quae non posse intellegi Blass censet nisi ab eis, qui legerint Symposium. Significantius ea concedo visum iri dicta eis, qui Symposium ante cognoverint; sed perperam eum arbitror iudicare profecto, qui, nisi hoc antecesserit, omnino non posse intellegi illa asseveret. Iam supra denotavimus eum, de quo nunc agitur, locum; nam talis eo Phaedrus describitur, qualis in Symposio quoque videtur esse. Sed illa Phaedri cupiditas vel habendi orationes vel eliciendi ab aliis ipso Phaedro dialogo ita illustratur, ut, cur respiciamus ad Symposium, non intellegam.[3])

1) Platons Leben u. Schriften, Leipz. 1816 p. 311. Astii sententiam secutus est Stallbaum, Proll. ad Symp. LXV.

2) Die Rhythmen d. att. Kunstprosa, Leipz. 1901, p. 81.

3) Si quidem Blassii rationem sequeremur, non dubito, quin saepius in Phaedro respici ad Symposium demonstrare possemus. Veniunt mihi in mentem haec Phaedri verba (Ph. 227 C), quae exempli gratia affero: *καὶ μήν, ὦ Σώκρατες, προσήκουσά γέ σοι ἡ ἀκοή. ὁ γάρ τοι λόγος ἦν, περὶ ὃν διετρίβομεν, οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον ἐρωτικός.* Nonne haec graviora ei videntur, cuius animo Symposium obversatur, praesertim cum amori Socratem deditum esse usque eo nondum commemoratum sit? Nec vero multis huius generis locis, quibus quis respici ad Symposium suspicari possit, nisi id necesse esse demonstraverit, illud ante Phaedrum scriptum esse probabit.

Cap. 4. De sermonis ratione.

Singulis igitur quibusdam in rebus, quae tamquam elementa componendorum librorum nescio an liceat appellare, haud mediocriter vidimus Convivium cum Phaedro consentire; reliquum est, ut de ipsa compositione quaeramus. Omnes autem Platonis libros excepta una Apologia nemo nescit colloquia exhibere. Iam quaeritur primum, utrum eadem Plato an diversa ratione usus sit in instituendo utriusque istius libelli colloquio. Sunt autem duo genera Platonicorum dialogorum etiam a veteribus distincta, primum dramaticorum, quos dicebant, alterum diegematicorum[1]); unde recentiores quidam signa petiverunt, quibus ordinem eorum restituere conarentur.[2]) Atque Teichmueller a Theaet. p. 143 C, qua diegematici quantam dialogi molestiam haberent Plato demonstravit, profectus[3]) temere conclusit duas esse Platonis aetates, quarum priore scripsisset diegematicos dialogos, posteriore dramaticos; posterioris autem aetatis primum compositum esse Theaetetum. Ex eis, de quibus nunc agitur, dialogis Phaedrus simpliciter dramaticus est, Symposium narratur; quare hoc Teichmueller priori, posteriori illum tribuit aetati. Nunc vero iam pridem videtur exploratum, cuius re vera sit momenti illud iudicium in Theaeteto factum a Platone. Namque doceri eo exposuit Zeller[4]) iam prius Platonem, quam accederet ad scribendum Theaetetum, sensisse, quantae essent difficultates in relatione colloquiorum; post scriptum autem Theaetetum Platonem non repetivisse genus diegematicum nisi qua potiore causa commotum[5]) Hirzel[6]) censuit veri simillimum

1) Quae vocabula utique apta esse negavit R. Hirzel, Der Dialog, Leipz. 1895 vol. I p. 212.

2) Qui de hac re se velit accuratius institui, is hos oportet libros inspiciat: G. Teichmueller, Üb. d. Reihenfolge d. Plat. Dial., Leipz. 1879; R. Hirzel, D. Dialog, Leipz. 1895 I 212 ss; P. Natorp in Arch. f. Gesch. d. Philos. XII 159 s.; O. Immisch, Neue Jahrbb. f. d. klass. Alt. III 1899, 617 ss.

3) Cf. quae Zeller, D. Philos. d. Gr. II⁴ 1, Leipz. 1889, p. 505 s. et annot. exposuit. Is de eadem re iam ante memorat cogitavisse Schleiermacherum Steinhartum Susemihlium, sed diversam Teichmuellerianae edidisse sententiam.

4) Philos. d. Gr. II⁴ 1, 510.

5) Narrare dialogos, ut aequalitas quaedam compositionis et similis tenor orationis efficeretur, Platonem voluisse H. Schoene (Platons unvollendete Tetralogieen. Als Manuskript gedruckt. Berlin 1900 p. 26 ss.) patris R. Schoene sententiam secutus probabiliter exposuit.

6) D. Dialog I, 213 annot. 1.

esse. Certi igitur nihil inde, quod vel dramatica vel diegematica ratione Plato usus est, de temporibus dialogorum conici potest.[1]) Ex compositione dialogorum ordinem intellegi posse Immisch quoque existimat sententiamque suam nuper exposuit ea quam supra laudavimus dissertatione; sed aliam atque Teichmueller viam ingressus est: a simplicissimo enim genere colloquiorum ascendisse autumat Platonem ad artificiosiora. Non prorsus carent probabilitate, quae profert, sed magis pendent ex mera coniectura, quam ut debeamus eis utique fidem habere. Censet autem Phaedrum, quoniam duo tantum in eo homines sermocinantes inducuntur, quo nullum certe simplicius potest colloquiorum genus inveniri, in vetustissimis esse Platonis operibus. Plurimum autem valere ad intellegendum, qua ratione Plato dialogos suos instituerit, existimat ea, quae sunt librorum de re publica p. 392 D ss. His enim Plato duo distinguit genera dictionis (λέξεως), unam simplicem narrationem (ἁπλῆν διήγησιν), alteram imitationem (μίμησιν), quaeritque, utrum eis sit locus necne in ea quae fingitur perfecta civitate; optimum denique atque unum probabile mixtum quoddam censet genus esse, cuius sit potior pars narratio (p. 396 E). Ad hanc tamquam regulam ipsum Platonem si non omni reliquo tempore, at certe aliquamdiu scribenda sua opera dirigere debuisse Immisch arbitratus eam Platonicorum librorum digestionem, quaecumque repugnet illi placito, etiamsi omnibus ceteris rebus optime quadrare videatur, tamen strenue negat comprobari posse (l. l. p. 621). Maximum igitur momentum tribuit eis, quae de optimo genere dictionis Platonem exposuisse modo docuimus. Eadem in verba Platonis cum multo iam ante Immischium Rich. Schoene[2]) virorum doctorum animos convertisset, accuratius Zeller[3]) inquisivit, cui solam ea poësin dramaticam epicam lyricam respicere nec pertinere videbantur ad id genus librorum, quo exponerentur philosophorum praecepta: hoc enim non tam in imitatione rerum hominumque quam in explicatione sententiarum versari. Contra Immisch omnino non potuisse fieri contendit, quin Plato in componendis suis libris respiceret ea, quae commemorato illo Reipublicae loco de optima scribendi ratione decrevisset. Iam quid nos de hac re iudicemus? Illud quidem concedendum Zellero est Platoni, cum de generibus dictionis dissereret, potissimum obversatam esse poëticam; nam et

1) Cf. Natorp. l. l. p. 160.
2) Üb. Plat. Protag., Leipz. 1862 p. 9 ss.
3) Philos. d. Gr. II⁴ 1 p. 509 ann. 5.

totus ille locus, quo haec continentur, de poëtica est et exempla, quibus Plato utitur, omnia repetuntur ab arte dramatica epica lyrica; expressis denique verbis poëtae ac poësis significantur p. 392 D (*ἆῤ οὐ πάντα, ὅσα ὑπὸ μυθολόγων ἢ ποιητῶν λέγεται, διήγησις οὖσα τυγχάνει . . .*) et p. 394 B (*τῆς ποιήσεώς τε καὶ μυθολογίας ἡ μὲν διὰ μιμήσεως ὅλη ἐστίν . . . ἡ δὲ δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ . . .*). Non tamen videtur dubitari posse, quin Plato verba sua ad omne genus dicendi voluerit pertinere; nam extrema parte eius, de qua agitur, disputationis non solum poëtas appellat sed omnes, quicumque aliquid pronuntiant (de Rep. p. 397 C).[1]) Quare licet sane ea, quae Plato praecepit, etiam ad id genus scribendi adhibere, quo usus ipse est. Nam ne illud quidem Zelleri ferre possumus, quod Platonem id negat agere, ut ingenia moresque hominum imitetur. Potissimum certe Plato sibi proposuerat philosophiam suam explicare; quis vero imitatione eum negaverit usum esse, ut quasi nudae illi vestimentum indueret atque ornatum? Quin etiam ipsum sibi poëtam haud ita malum visum esse ac dialogos suos in numerum poëticorum quodammodo operum rettulisse existimo. Itaque Plato praecepta sua si voluisset in universum valere, quin ipse debuerit in primis tueri, meo quidem iudicio non potest dubitari. Nec vero in universum videtur illa dedisse, sed ut a perfectae rei publicae civibus respicerentur. Tamen id, quod optimum esse cognoverat, Plato, quo erat ingenio, et ipse, si quidem fieri posset, sequi voluisse existimandus est. Atque illud maxime observavit, ut serio bonorum tantum modo hominum dicta et facta, turpium non nisi *παιδιᾶς χάριν* imitaretur (cf. Reip. p. 396 C D). Cetera autem neglexit. Primum enim nullum Platonis librum invenimus imitationis simplicisque narrationis ita participem, ut rara ac tenuis sit in multa oratione imitatio (ib. p. 396 E). Nec deinde Plato in ullo suo libro narratoris munere ipse fungitur (ib. p. 394 C). Quod si essent aliqua Platonis opera ad praecepta, quae in Republica explicantur, accurate directa, haec ipsa pendere ab illa post eamque scripta esse liceret suspicari. Nunc ne unum quidem isto prorsus modo est institutum; quare laudatum illum Reipublicae locum ad cognoscenda Platonicorum librorum tempora ego nihil arbitror valere. At non eo, quod relatos

1) Eandem video sententiam ab Hermanno Schoene probatam laudante (l. c. p. 35) Reip. p. 394 C (*ἡ δ' αὖ δι' ἀμφοτέρων ἔν τε τῇ τῶν ἐπῶν ποιήσει, πολλαχοῦ δὲ καὶ ἄλλοθι, εἴ μου μανθάνεις*), quem locum me fateor fugisse.

finxit dialogos, Plato ad leges ab ipso praescriptas aliquo modo accommodare se voluisse putandus est? Eam quidem compositionis aequalitatem, quam praedicavit in Republica (p. 397 B), hac ipsa ratione videtur consecutus esse. Non sine specie veritatis est Platonem, cum, quid relatio posset, in Republica demonstrasset, illa post maluisse uti; nec tamen explorata ista res est. Quid vero? quod Platonem etiam ante, quam scriberet Rempublicam, diegematica ratione usum esse ipse Immisch concedit? Quo dato quanta tandem vis relinquitur in eo Reipublicae loco, quem ad cognoscenda tempora plurimum ille censuerat valere?

Id igitur tenendum existimo Phaedrum ad primam Platonis aetatem non ideo revocandum esse, quod rationem simpliciter dramaticam nec sermocinantium plures exhibeat duobus. Nec rursus extremis Platonis temporibus scriptus videtur aut Phaedrus aut Symposium; nondum enim in eis Plato ab integra colloquii ratione ad umbram quandam imaginemque eius atque ad perpetuam illam doctrinae suae explicationem delapsus est, quam esse notam novissimorum Platonis operum Natorp (l. l. p. 160) recte iudicavit.

Cap. 5. De orationibus.

Colloquiorum de ratione quae erant dicenda, iam mihi videor absolvisse. Amplissimus vero in Phaedro Symposioque locus orationibus datur; quarum quae sit ratio, nunc expediendum existimo. Oratorio genere tamquam vinculo quodam isti dialogi cum Apologia iunguntur et Menexeno; ad quae non potest facere quin respiciat, quicumque de illis disputaturus est. Iam vero Apologia ut, quoniam non est colloquium, ab omnium reliquorum Platonis operum ratione abhorret, sic etiam ab illis libris, quibuscum eam modo contulimus, quodam modo dissentit: non enim videtur dubium, quin Plato ea quam potuerit accuratissime defensionem ab ipso Socrate habitam imitari conatus sit; quare, quamquam ex ea quoque redoleat Platonis ingenium, tamen vacare eam existimo cogitationibus consiliisque proprie Platonicis; neque idem videtur agere Plato, quod tribus illis praedictis libellis, ut aut orationem condat rhetorica arte compositam et expolitam aut aemuletur eos, qui tum erant oratores. Similior Phaedro Symposioque Menexenus est: orationem enim habet insertam sermoni, ex quo, quid illa Plato voluerit effici, intellegere possimus. At id ipsum, quid Plato voluerit Menexeno effici, vel tam est incertum tamque obscurum vel tanto opere pugnat cum

eis, quae agere scimus Platonem solere, vel, ut ita dicam: quonam consilio istum Plato libellum scripserit, adeo non potest perspici, — quod in nullo accidit alio Platonis opere, — ut eum, etiamsi sit ab Aristotele in Rhetorica laudatus, non facile credamus Platonicum esse.[1]) Itaque si eos tantummodo spectamus Platonis libros, de quibus non licet dubitare, solis in Phaedro Symposioque orationes colloquio interiectas invenimus. Cur vero repudiaverit Plato genus oratorium, facile apparet. Proposuerat enim sibi id maxime, ut doceret philosophiam; quod recte fieri non posse censebat nisi sermone dialectica arte instituto. Quem removisse non putandus est nisi gravissima quadam ratione commotus. Quo magis videtur notabile esse, quod a consuetudine sua in eisdem abiit solis pariter operibus, quae aliis quoque rebus eisque maximis inter se consentiunt; neque alienum existimo quaerere, num qua communis ratio in utroque dialogo oratorium genus postulaverit.

Cognoscamus ante, quales sint illae in Phaedro Symposioque habitae orationes. Omnes autem — ne Alcibiadis quidem excepta oratione, quae, etiamsi non sit de ipso Amore, tamen amoris ardorisque plenissima est, — ad genus *ἐρωτικῶν* referendae sunt. Quo nomine Plato Symp. p. 172 B et Phaedr. p. 227 C usus est. Intellegendae sunt cuiuscumque generis expositiones, quibus in vim ac speciem amoris inquiratur. Quae res, cum eam omnes fere Socratis Platonisque temporibus summo studio complecterentur, iam ante Platonem litteris illustrata est. Etiam si nulli essent alii libri amatorii ante Platonis Phaedrum editi, de qua re nunc non quaeritur, testem unam haberemus Lysiae illam in ipso Phaedro orationem, quae quin re vera ad Lysiam pertineat, dubitare non iam licet.[2]) Accedit, quod Phaedr. p. 227 C Plato sic loquitur, ut *ἐρωτικὸς λόγος* usitata quaedam artis appellatio certissimaque significatione circumscripta videatur esse; quod si recte sentimus, id orationum genus apparet iam tum viguisse. Cum vero scriberetur Symposium, confectus erat non solum Phaedrus, in qua iam versamur re probanda, sed erat etiam, quod nunc habere exploratum

1) Cf. Zeller, Ph. d. Gr. II⁴ 1 p. 480 ann. 2; p. 461 ann. 5.

2) Hanc orationem ab ipso Lysia scriptam esse iam pridem demonstravit Leop. Schmidt, D. Rede d. Lysias in Plat. Phaedr. (in: Verh. d. 18. Vers. deutscher Philol. . . . Wien 1858), quem omnes fere deinceps viri docti secuti sunt. Denuo nuper in eandem rem diligentissime inquisivit novisque argumentis Schmidtii sententiam confirmavit I. Vahlen, Üb. d. Rede d. Lysias in Platos Phaedr. (Sitzb. d. kgl. Preuß. Ak. d. W., phil.-hist. Kl.. 1903 p. 788 ss.).

videmur, Xenophonteum Symposium[1]) Pausaniaeque ἐρωτικός commemoratus in illo.

Vulgati igitur illa aetate acceptique erant ἐρωτικοί; nec mirum est, quod Plato quoque amoris vim ac naturam orationibus illustrare conatus est. Atqui ab ingenio eius et consuetudine oratoria ratio abhorrebat; eaque, quam in Symposio Socrates habet, oratione docemur Platonem etiam amorem maluisse dialectica arte excutere, in qua esset exercitatior quamque unam statueret idoneam ad persuadendum. Quae cum ita sint, ut oratorio genere in Phaedro uteretur, eum non potuisse opinor commoveri nisi certissima quadam ac singulari re, quam esse veram Lysiae orationem existimo. Sententiam, quam nunc sum expositurus, etsi meram esse coniecturam haud ignoro, tamen censeo pronuntiandam. Ut enim alios fortasse Platonis dialogos sic etiam Phaedrum occasioni suspicor cuidam deberi. Sive tunc primum delata ad Platonem sive casu repetita amatoria illa Lysiae oratio tantopere eum putanda est movisse, ut contra scribendi caperet consilium. Quonam tempore ille Lysiae ἐρωτικός confectus sit, nescimus; ab adulescente fortasse conscriptus est; sed fieri potuisse etiam id arbitror, ut provectior aetate Lysias captiosa huius generis non nulla exempla docendi causa conderet. Quae videtur sententia eo probari, quod Phaedrus (228 A) Lysiam clarissimum illis temporibus oratorem appellat. Nil autem nisi id puto Lysiam egisse, ut certam quandam dicendi rationem exemplo illustraret. Nec igitur ita graviter Plato eum videtur incusavisse; quamvis enim iocose saepius eum carpat, tamen in universum placabilem se praebet. Iam dupliciter amatoriam illam, de qua agimus, Lysiae orationem commovisse existimo Platonem: is enim primum quidem respuisse putandus est et turpitudinem rei in ea laudatae et depravationem veri amoris, quem Socratem secutus optimum honestissimumque esse sibi persuaserat; deinde videtur concitatus esse ad spectandam ac recensendam eam artem, qua poterat effici illa tam odiosa oratiuncula, scilicet rhetoricam. Tractandae igitur et amatoriae et oratoriae rei occasionem duxit ab oratione Lysiae; atque hanc esse arbitror mutuam illam rationem a multis

1) A. Hug praef. ad Symp. ed. 2. p. XXV. adn. 2 de ratione, quae esset inter Xenophontis Platonisque Symposium, breviter disputavit. Schanzii sententiam, qui sermonis quibusdam indiciis maxime fretus Platonico posterius esse Xenophontis censuit Symposium (Herm. v. 21 p. 457 s.), mihi videtur refellisse Ferd. Dümmler, Akademika, Gießen 1889, p. 42 ss.

desideratam, qua Phaedri dialogi partes continentur.[1]) Causam enim unam duae respiciunt Platonis considerationes, quarum etsi utraque per se absolvitur, attamen altera quodammodo ad alteram pertinet. Itaque certo quodam ac simplici consilio universum Phaedrum compositum esse neminem censeo non videre; sententiam vero unam, ad quam omnes istius libri partes bene referantur, semper iri desideratum, quippe quae ipsi auctori non videatur obversata esse. Quae res utcumque se habet, quin amatoria illa Lysiae oratione Plato ad aemulationem concitatus sit, meo quidem iudicio non licet dubitari. Conviviorum autem, ut nunc de Symposio dicam, ipsa ratio quasi ansam dedit instituendi certaminis oratorii.[2]) Accedit, quod Amor, de quo agitur Symposio, oratoriis curis, ut demonstravimus, tum solebat celebrari. Potuit vero, ut rhetoricam revocaret, etiam eo Plato commoveri, quod respiciebat animo Phaedri dialogi orationes quodque Phaedrum virum rhetoricae diligentissimum Symposii quoque disputationis auctorem finxit. Nec denique dissimile veri est orationes ab aliis compositas non descripsisse Platonem, at adhibuisse ad novas conformandas. Xenophonteum quidem Symposium inspexisse eum pro certo plerique habent; atque idem videtur illum Pausaniae ἐρωτικόν, quem Xenophon vituperat, penitus novisse. Quid, si Plato his ipsis Xenophontis verbis commotus sit, ut diligentissime omnes quoscumque posset de Amore reperire libros perlustraret? Unde nescio an putandus sit non nulla sumpsisse, quae orationibus in Symposio habitis exponit. Ut igitur in Phaedro Lysiae oratiuncula, ita in Symposio aliis quibusdam amatoriis orationibus, si quidem recte iudicamus, ad imitationem oratorii generis Plato videtur impulsus esse.

Cap. 6. De imitatione.

Plato dialogis suis etsi id maxime ageret, ut, quae sibi in philosophia viderentur, expediret, tamen, cum non suo ipsius ore placita sua profiteretur, sed alios de eis disputantes fingeret, non solum philosophi sed etiam poëtae munere fungi debebat. Quare et morum imitatione uti et id exponere eum saepe oportebat, quid quibusque locis agerent sodales colloquii. Quantum vero philosophus poëtico

1) Sententias eorum, qui de rationis, quae Phaedro subesset, simplicitate cogitaverunt, Ferd. Horn (Platonstudien, Wien 1893, p. 231ss.) denuo excussit novamque ipse coniecturam proposuit.

2) De more, quo a sodalibus conviviorum orationes postulabantur, Hug disputavit l. l. p. XV. s.

suo ingenio in uno quoque libro indulgere vellet, ex ipsius pendebat iudicio atque arbitrio. Phaedri et Symposii in hac re magna similitudo est: diligentissime Plato in utroque dialogo operam navat imitationi rerum atque hominum. Non sunt sodales, quos inducit, tamquam umbrae, quales postremis suis operibus facere solet, sed etiam magis videntur effigies eorum expressae eminentesque quam ipsa dialogorum ratio desiderat. Uterque dialogus quam maxime actuosus est; quasi oculis nobis videmur cernere non solum agentes sed etiam loca, quibus agitur; accuratissime describuntur et illustrantur tempora, ad quae pertinet dialogus uterque. Singulari poëtica arte et Phaedrum et Symposium exornatum esse inter omnes constat; pauci sunt Platonis libelli, qui cum illis possint comparari. Hi autem non est dubitandum quin vel ab adulescente vel a iuvene Platone conscripti sint; is enim locum imitationi ampliorem dedisse putandus est. Quam sit Platonis sententia de poëtica arte per tempora mutata quaque illam ratione ipse adsciverit, Natorp (Arch. f. Gesch. d. Philos. XII, 47) summatim exposuit. Qui Phaedrum Symposiumque non potuisse censet (l. l. p. 45) a Platone ita componi, postquam de imitatione scripsisset ea, quae sunt Reipublicae libro X. (p. 607 E s.). Nec tamen poëtica ratione singulorum librorum ordo certius significatur; rectissimeque Hahn[1]) egregiam illam rerum eminentiam sublimitatem elegantiam, qua Symposium praecellat Phaedro, sufficere negat, ut illud esse post hunc scriptum iudicemus.

Pars II. De ratione philosopha.

Cap. 7. De amore.

Postquam absolvi, quae de poëtica ratione dicenda putavi, nunc accedam ad spectanda philosophiae praecepta. Nec sequar eum rerum ordinem, quem universa quaedam certaque disciplinae ratio ac forma videtur postulare, sed primum explicabo eum locum qui omnium uberrime in utroque libro tractatur; deinceps res aggrediar minores, quo quaeque propius ad illum vi ac natura sua pertinebit.

Quare exponam primum quid de amore Plato senserit. Atque eandem eum de eadem re sententiam bis pronuntiasse nemo opinabitur: quin etiam plurimum interest inter Phaedri Symposiique de amore praecepta. Ne quis vero Platonem, quae altero dialogo

1) Heinr. Hahn, D. gegenseit. Verh. d. plat. Dial. Phaedr. u. Symp., Progr. Gymn. Birkenfeld 1882 p. 5.

incohavit, ea altero perfecisse et absolvisse suspicetur! Sunt enim quidam homines docti, qui hoc errore perducti istorum librorum decreta inconsiderate contaminaverunt. Quos reprehendens Bruns[1]) non tam praecepta Phaedro data confirmari aut explanari Symposio quam nova illis substitui demonstravit.

Quin Plato Symposio omnia, quaecumque continentur vi amoris, exquirere et complecti voluerit, non potest dubitari: argumento est non solum propositio rei Eryximacho tributa, verum etiam ipsa tractatio, qua nihil Plato studet omittere, quod videatur amoris nomine dignum esse. Phaedri ratio est alia. Namque Lysiae illa oratio, unde pendent Socraticae, gratificandum magis praedicat esse ei, qui non amet, quam ei, qui amet (Phaedr. 227 C); pertinet igitur tantummodo ad unum quoddam genus puerorum amoris. Socrates initio prioris suae orationis, — id quod Lysias neglexerat, — amoris vim ac naturam se explicaturum esse pollicetur (237 B—D); quamvis autem in universum dicat amorem, tamen, quoniam Lysiaci opusculi consilium sententiamque et ipse tuetur, eundem puerorum amorem definitione sua complectitur. Est vero illa Lysiaca sententia turpissima et a Socratis moribus prorsus aliena: violasse se Lysiamque Amoris divinitatem Socrates confitetur (242 C ss.). Quare expiationem et retractationem se dicens debere deo posteriorem illam edit orationem, qua divinus amor ac vere liberalis illustratur (243 B ss.). Etiam hic Plato in universum dicit amorem, respicere autem videtur solam puerorum cupiditatem. Id igitur interest inter Phaedrum Symposiumque, quod hoc de omnium rerum amore, de una puerorum caritate illo disputatur. Cuius rei in Phaedro Lysias auctor est, a quo ducitur origo disputationis. Sed etiam expositio in Phaedro a Lysiae argumentatione pendet; namque Socrates cum in Symposio neglectis ceterorum opinionibus primum, quid sit summa condicio amandi, statuere conetur, in Phaedro Lysiae sententiam, qua sit insania amor, recipit et suo arbitratu interpretatur. Quaeritur nunc, utrum Plato universalem illam amoris rationem, quam Symposio profitetur, quo tempore Phaedrum scriberet, iam inventam habuerit, proprio autem huius dialogi consilio motus ea pronuntiaverit sola, quae ad puerorum amorem pertinerent, an contra Phaedro exhibeantur priores Platonis de amore cogitationes, quas cum impulsus Lysiae oratiuncula primo explicasset, deinde

1) Ivo Bruns, Attische Liebestheorien u. d. zeitl. Folge d. Plat. Phaidros sowie d. beiden Symposien, Neue Jbb. f. d. kl. Alt., Bd. V, 1900 p. 17 ss. = Vortr. und Aufs. p. 118 ss.

provectus sagacitate et doctrina emendandas esse intellexerit. Quare de re ut possimus recte iudicare, diligentissime oportet disquirere, qua via ac ratione proficiscatur quemque ad finem perveniat utriusque libelli disputatio.

Una mihi res videtur ante explicanda esse. Utrum ea, quae posteriore Socratis in Phaedro oratione traduntur, pro vera Platonis sententia sunt habenda? An ficta videntur et conformata ad ipsum orationis consilium? A quo pendere illa Hirzel demonstravit optime.[1]) Et ipse Plato an sit non omnem consecutus veritatem, his verbis profitetur sese dubitare (p. 265 B): *ἴσως μὲν ἀληθοῦς τινος ἐφαπτόμενοι, τάχα δ' ἂν καὶ ἄλλοσε παραφερόμενοι.* Apparet autem ex eisdem non nulla se vera attulisse eum confidere. Idem existimo Platonem voluisse hisce significare (p. 245 C): *ἡ δὲ δὴ ἀπόδειξις ἔσται δεινοῖς μὲν ἄπιστος, σοφοῖς δὲ πιστή.* Atque de ideis oraturus sic orditur (p. 247 C): *τολμητέον γὰρ οὖν τό γε ἀληθὲς εἰπεῖν, ἄλλως τε καὶ περὶ ἀληθείας λέγοντα.* Quare Platonem in universum quidem ea, quae sibi vera viderentur, censeo pronuntiasse. Nec propter finem orationis, quem certum habebat constitutumque, putandus est sententiam suam depravasse, quoniam id ipsum, quod propositum erat, ut laudaretur amor, quam maxime illi conveniebat. At ceteris fortasse rhetoricis rationibus commotus, quas ipse explicavit in Phaedro, illam corrupit. Quid? ad animum audientis, non dico fictum illum puerum, cuius ingenium non describitur, sed Phaedrum — huius igitur ad animum nonne Plato videtur argumentationem suam accommodasse? Verba quidem certe, ut Socratem facit profitentem (p. 257 A); de rebus nescimus[2]). At sine dubio adhibuit captiosum illud, quo per similitudinem rerum mentes hominum ab oratore leniter esse ducendas in Phaedro statuit. Istud quidem omnium minime; usitatis eius generis artificiis omnino nullis usus est; illa autem fabula, quam finxit, nec facere potest fidem neque confirmare. Quod ita esse Plato sensit ipse docuitque eisdem quae modo commemoravimus verbis: *ἡ δὲ δὴ ἀπόδειξις ἔσται δεινοῖς μὲν ἄπιστος.* Vim igitur rhetoricae artis propriam orationi suae intellexit defuturam. Quo magis mihi videtur ipsa rerum veritate confisus esse: ad rhetoricam noluit descendere, qua persuaderet eis, quos dixit *δεινούς*, in quibus erat Phaedrus, rhetorum discipulus ac sophi-

1) Üb. das Rhetorische u. seine Bedeutung bei Plato. Leipzig 1871 p. 15 ss.
2) Cf. Hirzelii l. l. p. 38.

starum. Quae cum ita sint, in universum quidem, id quod supra dixi, Platonem veram suam sententiam posteriore Socratis oratione aperuisse arbitror; sin quae videbuntur haud ita serio ab eo dicta, id esse factum poëtica quadam licentia et quasi insolentia, quam facile dispicere nemo non poterit.

Nunc excutiamus ipsa de amore decreta. Atque in Symposio Socratem, ubi primum susceperit sermonem, quid sit summa ratio amandi, dialectice explicare supra diximus. Docet vero amorem non esse ipso contentum, sed postulare aliquid, cui se applicet (Symp. 199 D E). Haec tanta disquirendi subtilitas in Phaedro desideratur; etsi enim in eo quoque amor non sine quibusdam rebus, ad quas pertineat, nominatur, tamen necessariam esse illam amoris amatique rationem non demonstratur. In Symposio porro explicatur, qualis sit haec ipsa ratio: appetitio scilicet sive cupiditas; namque expetere amorem id, ad quod pertineat (Symp. 200 A). Quae res explicatione adeo videtur non egere atque etiam adeo idem fere usus est verborum *ἐρᾶν* et *ἐπιθυμεῖν*, ut ad hoc non recurrisse Platonem in Phaedro valde mirer. At non deest in descriptione amoris, quam Phaedrus exhibet, appetitio: nam dicitur anima genuinae pulchritudinis recordatione ales facta excelsa illa, quibus ideae habitant, loca petere (Ph. 249 D). Et in ipso illo invicto desiderio, quo rapitur amans ad aeternae pulchritudinis simulacra mortalia, appetitio amatoria apparet (Ph. 251 E et saepius). Cupiditatis vero nomen, quam Plato vocat *ἐπιθυμίαν*, in posteriore Socratis oratione non occurrit. Cuius rei causa existimari potest fabulae ratio, quae propria rerum nomina recusat, postulat translata. Nec tamen videtur dubitandum esse, quin Plato summam vim amoris in appetitione positam esse tum demum penitus perspexerit, cum scriberet Symposium: in hoc enim tota disputatio cupiditatis notione continetur, nec quidquam aliud demonstratur singulos amoris gradus esse quam eandem semper appetitionem, quae ad obscuras primo, deinde clariores verae pulchritudinis imagines et ad ipsam denique ideam feratur. In Phaedro amor ita definitur, ut sit commotio animi pulchritudinis quadam cognitione concitati; qui cum afficitur eius modi, sublime ferri sane concupiscit nec vacat cuiuscumque generis cupiditate; non tamen in Phaedro concupiscendi ratio illa atque disciplina est, quae in Symposio. Ceterum etiam Lysias nomen amoris cupiditatis nomine mutaverat (cf. Ph. p. 231 A. 232 B E et al.). Eandem Socrates sententiam secutus priorem suam orationem sic incipit (ib. 237 D): *ὅτι μὲν οὖν δὴ ἐπιθυμία τις ὁ ἔρως, ἅπαντι δῆλον*; unde profectus eius explicat vim amo-

ris, quem Lysias opusculo suo respexerat. Nonne mirum est, quod Plato id ipsum decretum, quod quam commodum sit Symposio apparet, posteriore Socratis oratione non retinuit? Immo ad aliam Lysiae sententiam argumentationem revocat. Affirmaverat enim Lysias atque assensus erat Socrates vacare temperantia (Ph. 231 D. 236 A al.), aegrotare (ib. 231 D. 236 A), insanire (ib. 241 A), in aliena potestate esse (ib. 231 A. 233 C al.) amatorem. Ad haec Socrates posteriore sua oratione revolvitur; concedit quidem amorem insaniam esse et intemperantiam, negat vero insaniam, id quod posuerit Lysias, omnem esse in vitio (ib. 244 A ss.). Adicit, quae sibi videantur de divino furore atque maxime de amatorio. Eam ergo notam, quam voluit summam esse amoris, in Phaedro non tam invenisse ratiocinatione quam sumpsisse a refellendo Lysia videtur.

Revertamur ad Symposium. In quo postquam expositum est amorem esse appetitionem, de hac ipsa accuratius quaeritur. Atque apparet neminem quidquam petere nisi qui careat eo, quod petat (p. 200 A—E). In Phaedro ne haec quidem res excutitur. Boetticher[1]), qui Lysim ante Phaedrum scriptum esse probat, sententiam illam iam in Lyside expositam, qua ex inopia quadam amor et amicitia nascatur, in Phaedro illustrari atque inopiam ad aeternam animorum vitam rationemque referendam esse demonstrari existimat. Sane quidem inopia in Phaedro illustratur et ad originem suam refertur; at cadit in hanc rem idem, quod supra de cupiditate dictum est. Nec enim potest in vera descriptione amorum amantium neglegi ipsa inopia neque egestas: inopiae notio atque condicio in Phaedro non excutitur. Quam habuisse Platonem, cum scriberet Phaedrum, tam penitus, quam in Symposio vel in Lyside, perceptam atque consulto transtulisse in fabulam pro certo confirmare non possumus. Nimirum licet ita suspicari; nec tamen prius huic suspicioni aliquam fidem tribuam quam — qua de re nunc non quaeritur — probatum erit Lysim vel-Symposium ante Phaedrum scriptum esse.

Postquam de egestate Amoris peroratum est, Plato quaerit, quidnam petat amor. Contendit autem pulchritudinem (Symp. 201 A). Cum vero antea diligentissime dederit operam, ut ea, quae de amore professus est, in omnes partes valere persuaderet, in hac re eum notabile est ad sententiam quandam Agathonis sese applicare neque commorari in exploranda eius veritate. Agatho autem

1) Carl Bötticher, Eros u. Erkenntnis bei Plato in ihrer gegenseit. Förderung u. Ergänzung. Berlin 1894. Progr. Luis. Gymn. p. 5. Similiter de eadem re disputavit etiam H. Hille, Üb. d. plat. Lehre vom Eros, Liegnitz 1892. Progr. Ritter-Ak.

turpitudinis dixerat non esse amorem (197 B); nil nisi pulchrum posse amari Graeco homini per se apparet. Primam Plato hanc rationem, quae inter amorem pulchritudinemque est, ut in Symposio ita in Phaedro quoque perspicue demonstrat. Namque Phaedr. p. 249 D mortalia pulchra, quibus aeternae pulchritudinis memoria concitetur, amatorium furorem dicit movere. Sed ne in Phaedro quidem hanc Plato sententiam argumentis firmat.

Iam quid voluit Plato esse pulchritudinem? Angustius valet ea quam in Phaedro statuit notio pulchri. Res pulchras nihil aliud censet esse quam ideae pulchritudinis ὁμοιώματα (250 A al.) sive εἴδωλα (250 D), quae latine vocaverim simulacra. Idea vero id a Platone appellatur, quod semper est tale, quale est, et omni vacat colore, forma, corpore (247 C); dicitur eadem species simplex, unius modi, immobilis, beata (250 C). Ex ideis pulchritudo eximio quodam candore maxime conspicua est (250 BC); utrum ceteras Plato ideas minus fulgere an omnino voluerit non lucere ex verbis eius non satis intellegitur. Id vero non potest dubitari, quin ceterarum idearum simulacra omni contenderit luce vacare (250 B); unam pulchritudinem sortitam esse eam condicionem, ut etiam mortalia eius simulacra essent clarissima (250 D). Quo fieri, ut animus in corpore inclusus pulchritudinem eo percipiat sensu, qui sit omnium acerrimus, visu (250 D). Ergo non potest dubium esse, quin de una corporum pulchritudine Plato cogitaverit; atque ne incidamus in errorem, ad ὄψεως vocabulum haec addit: ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. Mentis videlicet quendam visum intellegi noluit. Quare amorem efficere nec φρόνησις potest nec δικαιοσύνη nec σωφροσύνη; quae si sui haberent simulacra oculis percipienda pariterque fulgentia ac pulchritudo, incredibilem quendam efficerent amorem (250 D)[1].

Alia est notio pulchri in Symposio explicata. In Phaedro complura vocabula Plato angustius definit quam licet per usum dicendi; diligentissime tuetur consuetudinem sermonis in Symposio. Itaque pulchrum non solum in corporibus profitetur esse, sed in omnibus rebus, quaecumque illo nomine appellari solent. Atque primum quidem bona etiam pulchra esse docet (201 C). Quibus deinde sic utitur vocabulis, quasi omnino nihil inter ea intersit (cf. 204 E. 205 C E. 206 A. 207 A. 202 D. 203 D). Pertinere igitur amorem sive ad pulchrum sive ad bonum existimat. Sed ne hac quidem definitione, quamvis late valeat, contentus est; potius quodcumque perfectum est, id quoque

1) Platonem in Phaedro solam corporum pulchritudinem tueri apparet etiam p. 251 B et 255 C.

amabile esse censet (204 C). In Phaedro φρόνησιν non cadere in amorem ratus est; in Symposio (204 B) scribit haec: ἔστι γὰρ δὴ τῶν καλλίστων ἡ σοφία ... ὥστε ἀναγκαῖον Ἔρωτα φιλόσοφον εἶναι. Pulchri nomine Platonem et formosum et honestum et verum voluisse comprehendi vel ex ordine intellegitur eo quem statuit rerum amore expetendarum (210 A ss.): dirigendam enim censet esse cupiditatem primo ad corpora, deinde ad animos mores instituta, tum ad litteras, postremo ad ipsam pulchritudinis ideam. At hercle amor nulla concitatur alia re nisi venustate ea, quae pertinet ad sensus; id vero proprium Platonis et nescio an totius Graeciae est, quod non solum pulchra sed etiam honesta veraque existimantur sensus afficere. Sane quidem non possunt corpus; sed mentis quosdam oculos, quibus homines in Symposio (219 A) dicuntur praediti esse. Iam vero ipsa pulchri idea ab animo in corpus condito cernitur oculo quodam ad. hanc rem apte facto (212 A); qui qualis sit, non explicatur.

Aliter igitur in Phaedro, aliter in Symposio notionem pulchri vidimus circumscribi. Est autem illa talis effecta, qualem desiderat utriusque dialogi ratio. Et Phaedro quidem Plato probare vult amorem a deis datum summam afferre felicitatem (cf. 245 B), τῷ ἐρῶντι scilicet καὶ τῷ ἐρωμένῳ, de quibus ante dictum est. Non est cur participia illa neutra esse suspicemur; de viris potius amantibus et de pueris amatis non licet dubitare quin Plato cogitaverit. Amorem Plato pulchritudine dixit concitari; patet unam ei puerilem pulchritudinem obversatam esse et quidem eam, quae corporis oculis percipitur. Hanc esse ideae imitationem demonstravit; qua re effecit, quod sibi proposuerat, ut divinum quiddam bonumque amorem doceret esse. Symposio Plato amorem diligentissime excutit et ab omni parte considerat. Accuratissime spectat consuetudinem sermonis: nihil curat relinquendum, quodcumque amoris nomine comprehenditur. Atque ceterorum quidem convivarum orationibus investigantur ac describuntur varia amoris genera; ad quae Socrates respiciens notionem amoris constituit. Amplissimus etiam in Symposio datur locus puerorum amori, quo homines tum maximo opere delectabantur; laudant eum et Phaedrus et Pausanias et ex parte quidem Aristophanes. Describitur autem virorum quoque mulierumque inter se amor praecipue ab Aristophane; eundem respiciunt Phaedrus (179 B ss.), Pausanias (181 B E), Agatho (196 D). Porro non solum corpora sed etiam animos esse amabiles Pausanias (181 B; cf. 182 D) et Agatho[1] (196 B) profi-

1) Idem notavit Hug, Plat. Symp. p. LIV.

tentur. Idem Agatho primus artium ac litterarum amorem commemorat (197 A s.).[1] Latissime Eryximachus censet amorem valere; is enim antiquorum physicorum placita quae iam ante eum Phaedrus deprompserat (178 B) secutus amorem arbitratur omnium rerum moderatorem esse. Phaedrum quidem reprehendit Agatho: nec enim Amori naturam rerum deberi sed Necessitati (195 C. 197 B); atqui similiter ac Phaedrus Eryximachus quoque amoris nomine abutitur. Recte a sodalibus dicuntur corpora, animi, artes, litterae ciere amorem; in his quae apparet pulchritudo, eam Socrates debebat in disputatione sua intueri. Relinquenda erat igitur ea definitio, qua tale sit pulchrum, ut nisi corporis oculis non cernatur. Novam vero statuens latiusque patentem notionem pulchri Plato communem omnium Graecorum dicendi usum secutus est.

De pulchritudine satis; iam explicandum est, quo modo Plato amorem decreverit pulchritudine moveri. Potest vero amor non exsistere nisi in aliquo amante. Mirari oportet quod Plato, qui de amandis tam multa profudisset, de amantibus, qui essent et quales, ne unum quidem verbum edidit. Tamen recte eum in hac re sensisse inde patet, quod ea, quae Eryximachus affert, quippe aliena ab amore recusat. Amare constat homines; hinc Plato proficiscitur. In Phaedro dicitur amor certus quidam animi status esse; animus autem nullus respicitur nisi humanus. Verum ad omnia amor animalia pertinet; Symposio, quo accuratius in rem inquiritur, ne haec quidem res neglegitur (cf. 207 A ss.). Vidimus amorem in Symposio intellegi appetitionem, in Phaedro insaniam. Est autem insania animi motus moderationis, prudentiae, rationis rerum humanarum expers (cf. Phaedr. 244 A B D. saep.; 249 C D. 252 A). Qui potest esse morbus humanus; sed est etiam divina quaedam insania ex aeternarum rerum, ut ita dicam, complexu nata, quam Graeci vocant *ἐνθουσιασμόν*. Talem esse et vaticinantium et expiantium et poëtarum amentiam Plato existimat; quartam nominat amantium (Phaedr. 244 A ss. 249 D. cf. 265 B). Has igitur voluit divinae insaniae partes esse. Nec tamen omnes eum, quaecumque sunt, enumerasse, facile intelleget is, qui Socraticae orationis quae sequuntur cognoverit. Inveniet enim non verbo expressam sed re descriptam philosopham quandam praeter illas amentiam, qua amor videtur contineri. Fons autem philosophi furoris ea est necessitudo, quam habent animi hominum cum ideis. Humana

1) Cf. Hug. l. l.

enim in corpora Plato nullos censet animos pervenire nisi qui olim conspexerint ideas. Namque homines oportere generalia intellegere posse ex multis visis ratione comprehensa (p. 249 B: δεῖ γὰρ ἄνθρωπον ξυνιέναι τὸ κατ' εἶδος λεγόμενον ἐκ πολλῶν ἰὸν αἰσθήσεων εἰς ἓν λογισμῷ ξυναιρουμένων); quam esse ipsam idearum recordationem. Possunt igitur omnes homines idearum reminisci; at plerorumque hominum animi, quia aut non nisi breviter conspexerunt veritatem aut, postquam in corpora deciderunt, malorum consuetudine usi sunt, aeternarum rerum non habent facilem memoriam. Pauci sunt, quorum sufficiat memoria; qui si cognoscunt alicuius ideae simulacrum aliquod, vehementissime moventur nec vero, quanam afficiantur re, perspiciunt (250 A). Quae vis in omnibus ideis est eadem, qua penitus concitatur nemo nisi philosophus; is enim solus semper, quantum potest, in memoria idearum versatur atque neglectis rebus humanis plerisque videtur insanire (249 C s.). His prope modum verbis Plato philosopham insaniam describit. Deinde pergit hisce (249 D): ἔστιν δὴ οὖν δεῦρο ὁ πᾶς ἥκων λόγος περὶ τῆς τετάρτης μανίας, ἣν ὅταν τὸ τῇδέ τις ὁρῶν κάλλος τοῦ ἀληθοῦς ἀναμιμνησκόμενος πτερῶται ... αἰτίαν ἔχει ὡς μανικῶς διακείμενος, — ὡς ἄρα αὕτη πασῶν τῶν ἐνθουσιάσεων ἀρίστη . . γίγνεται. Quae equidem existimo hunc fere in modum vertenda esse: tota igitur illa explanatio facta de quarto quodam genere insaniae, quo si quis sollicitatus mortalia pulchra conspiciens atque verae pulchritudinis reminiscens sublime feratur amentem se esse audit, — haec igitur explanatio eo redit, ut sit illa ἐνθουσίασις omnium optima. Si quidem recte intellexi verba Platonis, facere non possum, quin reprehendam eum, quod iniquissime praecipitet. Philosophum exspectabam furorem: reperio amatorium, quae illius tantum modo species est. Sed ne eam quidem insaniam tuetur, quae pulchrarum rerum efficitur quovis genere; nam continuo: ταύτης, inquit, μετέχων τῆς μανίας ὁ ἐρῶν τῶν καλῶν ἐραστὴς καλεῖται. Nunc meo quidem iudicio non licet ita interpretari verba τῶν καλῶν, ut putentur neutri generis esse; si enim et quae antecedunt et quae sequuntur respicimus, non possumus dubitare, quin Plato hoc voluerit intellegi: si quidem particeps est praedictae insaniae, is, qui pueros amat pulchros, amator appellatur. Ex his verbis, quae, quia sunt instar apertae definitionis, disciplinae Platonicae interpres quam maxime debet animadvertere et considerare, tantum potest colligi Platonem virorum illum cum adulescentibus usum, quem ut ratione lustraret Lysiae oratiuncula impulsus erat, amorem noluisse appellari nisi ortus esset e studio

pulchritudinis. Minime autem Plato putandus est in Phaedro decrevisse amorem esse omnem insaniam cuiuslibet pulchri aspectu motam. Nusquam istuc elocutus est; quin ne sensisse quidem eum tale quidquam ullo modo potest declarari. Nam verba eius ea sunt, ex quibus non prorsus plane possit intellegi, quidnam iudicaverit. Sic p. 250 D.: *νῦν δὲ κάλλος* ait *μόνον ταύτην ἔσχε μοῖραν ὥστ' ἐκφανέστατον εἶναι καὶ ἐρασμιώτατον.* Hic nempe omnibus Plato pulchris vim videtur tribuere efficiendi amoris. Cum his conspirant, quae sequuntur: *ὁ μὲν οὖν μὴ νεοτελὴς ἢ διεφθαρμένος οὐκ ὀξέως ἐνθένδε ἐκεῖσε φέρεται πρὸς αὐτὸ τὸ κάλλος, θεώμενος αὐτοῦ τὴν τῇδε ἐπωνυμίαν.* Verum solam humanam atque virilem pulchritudinem Platonem cogitasse docemur hisce: *ὥστ' οὐ σέβεται προσορῶν, ἀλλ' ἡδονῇ παραδοὺς τετράποδος νόμον βαίνειν ἐπιχειρεῖ καὶ παιδοσπορεῖν καὶ ὕβρει προσομιλῶν οὐ δέδοικεν οὐδ' αἰσχύνεται παρὰ φύσιν ἡδονὴν διώκων.* Sequitur, ut Plato in Phaedro, quamquam furorem quendam amatorium demonstraverit, amoris nomine nil nisi humanae pulchritudinis studium et cupiditatem dignum aestimasse putandus sit. Nec igitur mirum est, quod p. 248 D (*εἰς γονὴν ἀνδρὸς γενησομένου φιλοσόφου ἢ φιλοκάλου ἢ μουσικοῦ τινος καὶ ἐρωτικοῦ*) *φιλόκαλος* atque *ἐρωτικός* ita dicuntur, ut aliquid videatur inter eos interesse.

In Phaedro amor hoc modo dicitur exsistere ac procedere. Vir *μὴ νεοτελὴς ἢ διεφθαρμένος* cum conspicatur pulchrum puerum, quamquam ipsa ideae vi afficitur, tamen nescit id fieri; causam amoris potius ratus corpus pulchrum non tenetur ea verecundia aut pietate, qua debet esse erga ideam, sed deditus libidini quadrupedum more salire incipit et gignere nec dubitat exuto pudore contra naturam explere voluptatem (cf. 250 E s.). *Ἀρτιτελής* autem, id est paulo ante initiatus, qui cum esset superorum consors multa crevit, si hic aspexit simulacrum aliquod aeternae pulchritudini simillimum, primo quidem eadem reverentia movetur, quam animus eius olim habuit in contemplatione veritatis. Deinde autem pulchritudo quasi redundans in eum munere suo fungitur; corripitur enim ille motione quadam singulari orta, ut in translatione Platonica verser, ex animi calefacti rigatique studio plumescendi, quam Plato omnibus pingit artis coloribus. Urgente impetu pulchri motio sedatur; accedit incredibilis quaedam voluptas, quae turbari nisi remoto amico non potest. Cupit autem amator cum eo, quem amat, perpetuo continenterque iunctus esse; eam enim unam habet aegritudinis suae medicinam (cf. 251 A—252 A.).

Nunc si animus tantum ex mente et ea quae illi obtemperat audacia sive alacritate constaret, quam Graeci *θυμόν* appellant, bene esset; sed animi tres esse partes Plato decrevit, ex quibus tertia, quae est *ἐπιθυμία*, ceteris se praebet difficillimam. Ea enim non contenta est contemplatione pulchri, sed sensibus vult percipere voluptatem. Acerrimo deinde inter bonas animi partes malamque certamine facto victrix plerumque si non in omne at certe in aliquod tempus mala discedit; quam rem egregia illa arte, qua in Phaedro excellit, Plato descripsit (cf. 253 C—256 E.).

Iam conferamus Phaedrum cum Symposio. Ac primum quidem memoratu dignum est, quod amor in Phaedro fere casu accidere hominibus, in Symposio naturae humanae insitus esse ac necessario prorumpere dicitur. Cupiditatem quandam, cuius altera pars rationi utique pareat, altera, cum iam ante quam animus corpus indueret terram petiverit (cf. 247 B: *βρίθει γὰρ ὁ τῆς κάκης ἵππος μετέχων, ἐπὶ τὴν γῆν ῥέπων τε καὶ βαρύνων*), omni modo studeat ex sensibus voluptatem percipere — eam quidem cupiditatem hominibus esse insitam nec posse seiungi ab ipsis animis humanis etiam in Phaedro ponitur; nec ea tamen dicitur natura ad certum quoddam rerum genus pertinere. Si autem animus quovis externo pulsu commovetur, prima libido, si modo fieri potest, inde cupit fructum capere. Contra in Symposio cupiditas quaedam artius circumscripta, boni scilicet ac pulchri id est felicitatis, sive, quae est omnium certissima amoris definitio, appetitus procreandi in pulchro hominibus dicitur innatus esse; is amor non tum oritur primum, cum admota animo res est aliqua amabilis, sed latior ille, quam esse Plato *ἐπιθυμίαν* dixit *τοῦ εὐδαιμονεῖν*, ab initio viget vitae, hic angustior, qui est *τόκος ἐν καλῷ*, suo tempore prorumpit et ipse requirit ea, quorum indiget.

Deinde id quoque Phaedri dialogi proprium est, quod in eo amor velut emendari posse negatur. Duo autem dicuntur genera amoris esse, quorum alterum nescio an liceat libidinosum, alterum appellare castum. Atque libidinosus quidem amor non potest casto mutari; contra castitas, etsi potest integra servari, tamen semper est cavendum, ne obruatur libidine. Non nisi tum, cum mens urgetur libidine, suo animus arbitrio ac suis viribus uti potest, ceteris rebus prorsus videtur fato obnoxius esse. Nam qui olim rarus erat idearum spectator, eum hic fas est succumbere libidini; qui autem olim multus erat in contemplatione rerum caelestium, is quidem potest libidini resistere. Sanandi veteris peccati nulla datur animo facultas; contra ea quoque, quae usque eo erat, ide-

arum memoria mala consuetudine abolescere potest. Quantum ista praecepta abhorrent a Symposio, in quo homines dicuntur ab amore corporum ad ipsam pulchritudinis ideam gradatim posse ascendere!

Est cur Platonem in Phaedro non omnia putemus accuratissime perpendisse. Dicit enim p. 250 E. *τὸν μὴ νεοτελῆ* omissa verecundia, quae pulchritudini debeatur, libidini se dedere *παρὰ φύσιν ἡδονὴν διώκοντα*. Illa autem insania pulchritudinis cognitione mota, qua amor visus erat contineri, complexum corporum non expostulat. Nunc scimus unam aeternamque animi partem libidinem esse; quae cum et ipsa eo amore, qui totum occupavit animum, et quidem pro sua natura afficiatur, ex amatis corporibus voluptatem sensibus vult percipere. Non igitur Plato naturalem negavit complexum esse, etiamsi eum a melioribus animi partibus dixit repudiari (cf. 254 A: *τὼ δὲ* — scil. *ὁ ἡνίοχος καὶ ὁ μὲν εὐπειθὴς τῷ ἡνιόχῳ τῶν ἵππων* — *κατ' ἀρχὰς μὲν ἀντιτείνετον ἀγανακτοῦντες ὡς δεινὰ καὶ παράνομα ἀναγκαζομένω*). Tamen eo, quem supra attuli, loco virorum puerorumque complexum contra naturam censuit esse. Quid igitur? Neglectis videlicet, quae de animo ipse praeceperat, id unum videtur cogitasse coëundi desiderium non nisi procreationis causa animalibus esse insitum.

Descriptionem amoris in Symposio a cupiditate proficisci saepius demonstravimus. Cupiditate autem animus quodam modo solet commoveri. Itaque salva Symposii propria ratione mihi quidem videtur fieri potuisse, ut illa animi permotio, qua in Phaedro amor dictus erat contineri, in Symposio quoque excuteretur. Tamen non nisi leviter ea perstringitur (cf. 211 D: *οὐ κατὰ χρυσίον . . . καὶ νεανίσκους δόξει σοι εἶναι, οὓς νῦν ὁρῶν ἐκπέπληξαι*) atque non tam omnino aspectu pulchri, quo quidem in Phaedro, quam uno desiderio procreandi videtur nata existimari (cf. 206 D: *ὅθεν δὴ τῷ κυοῦντί τε καὶ ἤδη σπαργῶντι πολλὴ ἡ πτόησις γέγονε περὶ τὸ καλόν . . .* p. 207 A: *ἢ οὐκ αἰσθάνει ὡς δεινῶς διατίθεται πάντα τὰ θηρία, ἐπειδὰν γεννᾶν ἐπιθυμήσῃ . . .*). Etsi autem sententia illa in Phaedro explanata, qua amor est *μανία*, in Symposio non retractatur, ipsa istius insaniae vis, qua maxime Socrates ad laudandum amorem impulsus erat, tantum non uno quoque verbo orationis eius apparet. Alium in utroque dialogo finem intuens aliam Plato viam ingressus est. Atque mihi quidem videtur argumentationem Phaedri dialogi propriam, quia amoris tamquam ascensus non poterat ea declarari, in Symposio deposuisse consulto; contra in Phaedrum, quem sibi non ex omni parte constare post haec videbimus, Platonem eam amoris notam in Sym-

posio explicatam, qua poterat optime sanari Phaedri discrepantia, non repetiturum fuisse, si quidem eam iam tum perceptam habuisset, veri iudico dissimillimum. Ceterum etiam nomen *μανίας* in Symposio occurrit; nam p. 213 D Socrates haec dicit: *τὴν τούτου* — scil. *Ἀλκιβιάδους* — *μανίαν τε καὶ φιλεραστίαν πάνυ ὀρρωδῶ.* Quo loco ad Phaedrum respici minime contenderim. Contra non dubito, quin id fiat p. 218 B, qua Alcibiades: *πάντες γάρ*, inquit, *κεκοινωνήκατε τῆς φιλοσόφου μανίας τε καὶ βακχείας*; nam quid sibi velit *φιλόσοφος μανία,* meo quidem iudicio nemo plane intelleget nisi qui ante cognoverit Phaedr. p. 246 D ss.

In Phaedro igitur pulchra dicuntur amantium animos memoria ideae primo perturbare deinde afficere tranquillitate quadam, quae et ipsa iure *μανία* appellatur, quia vacat cura externarum rerum atque omni ratione humana. Quibus factis pulchritudo munere suo defuncta est. Nec tamen eorum, quae amore solent effici, probabilis causa videtur allata esse. Ex orationibus enim in Phaedro et in Symposio habitis atque ex multis aliis antiquitatis testimoniis puerorum amorem intellegimus non esse probatum, nisi communicatis studiis amator eum, quem amaret, erudire aut instituere conaretur. Id quidem Plato, quod sibi proposuerat, ut amorem hominibus ad summam beatitudinem a deis datum esse demonstraret, expositione ea, quam rettulimus, consecutus erat; sed unam tantum amoris partem excusserat. Alteram tractavit breviter p. 252 C—253 C. De qua cum disputaret, ea quidem, quae de aeterna animorum vita praeceperat, retinebat; amoris autem, quam primam statuerat, definitionem reliquit. Namque amatorem non solum pulchritudine pueri, sed etiam propinquitate quadam vel similitudine, quam habeat ille cum ipso, moveri dicit (p. 252 D: *τόν τε οὖν ἔρωτα τῶν καλῶν πρὸς τρόπου ἐκλέγεται ἕκαστος*): amantis atque amati animos eiusdem dei necesse esse comites olim fuisse. Si quis autem puerum sui similem invenit, hunc studet dedita opera ad illius dei exemplum conformare, cuius uterque erat ante quam corpus indueret imitator. Quod negotium ut possit recte suscipere, primum apparet amatorem oportere ipsum, cuinam sit deo addictus, diligenter exquirere illiusque memoriam sibi repraesentare atque aemulari mores eius institutaque (p. 253 A: *τὰ ἔθη καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα*); quam vero ipse acquisivit sapientiam ac virtutem, eam profundit in animum pueri atque eo magis vacat omni invidia, quod eum suae virtutis auctorem esse intellegit. Ex quo perspicuum est amorem esse studium se amatumque conformandi ad similitudinem deorum.

Quicumque defenderent amorem puerorum, eos dixi demonstrare solitos esse, quanta in illo esset vis erudiendi. Quam Plato vim non solum praeclare illustravit sed etiam ad aeternam animorum condicionem revocavit. Non tamen furorem illum pulchritudine motum, quem esse amorem initio professus erat, necessario probavit eruditionem sequi, quam ad illum pertinere postea decrevit. Hoc esse rationis in Phaedro expositae gravissimum vitium existimo,[1]) quod tum maxime apparet, cum comparatur Symposium, in quo Platoni unam atque constantem amoris definitionem afferre contigit.

Etiam in Symposio non tamquam uno impetu Plato omnem amoris proprietatem explicat, sed a latioribus quibusdam definitionibus paulatim descendit ad angustiores. Ac primo quidem vidimus eum docere amorem pulchri bonique esse cupiditatem. In qua deinde explanat apparere felicitatis illud studium, quod sit omnium hominum commune. Si tamen non omnes homines dicantur amare, id factum esse vitio sermonis, qui vocabulis late patentibus interdum utatur ad significandas singulas res angustissime circumscriptas. Itaque amorem in universum quidem omnem esse bonorum ac felicitatis cupiditatem; atqui eos tantum dici amare, qui singulari quadam ratione felicitatem petant, scilicet procreando. Quantum ista definitione profectum sit, plane apparet. Namque primum quidem indicatur ea res, quae ab initio videtur una amoris nomine appellata esse. Tum eruditio, quae qua ratione ad amorem pertinere in Phaedro diceretur poterat dubitari, nunc utique necessaria ad illum accedit: amator enim, postquam primo genuit liberos humanos, ubi repudiatis corporibus animorum, litterarum, ideae pulchritudinem adamavit, divina generat, orationes scilicet sententiasque ac veram virtutem.

Prorsus igitur alia ratione Symposii et Phaedri de amore disputatio instituta est. Ego quidem sentire me fateor idem, quod ab antiquis temporibus usque ad nostram aetatem plures senserunt, Phaedrum esse adulescentium more conscriptum. Namque in eo dialectica ars, ad quam Platonem Socrates excitaverat, etsi videtur paene exculta et perfecta esse, tamen quibusdam se patitur terminis coërceri; non enim moratur in sicca aut circumspecta mortalium rerum cognitione, sed protinus fertur ad ideas atque indulget

1) Quod esse rationis vitium etiam eum concessurum spero, qui Platonem in Phaedro, cum rhetorum more luderet, plenam sententiarum rationisque concordiam efficere haud ita vehementer studuisse opinetur.

liberae cogitationi rationique; ea autem, quae cum consideratione rerum tum abstracta a rebus coniectura inventa et excogitata sunt, studiosissime ac fanatice pro certo affirmantur. Contra in Symposio adultum videmus hominem rerum inter se similium accuratissime colligentem spectantemque quam maximam copiam et expedientem earum similitudines atque iudicia sua sententiasque iterum iterumque ad ipsam naturam exigentem; res non quomodo ortae esse possint existimari, sed quales sint, idem ille explicare sibi proposuit potissimum. Accedit quod ordinem rerum rationemque diligentissime et optime constituit. Haec ipsa ratio ac disciplina atque maxime descriptio illa eius amoris, qui omnium dicitur praestantissimus esse, ei, qui Phaedrum ante legit, memoriam affert eorum, quae in illo et de anima et de ideis Plato praecepit; at in Symposio putatur idea ab ipsis hominibus posse cognosci neque uno significatur verbo, id quod in Phaedro Plato decreverat, exstare eam a natura solutam locis quibusdam, quae sint extra caelum sita.

Sed revertamur eo, unde digressi sumus. In Symposio voluit Plato amorem esse *ἐπιθυμίαν τῆς γεννήσεως καὶ τοῦ τόκου ἐν τῷ καλῷ* (cf. p. 206 E). Est igitur profectus a naturali marium desiderio, quod in Phaedro, etsi de toto genere amoris dicere videretur, omnino neglexit. Sed ut illa definitione omnia, quae Plato voluit intellegi, continerentur, generationis nomine eum oportebat ita uti, ut latius illud pateret quam per communem usum licet: generare non solum corpus ex corpore verum etiam animus ex animo erat dicendus. Itaque hoc posuit Plato (206 C): *κυοῦσιν γὰρ . . . πάντες ἄνθρωποι καὶ κατὰ τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχήν, καὶ ἐπειδὰν ἐν τῇ ἡλικίᾳ γένωνται, τίκτειν ἐπιθυμεῖ ἡμῶν ἡ φύσις.* Desiderium procreandi igitur et corporibus hominum et animis insitum certa quadam aetate prorumpere dicitur. In eandem sententiam cadunt, quae extant p. 209 A s.: *τούτων αὖ ὅταν τις ἐκ νέου ἐγκύμων ᾖ τὴν ψυχὴν θεῖος ὢν καὶ ἡκούσης τῆς ἡλικίας τίκτειν τε καὶ γεννᾶν ἤδη ἐπιθυμῇ, ζητεῖ δὴ οἶμαι καὶ οὗτος περιιὼν τὸ καλὸν ἐν ᾧ ἂν γεννήσειεν.* Ceterum innatus esse atque necessarius non solum hic amor anguste circumscriptus, sed etiam latior ille intellegendus est, quem dixit Plato felicitatis esse (cf. 205 A). In Phaedro de hac re prorsus aliter iudicatur.[1]) Non enim homini insitus esse dicitur amor sed extrinsecus moveri: pulchritudo, quae in Symposio opus esse demonstratur, ut in ea

1) Cf. Bruns, N. Jbb. f. d. kl. Alt. V, 1900, p. 22.

fiat generatio, in Phaedro putatur amorem efficere. Quod cum ita sit, en quae in Phaedro inveniantur scripta (255 A): *προϊόντος δὲ ἤδη τοῦ χρόνου ἥ τε ἡλικία καὶ τὸ χρεὼν ἤγαγεν* (sc. *τὸν ἐρώμενον*) *εἰς τὸ προσέσθαι αὐτὸν* (sc. *τὸν ἐραστὴν*) *εἰς ὁμιλίαν.* Aetatis igitur maturitas non sine aliquo momento dicitur esse. Hac ipsa re significatur Platonem eo quidem quem attuli loco de naturali illo desiderio cogitasse, quod ceteroquin videtur, cum Phaedrum scriberet, prorsus neglexisse. Sensit ergo veritatem; nec tamen efficere aut potuit aut voluit, ut, quae recte sentiret, cum eis, quae praecipienda sibi proposuerat, concinerent.

Quantum vero Symposium virtute superet Phaedrum, tum intellegemus optime cum consideraverimus, quam Plato in illo amorum constituerit rationem atque disciplinam. Primum enim distinguit unum corporis alterumque animi desiderium procreandi. Utroque autem desiderio mortalis natura, quantum potest, immortalis aeternaque fieri studet. Iam ei, qui sunt corporibus gravidi, mulieres complexi corporeos liberos procreant. Qui autem animis gravescunt, ubi sunt maturitatem adepti, et ipsi expetunt pulchra, in quibus possint generare. Et primo quidem etiam illi corpora arripiunt, quoniam omnium gravissime corpora solent hominem afficere. Tamen non corporis explent sed animi libidinem; procreant autem *λόγους καλούς* (cf. 209 B ss. 210 A s.).

Amor definitus est desiderium generandi in pulchro. Quot ergo sunt genera pulchri, tot esse amoris genera necesse est. Plato autem quattuor maxime pulchrorum genera distinguit, quorum ut longius quodque distat a primo ita minus pertinet ad sensus. Tota videlicet sensibus subiecta est corporum pulchritudo, haud ita animorum, quae in moribus institutisque apparet; abstractior litterarum videtur pulchritudo esse; aversa autem ab omni mortalitate liberaque et se ipsa contenta una est pulchritudinis idea. Quibus pulchri generibus amoris singuli conveniunt tamquam gradus. Beatissimos efficit homines amor ideae; quem qui consecutus est, eius denique vita digna est quae vivatur (p. 211 D: *ἐνταῦθα τοῦ βίου . . . εἴπερ που ἄλλοθι, βιωτὸν ἀνθρώπῳ θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλόν*, cf. 211 E). Quam ob rem hic est, quem omnes expetunt, finis amoris (p. 210 A: *τὰ δὲ τέλεα καὶ ἐποπτικά, ὧν ἕνεκα καὶ ταῦτα ἔστιν . . .* cf. 210 E). Atqui non potest ad illud fastigium ascendi nisi per eos gradus, quos ante significavi. Qui igitur recte est amorem suscepturus, is primo advertet animum ad corpora[1];

1) Errat, si quis forte Platonem, cum dicat pulchra corpora, homines tantummodo intellexisse arbitratur. Namque de universae materiae

atque initio quidem unius tantum corporis pulchritudinem sentiet idque corpus amabit ex eoque gignet pulchras orationes; deinde omnium corporum pulchritudinem eandem intelleget esse atque hanc amore complectetur. Nunc altiorem amoris gradum consequitur. Corpora enim recusat petitque animos, etiamsi habitent in deterioribus corporibus, generatque *λόγους*, quibus erudiat amatos (cf. p. 209 B. 210 C). Ut autem nati ex corporibus, sic isti quoque ex animis liberi educantur et excoluntur sociata parentium opera, quorum eo fit artior inter se amicitia (cf. 209 C). Manifestum est Platonem etiam in Symposio maxime de virorum et adulescentium amore cogitasse: cuius generis perfectum habuit exemplum Socratis illum cum discipulis suis usum atque familiaritatem. Omnia autem, quae ad amorem pertinere existimantur, — in quibus eruditio illa eorum, qui amantur, cuius in Phaedro demonstravimus Platonem causam afferre a prima amoris definitione alienam, — haec omnia in Symposio videmus recte effici e desiderio procreandi in pulchro. Nec vero in isto gradu strenuus amator consistit. Is enim, postquam spectatis pulchris moribus institutisque honestum quid esset coguovit, nunc aggreditur litteras nec iam in singulis versatus pulchris universum pulchritudinis quasi mare quoddam contemplans amat; atque multa generat dicta et cogitata pulchra et magnifica incensus insatiabili studio sapientiae. Sic praeparato animo extremum gradum ascendit. Subito enim aspicit mirabile illud aeternumque pulchrum, quod neque oritur neque deletur neque augetur neque minuitur, solutum liberum, scilicet ideam. Iam non imaginem virtutis, sed ipsam procreat veramque virtutem atque id consequitur, ut fiat deorum amicus et, si quisquam umquam, immortalis.

Ista de animorum generatione et de eis, qui illa nascuntur, liberis decreta Symposii propria sunt. Atqui etiam in Phaedro, ubi de arte rhetorica disputatur, sententia quaedam eodem spectans occurrit, quae nescio quo pacto Symposii illa videtur interpretari. Eas enim orationes, quae ipsis discentium in animis inscribantur, Plato censet (p. 278 A) *δεῖν … αὑτοῦ λέγεσθαι οἷον ὑεῖς γνησίους εἶναι, πρῶτον μὲν τὸν ἐν αὑτῷ, ἐὰν εὑρεθεὶς ἐνῇ, ἔπειτα εἴ τινες τούτου ἔκγονοί τε καὶ ἀδελφοὶ ἅμα ἐν ἄλλαισιν ἄλλων*

pulchritudine eum cogitasse perspicuum est ex hisce verbis, quae sunt p. 211 D: ὃ (sc. *αὐτὸ τὸ καλὸν*) *ἐάν ποτε ἴδῃς, οὐ κατὰ χρυσίον τε καὶ ἐσθῆτα καὶ τοὺς καλοὺς παῖδάς τε καὶ νεανίσκους δόξει σοι εἶναι, οὓς νῦν ὁρῶν ἐκπέπληξαι.*

ψυχαῖς κατ' ἀξίαν ἐνέφυσαν.[1]) Itaque etiam hoc loco orationes liberi et quidem germani appellantur. Ex quo intellegi potest, quanti Plato eos aestimaverit, quod idem docuit Symp. p. 209 C: καὶ πᾶς ἂν δέξαιτο ἑαυτῷ τοιούτους παῖδας μᾶλλον γεγονέναι ἢ τοὺς ἀνθρωπίνους. Iam videtur notabile illud esse, quod Plato in Phaedro, cum tales orationes, quales demonstravit, tamquam germanos dicit liberos vocari oportere, cautionem quandam adhibet; quod eum fuisse facturum, postquam Symposium scripsit, minime est simile veri, nisi forte hac ipsa eum cautione significare voluisse suspicamur nunc sese deposuisse ea, quae esset in Symposio professus, atque orationes non nisi quodam modo similes liberis putare. At suspicionem istam censeo removendam esse; qua de causa enim Plato simplicem illam ac tam bene constitutam disciplinam, quam in Symposio explicavit, reliquisse et mutasse existimandus est hac minus apta, quam in Phaedro enarravit? Multo est veri similius eum, cum ipsius Phaedri scriberet partem priorem, nihildum de corporis animique liberorum similitudine meditatum esse neque id in animo habuisse, ut procreationis nota copularet illa duo amoris studia, quae omnino videbantur non posse conferri. Tum denique, cum extrema Phaedri moliretur, in illam incidit similitudinem, quam cum primo quidem cautius edidisset, postea diligenter percoluit. Si autem ante confectum esset Symposium, Platonem arbitror eam non potuisse nisi ita eloqui, ut se ea iam prius usum esse perspicue doceret.

Sane ne ea quidem, quae in Symposio de amore praecipiuntur, vitiis carent; quae maxime sunt inde nata, quod non prorsus eisdem semper Plato procreationis immortalitatis aliarum rerum notionibus usus est.[2]) At tamen nemo erit, quin Platonem in Symposio et vim amoris concedat subtilius et ingeniosius disputasse quam in Phaedro disciplinaque sua si non omnia, quae cadunt in rem, at certe pleraque complexum esse et explicasse optime. Minime igitur ego quidem arbitror Platonem id potuisse facere, ut perfecto Symposio descenderet ad illam in Phaedro rationis inconstantiam.

1) Quibus verbis Plato perficit ea, quae incohavit p. 276 E s. Hoc enim loco orationes dialectico more in animis ad id aptis ita dixit inserendas esse, ut quasi fruges ferrent novaque semina, unde aliae in aliis ortae orationes immortalitatem quandam efficerent ac felicitatem eius, in quo essent. Ad hunc respiciens locum Horn quoque (Platonstudien, Wien 1893, p. 270) in Symposio Platonem ea contendit executum esse, quorum in Phaedro docuisset elementa.

2) Hunc locum excussit M. Koch, D. Rede d. Sokrates in Plat. Symp. u. d. Problem d. Erotik, Progr. Berlin 1886.

Etiam in Phaedro Platonem apparet voluisse docere, quantopere homines ad studium virtutis amore impellerentur quamque nihil posset mentem a corporibus facilius traducere ad ideas quam pulchritudo, quae cum ipsa esset materiae expers, tamen clarissime videretur in corporibus ac vehementissime corpora afficeret. Cui proposito quin Plato minime satisfecerit, nemo sane dubitabit, ubi cognoverit, quae modo exposuimus. Namque vis illa, qua hominum animi gradatim compelluntur ad ea, quae sunt ab omni humana concretione segregata (cf. Bruns l. l. p. 23), nusquam describitur amor nisi in ipso denique Symposio. In Phaedro pulchra dicuntur haec duo posse efficere, ut aut solam concitent libidinem aut cum libidine ceteras quoque et meliores animi partes; ascendendi non datur facultas. Illa vero deorum aemulatio, quae in Phaedro laudatur, ad studium pulchri, quale est in Symposio descriptum, nihil pertinet. Amorem Plato in Phaedro non posse dixerat nisi in eis exsistere, quorum animi essent inter se cognati. Qua condicione, quam non continet prima amoris in Phaedro definitio, in Symposio non iam opus erat; itaque hic eam videmus expressis verbis a Platone revocari (cf. Bruns l. l. p. 25). Nam cum Aristophanes in sua oratione amorem contenderit desiderium esse sive dimidiae suae cuiusque partis sive genuinae unitatis, Socrates homines minime suum asseverat neque cognatum diligere aut amare, nisi quis forte suum intellegat bonum, malum autem alienum; nil enim nisi bonum homines amare (205 E). Quibus verbis ea quoque apparet repudiari, quae Platoni in Phaedro placuisse modo demonstravimus.

Bruns, qui primus exposuit, qua ratione Platonis de amore sententiae in Phaedro et in Symposio pronuntiatae mutentur et quasi progrediantur, cum alia tum hoc contendit (l. l. p. 22) amorem in Phaedro morbum, in Symposio naturalem affectionem dici. Ego vero de hac re utrumque dialogum arbitror consentire. Nam si morbus, ut in Phaedro, animi commotio humanae rationis expers intellegitur, amor in Symposio quoque morbus est; nec enim describitur solum eodem fere modo quo in Phaedro (cf. Symp. p. 211 D), sed etiam verbo ornatur prorsus eodem p. 207 A s.: *οὐκ αἰσθάνει ὡς δεινῶς διατίθεται πάντα τὰ θηρία, ἐπειδὰν γεννᾶν ἐπιθυμήσῃ . . . νοσοῦντα τε πάντα καὶ ἐρωτικῶς διατιθέμενα*; Sin vero — id quod a Brunsio communem usum secuto factum videtur — morbus dicitur ea animi affectio, qua ille aut aliquamdiu aut in perpetuum debilitatus iacet, ne in Phaedro quidem amor morbus est, quoniam in eo quoque, ut in Symposio, animum trahit ad felicitatem et ad deorum societatem.

Deinde Bruns amati, de quo in Phaedro sint permulta disputata, in Symposio nullam fere mentionem fieri commemorat. Cuius rei hae videntur causae esse. Amatum demonstrare, quemnam ex amore fructum perciperet, ipsa Phaedri ratio flagitabat; nam cum Lysias, ut amorem detrectaret, omnia enumerasset incommoda, quae amato ferre amorem simularet, Plato contra debebat docere non nisi summae felicitatis causa et amantibus et amatis amorem dari a deis. In Symposio autem quoniam non solum homines sed etiam artes ac litterae dicuntur posse amari, illud quidem, quid caperet ex amore lucri amatus, haud ita multum intererat explanare. Accedit, quod in Symposio Plato disputationem accuratissime studebat intra fines propositi cohibere; itaque quoniam amor, de quo agitur, eius est, qui amat, non qui amatur, de amantibus maxime, non de amatis sibi quaerendum putavit.

Illud porro Bruns (l. l. p. 24) eorum, quos spectamus, dialogorum dissimile ostentat, quod in Phaedro vere amantium artissima et per vitam constans dicitur coniunctio esse, in Symposio eadem reprobatur solaque conceditur brevis quaedam et submovenda animi impotentia. Ex quo efficit illum, qui scriberet Phaedrum, studiosissimum et insatiabilem fuisse amoris eumque existimasse infinitum; eundem, cum Symposium meditaretur, deposita intemperantia intellexisse omnem amoris vim non posse angustiis unius amicitiae perpetuae et quamvis beatae tamen quietae aperiri, sed latiorem aliquem desiderare campum. Mihi quidem Plato, cum Phaedrum componeret, idem videtur sensisse quod plerique tunc temporis viri, qui, cum amorem dicebant, maxime pervulgatum illum puerorum intellegebant amorem. Qui, quod Socrates eum usurpaverat, gravissimus Platoni et quodam modo sanctus videbatur. Hanc igitur Plato certissimam ac prope solam adipiscendae perfectae virtutis summaeque felicitatis viam arbitratus tantum in Phaedro finxit ardorem studiumque amoris, quanto ipse flagrabat in expetendis eis, quae suprema confidebat amori proposita esse. Nunc Socrates quidem, qui versari in definiendis rerum notionibus solebat, ad exsequendum illud munus amicorum colloquio videtur contentus fuisse; eundem, quia vitam potissimum moresque hominum praeceptis suis instituere volebat, ea quoque de causa aliorum consuetudine uti necesse erat. Plato autem ne ingeniosissimorum quidem amicorum studiosissimo usu multum se posse in ea, quam concupiscebat, sapientia proficere in dies magis intellexit; amici enim nec animi eius aequare cursum nec impetum ei dare poterant. Ipsius vero cum idem esset quod antea studium pulchri, iam sensit

pulchro se affici etiam eo, quod non in aliqua concretione appareret; quin vehementius movebatur litterarum pulchritudine eaque ad novas cogitationes impellebatur. Interdum denique divino instinctu concitatus nescio an forte ipsam sibi pulchritudinis ideam visus sit conspexisse. Itaque celsiora semper amore petebat, ut adulescentium usus nil nisi gradus ei ad fastigium videretur esse.

Omnes fere Platonis aequales id genus amoris maxime fovebant, quo expetuntur adulescentes. Mulierum amor nihil eis videbatur insigne nec dignum habere, de quo quaereretur (Bruns l. l. p. 21). Puerorum autem de amore et philosophi et rhetores studiosissime disputasse atque scripsisse putandi sunt. Eundem puerorum amorem Plato quoque excussit in Phaedro, retractavit in Symposio. Iam nos iuvabit cognoscere, quanam Plato ratione suam amoris disciplinam instituerit quidque de vulgata sententia iudicaverit. Nec enim ille puerorum amor, cui veteres studebant, idem erat quod amicitia; nam corporum pulchritudine excitatus corporum petebat osculationes et amplexus ac plerumque abibat in libidinem coeundi. Optimo igitur iure amor appellabatur. Pueros autem, qui amantium libidini obtemperabant, honesto verbo dicebant illis gratificari. Ab isto gratificandi more Platonis disputatio in Phaedro proficiscitur. Lysias enim potius ei, qui non amaret, quam qui amaret, contenderat gratificandum esse, quia ille non haberet, cur ea, quae nulla cupiditatis vi coactus promisisset, postea revocaret. Quam illiberalem atque foedam sententiam, qua impudicitia laudatur propter utilitatem, Plato vehementissime respuit (cf. Phaedr. p. 256 E). Nec tamen ita in Phaedro communem reliquorum cogitationem abdicavit, ut omnem illam puerorum gratiam reprobaret. Quam quidem esse contra naturam minime nesciebat (cf. p. 251 A); sed idem nemo erat qui nesciret. Etiam id Plato, cum Phaedrum scriberet, persuasum habebat debere homines opprimere vitiosam illam libidinem. Quod eum non facile duxisse officium optime intellegitur ex ea narratione, qua meliores animi partes a deteriore dicit ardentissime oppugnari. Tametsi igitur ex ceteris animalibus ne unum quidem sui sexus complexum petere haud ignorabat, tamen viros tali coitu vix aegreque se abstinere tum censuit posse, cum pulchros conspicati pueros eo excanduissent furore divino, qui in omnem eorum cogitationem ac voluntatem dominaretur. Ita igitur probavit quamvis invitus puerorum complexum. Quin autem ipse ardor amatorius plurimum valeret ad erudiendos et instituendos hominum animos, minime dubitavit. Socratem quidem, qui nil se scire nisi amatoriam artem ipse con-

tenderet atque etiam externam quandam amoris speciem consuesset prae se ferre, adulescentium maxime usu et consuetudine ad philosophandum concitari cognoverat. Sed etiam ipse virorum sive adulescentium amorem expertus acerrimeque eo ad expetenda summa bona stimulatus esse putandus est; quod si non ita esset, tantum studium contulisse eum ad cognitionem amoris omnino videretur mirum. Ipse igitur pulchritudinem corporum ut movere animum et impellere cogitationem ad meliora ita turpissimam quoque libidinem sensit suscitare. Quam Platonem quidem exemplum magistri sui secutum continuisse confido; testimonio videtur universa Phaedri dialogi ratio et expositio esse. Alii autem non pariter erant sui potentes. Sua igitur Plato aliorumque spectata vita omnem persuaserat sibi amorem, etiamsi videretur idearum ei proposita esse cognitio, nihilo minus tamen ad naturale illud omniumque animalium commune desiderium revocandum esse, quod animi non possent coercere nisi validissimi. Quam sententiam exponit in Phaedro. Casti scilicet illius gratia amoris, qui animos praeparat ad sapientiam atque virtutem, permittit virorum inter se complexum, quem, etsi turpet probum amorem, tamen nemo fere pulchri cuiusdam vi commotus possit recusare. In Symposio Plato non diserte nec aperte de stupro disputat. Distinguit autem eos, qui corporibus, aliosque, qui sint animis gravidi. Atque illos dicit (208 E) *πρὸς τὰς γυναῖκας μᾶλλον τρέπεσθαι καὶ ταύτῃ ἐρωτικοὺς εἶναι.* Vocabulo *μᾶλλον* nescio an voluerit significare esse etiam tales quosdam corporibus gravidos, qui non mulieres peterent sed viros. Quam rem non persequitur; multo enim magis id eius interest quaerere, quonam modo se gerant ei, qui gravescant animis. Hi autem primo quidem etiamsi et ipsi pulchra petant corpora, tamen procreant quiddam corpore carens scilicet orationes (cf. 210 A). Iam ex eis, quae significare Platonem in Symposio modo demonstravi, quid iudicaverit ille de libidinoso virilis sexus inter se amore, nos oportet colligere. Sensisse vero sic videtur. Sunt sane viri, qui cum suo sexu cupiant coire. Quam cupiditatem non dubito quin Plato ea ipsa de causa putandus sit vitiosam duxisse, quia facultas aliquid procreandi illis non erat. Nunc pulchritudo corporum non corporis solum sed animi quoque potest desiderium quoddam generandi movere: isto quidem modo virilis pulchritudo virorum solet afficere animos. Atque eius, qui animo gravescit, status similis est ei, qui corpore gravidus est; nam eadem est illius atque huius commotio ac perturbatio at tamen talis, ut non, quo modo in Phaedro instat libido, corporis flagitet

complexum. Probi amatoris exemplum Plato habebat Socratem, quem nullas potuisse artes adducere ad nequitiam Alcibiadis oratione declaratur. Itaque virorum complexum omnino esse repudiandum in Symposio non aperte docetur; at Socratis laude id Plato esse ab omnibus agendum significat, ut frangatur libido; quam cum excludat ex ratione sua ac disciplina, tantum valere eam, quantum censuerat in Phaedro, se non iam existimare ostentat. Reliquit igitur atque deposuit quodam modo eam sententiam, quam pronuntiaverat in Phaedro.

In Symposio, quo totum amoris nomen excutere sibi proposuerat, Plato ea quoque respicit, quae de Amoris specie ac persona vulgo ferebantur (p. 201 E—203 A). Deum autem Graeci credebant Amorem (p. 202 B: *ὁμολογεῖταί γε παρὰ πάντων μέγας θεὸς εἶναι*). Quos cum ita existiment dissentire secum ipsos Plato Diotimam sic facit demonstrantem: quicumque, quae ipsa explicasset ante, intellexerint, eos debere confiteri nec pulchrum esse Amorem nec bonum; quare quoniam deus nisi pulcher aut bonus non possit cogitari, Amorem non esse deum plane apparere. Quem potius adnumerandum esse daemonibus, qui sint mortalium et immortalium in medio quorumque opera efficiatur istorum inter se consuetudo et conversatio. Talis quaedam sententia in Phaedro nondum occurrit.[1]) In quo tametsi maxime de vi amoris disputatur, tamen semel Plato recurrit ad ea, quae de Amore tamquam numine volgus opinabatur, in transitione scilicet, qua a priore Socratis oratione ad posteriorem progreditur. Pagina enim 242 D Socrates Phaedrum evocat, ut concedat Amorem deum esse omnes consentire, ac paulo infra diserte asseverat se ipsum illud probare (*εἰ δ᾽ ἔστιν, ὥσπερ οὖν ἔστι, θεὸς ἤ τι θεῖον ὁ Ἔρως, οὐδὲν ἂν κακὸν εἴη*, cf. 242 C: *καί τινα φωνὴν ἔδοξα αὐτόθεν ἀκοῦσαι, ἥ με οὐκ ἐᾷ ἀπιέναι ... ὥς τι ἡμαρτηκότα εἰς τὸ θεῖον*). Ex eo autem, quod Amorem deum divinamque esse vim amandi inter omnes constet, amorem efficit non licere malum existimari. Cui concluso non repugnant, quae postea sunt in Symposio praecepta. Sin autem Phaedrus esset post Symposium scriptus, quis quaeso potest sibi persuadere Platonem ea opinione, quam in Symposio vehementissime refellit, in Phaedro iterum fuisse argumenti loco usurum? Itaque hac quoque consideratione Phaedrum ante Symposium confectum esse videtur comprobari.

1) Eandem video rem notatam ab Ueberwegio, Untersuchungen etc. p. 253.

Idem arbitror significari ea diversitate, quam in utroque capit dialogo usus nominis *δαίμων*. Nam in Phaedro quidem (274C) Theuth Aegyptiorum ille deus uno fere eodemque temporis momento *θεός* et *δαίμων* appellatur. Sequitur Platonem, cum ad communem usum sese applicaret, nihil tum inter utrumque vocabulum distinxisse. Voluit igitur *δαίμονα* in universum intellegi numen divinum. Eandem videtur significationem etiam Phaedr. p. 246E (*τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων*) tueri. Nunc sive ipsi Platoni sive ali cuilibet is usus debetur, quem exhibet Symp. p. 202D s., id quidem censeo pro certo esse affirmandum Platonem, si Phaedrum scripsisset post Symposium habitaque ratione eiusdem, notionem illam tam diserte in Symposio explanatam atque expressam nisi necessitate quadam coactum in Phaedro non fuisse depositurum.

Cap. 8. De partitione divini furoris. De vaticinatione et expiatione.

In Phaedro, quo amor dicitur *θεία μανία* esse, cetera quoque vel potius alia quaedam eiusdem insaniae breviter disputantur genera: *μαντική, τελεστική, ποιητική.*[1]) Qua re Teichmueller (Lit. Fehden im 4. Jh. v. Chr., 1. Bd. Breslau 1881 p. 118) optime declarari censuit Symposium ante Phaedrum scriptum esse. Nec enim quemquam existimavit posse dubitare, quin ea notio, quam recens percepimus, primo quidem dominetur in nostra cogitatione; deinde autem, cum utamur ea, etiam atque etiam intellegere nos non illam valere solam, sed aliis restringi notionibus, quae sint finitimae ei. Quid? Nonne eodem modo cum nos instituere facta nostra tum civitates ferre leges suas, ut priores rationes emendentur posterioribus? Quae cum ita sint, oportere nos eo uti iudicio, ut, si quo in libro quaedam notio sola inducatur et quidem dominetur, is liber putandus sit ante illum scriptus esse, in quo eadem notio restricta et cum aliis videatur superiori cuidam subiecta. Hoc igitur iudicio usus Teichmueller Phaedrum post Symposium arbitratur esse com-

1) Divisionem eam, qua *θείας μανίας* quattuor genera distinguuntur, continere omnia, quaecumque cadunt in rem, quoniam certa caret ratione, nemo exspectaverit, quamquam ei, qui inspexerit Phaedr. p. 265B, Plato ipse videatur in illa opinione versatus esse. Nam ut alias quaerere omittam, *φιλόσοφον* desideramus *μανίαν*, quam Symp. p. 218B nominat Alcibiades Phaedrique p. 249C D describit Plato, etiamsi ipso vocabulo non utatur.

positum. Nec tamen in eis, quae disputat, ulla est vis ad persuadendum. Nam primum quidem eam notionem, quam recens intellectam percepimus, omnino dominari in nostra cogitatione quis est qui concesserit? Etiamsi enim unam tantummodo nobis proprie definiendam proposuerimus rem, tamen non percipimus eius notionem, nisi eas cognovimus notas, quibus illa differat ab aliis eiusdem generis rebus; quod ipsum minime possumus, nisi scimus finitimas species. Itaque Platoni, cum amorem in Phaedro divini furoris definiret quandam speciem, alias quoque eiusdem generis species obversari ita erat necesse ut idem in Symposio (p. 205 D), cum amorem vellet *πάσῃ τῶν ἀγαθῶν ἐπιθυμίᾳ* tamquam speciem subicere, id perspexisse existimandus est non generatione modo sed etiam *ἢ κατὰ χρηματισμὸν ἢ κατὰ φιλογυμναστίαν* bonum nos posse petere et consequi. Vitiosissima vero ea est ratio, qua Teichmueller cogitationem ac definitionem similem censet esse hominum actionibus. Agere nos frequenter vel potius plerumque singulis quibusdam momentis perductos, donec istam esse mancam rationem intellegamus, quis est qui neget? Qua tamen re illud, quod voluit Teichmueller, non probatur. Is quidem si prius quam plures notiones certa quadam ratione inter se copulemus, illas nos solere ac debere seiunctim disquirere affirmasset, recte me hercle videretur dixisse; verum tamen in eos, de quibus agitur, dialogos non cadit istud iudicium, quoniam in Phaedro similes sane quaedam species eiusdem generis occasione data proponuntur, non tamen certissima ratione earum notiones inter se iunguntur. Maxime denique mihi quidem videretur mirum atque alienum esse, si Plato postquam in Symposio amorem tam subtiliter, quam diximus, definisset[1]), tum, cum eam notionem cum aliis conaretur conectere, in Phaedro recurrisset ad definitionem tam late patentem quaeque parum indicaret vim propriam amoris.

Ceterum in Symposio quoque (202 E s.) respicitur ad eam similitudinem, quae est amori cum artibus et divinandi et expiandi, quas Graeci vocant *μαντικήν* et *τελεστικήν*. Haec enim tria dicuntur ad daemones referenda esse; daemones autem Plato eos vult intellegi, quorum opera fiat deorum hominumque conversatio. Talis est amor, qui hominum animos ducit ad sapientiam ac vir-

1) Etiam de hac re Teichmueller aliter sentit quam alii. Contendit enim l. l. in Symposio amorem, cum complecti nil nisi pulchrum dicatur, incertius definiri quam in Phaedro. Quod quo modo intellegam, plane nescio.

tutem, id est ad societatem deorum. Nec porro *μαντική* nec *τελεστική* carere potest daemonum concursu; utraque enim nascitur e cognitione rerum divinarum. Daemones igitur hominum animos mortalitatis quasi vinclis liberant et perducunt ad divinitatem; quo munere in Phaedro fungitur divina insania, quam eam ob causam nescio an liceat et ipsam adnumerari in daemonibus, ut videatur in utroque dialogo eadem esse amoris, divinationis, expiationis similitudo atque cognatio. Nec tamen ipse Plato in hac re altero dialogo se respexisse ad alterum ullo modo significat. Eos homines, qui consuetudine deorum utuntur, Plato appellat daemonios (Symp. 203A). Talis describitur in Symposio (201D) Diotima, quae Platonem docuerat artem amatoriam; expiatoriae suae artis specimen dederat Athenis dilationem pestis efficiendo in decem annos atque vatem esse eandem Platonem voluisse *Μαντινικῆς* nomine significare mihi quidem videtur veri simillimum; quam cum ita fingeret Plato illarum trium artium cognationem iterum ostentavit sibi videri artam atque necessariam. Quod etsi ita est, nihilo tamen minus non in eodem eas habuit pretio. Nam humanorum studiorum ordinis, quem statuit Phaedr. p. 248D, amatoria quidem ars primum, vaticinatio autem et expiatio quintum habent locum. Principatum illum amatoria obtinuit propter philosophiam, cuius est quasi dux et comes; vaticinatio autem et expiatio philosophia vacant, quoniam eae quamvis nascantur opinionibus veris, tamen carent ipsa veri cognitione ac perceptione.

Scimus etiam Socratem insitam illam vocem, qua se moneri dicebat, *δαιμόνιον* appellasse (cf. Phaedr. p. 242B s.). Utrum vero de daemonum natura item vel similiter senserit ac Plato fecit in Symposio, ignoramus.

Cap. 9. De philosophia.

Magis necessaria ac maioris momenti ad intellegendam Platonis disciplinam quam vaticinationis et expiationis cum amore similitudo ea est ratio, quam habet amor cum philosophia. Prius autem quam accedamus ad examinandum hunc locum, breviter explicemus oportet, quo sint tempore inventa quidque significent verba *φιλοσοφία*, *φιλόσοφος*, *φιλοσοφεῖν*. Atque primus fertur Pythagoras contemplationem rerum cognitionemque *φιλοσοφίαν* appellasse (Cic. Tusc. disp. V, 3, 8s.); quod esse fictum nunc plerique consentiunt viri docti. Verus autem quis fuerit nominis inventor, nescire nos existimo fatendum: nec enim Ferd. Duemmleri[1]) sententia,

1) Akademika, Gießen 1889 p. 276.

qui Prodicum coniecit, satis mihi videtur probata esse. Philosophandi verbo Herodotum non esse usum ut concedam, Wilamowitzii[1]) confidentia me non potest commovere; neque cetera argumenta, quibus ab Atticis hominibus philosophiae et philosophi vocabula inventa esse idem affirmare studet, mihi videntur quidquam valere.[2]) Equidem fuisse ea Socratis temporibus et apud Atticos aliosque arbitror scriptores, sed maxime relata ad omne studium eruditionis; qui autem ante Socratem philosophi fuerunt, eos ab Herodoto Xenophonte Platone σοφιστάς vocatos invenimus sive σοφούς.

Proprie Socrates videtur primus usus esse verbo φιλοσοφεῖν, quo significaret id studium, in quo maxime versabatur, videlicet demonstrandi nec se nec alios scire quidquam alicuius pretii. Non tamen certis terminis vocabulum φιλοσοφία circumscripsit. Quod cum a Socrate discipuli eius accepissent, Plato expressit ac definivit accuratius. Socrates, si quidem eius rationem dicendi Platonem in Apologia bene imitatum esse licet existimare, eam sapientiam, quam sibi videbatur assequi posse, ut sciret se nihil scire, σοφίαν putandus est ita vocasse, ut eam humanam esse sapientiam, veram autem solum ad deos pertinere profiteretur. Post eum Plato sibi quidem σοφίαν non vindicat; iterum iterumque nisi deos neminem sapientem dicit humanamque cognitionem omnem nil nisi appetitionem sive studium affirmat esse sapientiae, id est φιλοσοφίαν. Itaque cum sophistae ipsam contenderent sapientiam se occupasse, quam ob rem a Platone non sine aliqua simulatione et irrisione saepissime appellantur σοφοί, ille se modeste dicebat philosophum; multis autem locis eodem vocabulo ita usus est, ut certissimam quandam scientiam significaret: voluit enim philosophiam cognitionem esse eorum, quae sunt ipsa per se, id est notionum sive idearum. Latiorem autem illam, de qua ante diximus, significationem ubi Plato retinuit, latine quidem ita propemodum vertendum est, ut φιλοσοφία sit omnino studium cognoscendi.

Universalem istam significationem Plato vocabulis philosophiae et philosophandi in eis quoque dialogis non numquam tribuit, de qui-

1) Philol. Untersuchungen hg. v. Kießling u. U. v. Wilamowitz-Moellendorf I Aus Kydathen. Berlin 1880 p. 215.

2) Istam quidem Wilamowitzii sententiam reiecit etiam E. Maaß, Herm. 22 p. 570 annot.; atque eandem fortasse arripuit Diels, Arch. f. Gesch. d. Philos. II p. 87, etsi per verba eius non prorsus liquet. Nec vero Maassium, id quod l. l. Duemmler contendit, ea video aspernatum esse, quae de nova illorum vocabulorum ratione a Platone instituta Wilamowitz exposuit.

bus nunc quaeritur. Cuius rei exemplum Natorp (Herm. 35, 1900 p. 408) repetit ex Phaedr. p. 239 B; Symposii nos revocamus p. 173 A C. 182 B. 184 D, quibus Apollodorus et Pausanias vocabula illa usurpant. Saepissime nec potest disceptari neque interest quidquam scire, utra Platoni significatio obversata sit. In Phaedro Symposioque quoniam ipsa philosophiae vis excutitur, si non ceteri at sane Socrates plerumque angustiorem notionem cogitasse putandus est. Ad nomen philosophi pertinent, quae sunt Phaedr. p. 278 D, ubi de eo sive oratore sive legum latore, qui perspexerit rerum naturam, haec dicens fingitur Socrates: *τὸ μὲν σοφόν, ὦ Φαῖδρε, καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν· τὸ δὲ ἢ φιλόσοφον ἢ τοιοῦτόν τι μᾶλλόν τε ἂν αὐτῷ ἁρμόττοι καὶ ἐμμελεστέρως ἔχοι.* Quae cum Plato ita decrevisset, philosophi nomen desiisse incertum esse Natorp (l. l.) recte iudicat.[1] Intellegitur autem ex eis quae attulimus verbis Platonem, cum scriberet ea, nondum solitum esse philosophi nomine ita uti; nam si iam ante Phaedrum talia conscripsisset qualia sunt illa in libris de Republica exposita, quae hisce terminantur verbis (p. 480 B): *τοὺς αὐτὸ ἄρα ἕκαστον τὸ ὂν ἀσπαζομένους φιλοσόφους ἀλλ' οὐ φιλοδόξους κλητέον,* dubito an in Phaedro ad *φιλόσοφον* non fuerit *ἢ τοιοῦτόν τι* additurus. Cum illis, quae ex Phaedro supra repetivimus, ea sunt conferenda, quae Symp. p. 203 E ss. scripta videmus. Hic enim dicitur philosophus nec sapiens nec insipiens, sed in medio esse utriusque generis. Atque philosophum non esse sapientem his confirmatur verbis (204 A): *θεῶν οὐδεὶς φιλοσοφεῖ οὐδ' ἐπιθυμεῖ σοφὸς γενέσθαι· ἔστι γάρ· οὐδ' εἴ τις ἄλλος σοφός, οὐ φιλοσοφεῖ.* Quae qui legerit, eum suspicor ita esse iudicaturum, ut, quae sint in Phaedro incohata, ea ad finem perduci in Symposio existimet. Nam quid interesset inter *σοφόν* et *φιλόσοφον*, in Phaedro sensisse quidem Plato, explicasse autem et comprobasse in Symposio videtur. Quid igitur? Nonne hac quoque re Symposium post Phaedrum scriptum esse confirmatur? At repugnat isti rationi, quod in Lyside (p. 218 A s.) haec leguntur: *διὰ ταῦτα δὴ φαῖμεν ἂν καὶ τοὺς ἤδη σοφοὺς μηκέτι φιλοσοφεῖν, εἴτε θεοὶ εἴτε ἄνθρωποί εἰσιν οὗτοι· οὐδ' αὖ ἐκείνους φιλοσοφεῖν τοὺς οὕτω ἄγνοιαν ἔχοντας ὥστε κακοὺς εἶναι· κακὸν γὰρ καὶ ἀμαθῆ οὐδένα φιλοσοφεῖν. λείπονται δὴ*

1) Idem iam antea sensit et explicavit U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Philol. Unters. I p. 216. Cf. etiam novissimum Natorpii opus (Platos Ideenlehre, Lpz. 1903) p. 64 s.

οἱ ἔχοντες μὲν τὸ κακὸν τοῦτο, τὴν ἄγνοιαν, μήπω δὲ ὑπ' αὐτοῦ ὄντες ἀγνώμονες μηδὲ ἀμαθεῖς, ἀλλ' ἔτι ἡγούμενοι μὴ εἰδέναι ἃ μὴ ἴσασι. διὸ δὴ καὶ φιλοσοφοῦσιν οἱ οὔτε ἀγαθοὶ οὔτε κακοί πω ὄντες. Quae non solum consentiunt cum eis, quae sunt Symp. p. 204 A, sed etiam amplificare illa et augere videntur. Lysis autem ab adulescente Platone multo ante Phaedrum Symposiumque compositus esse vulgo putatur. Quod si recte existimatur, sententiae illae, quas in Symposio vidimus exponi, ad adulescentem Platonem referendae, in Phaedro autem, ubi recurrendi ad eas data erat occasio, nescio qua causa omissae esse putandae sunt, ut nos temere videamur conclusisse ea, quae sint praesensa in Phaedro, in Symposio denique explanari. Accedit, quod in Lyside, quae maxime est digna res notatu, alia quoque non nulla pronuntiantur, quae pariter vel similiter aut in Phaedro dicuntur aut in Symposio, ut difficillimum videatur diiudicare, quo sit Lysis loco inter Platonis scripta collocandus. Num forte ponendum eum post Phaedrum quidem censeamus, sed ante Symposium, cuius sint semina in Lyside iacta? An Lysis omnino non pertinet ad Platonem, sed potius ad alium aliquem scriptorem, qui in Platonis Phaedri Symposiique et in Xenophontis Commentariorum cognitione diligentissime versatus Socratis rationem disserendi atque Platonis artem et elegantiam bene didicerit? Quam suspicionem puto a similitudine veri non prorsus esse alienam atque etiam semel video editam a Schaarschmidtio (Die Samml. d. Plat. Schr. z. Scheidung d. echten v. d. unechten unters., Bonn 1866 p. 396 ss.) Fateor tamen istam quaestionem priusquam possit diiudicari accuratissime iterum esse excutiendam; nec enim prompto quisquam animo elegantissimum illum dialogum Lysim abiudicaverit a Platone[1]).

1) Schaarschmidt Lysim esse Platoni subditum confirmasse sibi videbatur. Idem quod ille etiam Zeller (Philos. d. Gr. 1. ed. II, 170 annot.) olim sensit; postea autem deposuit eam sententiam. Sectatores Schaarschmidtii nullos video; in refellendo eodem maximam consumpsit operam K. Schimek, Üb. d. Echth. d. plat. Dialogs Lysis, Progr. Wien 1874. Nostra quidem id unum nunc interest scire, quae sit Lysidi ratio cum Phaedro et Symposio. Quam qui adhuc exquirere sibi proposuerunt, non in eam miror se dedisse viam, qua reor sola posse veritatem inveniri. Id enim maxime censeo, si possit fieri, statuendum esse, an Plato, si ea, quae in Phaedro et in Symposio explanantur, in Lyside iam ante expresserit aut significaverit, dialogos illos hac ipsa, qua fecit ratione potuisse scribere putandus sit. Ut aliis utar verbis: sententiarum in Lyside Phaedro Symposio progressionem quandam necessariam videri — id puto esse praecipue demonstrandum. Haec mihi res videtur digna, in quam aliquod conferatur studium.

Prius igitur quam Lysim non esse ante Phaedrum Symposiumque scriptum probaverimus, ne eis quidem licebit argumentis uti, quibus nos supra putabamus confidere posse. Iam illud vero plane perspicuum est Platonem eam quam ante habuit in Phaedro sententiam de ratione, quae inter philosophiam et amorem esset, postea mutasse in Symposio. In Phaedro enim utramque artem divinae vidimus *μανίᾳ* subici, quae animo evadit ex recordatione idearum olim conspectarum. Philosophus quidem — sic enim videtur Platoni placuisse — omnium idearum sive totius veritatis in recordatione et contemplatione versatur (cf. Phaedr. p. 249 C: *πρὸς γὰρ ἐκείνοις ἀεί ἐστιν μνήμῃ κατὰ δύναμιν, πρὸς οἷσπερ θεὸς ὢν θεῖός ἐστιν*); amator autem una movetur pulchritudine, quae omnium habet idearum clarissima simulacra, ut prae ceteris vehementissime hominum et corpora possit per eaque animos percutere. Sequitur, ut non sit idem philosophus atque amator, id quod non nulli solent praedicare; nam cum philosophum esse eundem amatorem sit necesse, non erit amator semper plene philosophus. Est enim amor philosophiae pars ac tamquam gradus, per quem ad illam possit ascendi, quandoquidem animo sensibus adhuc obnoxio is primum obtendit ideam. Nec id solum; nam potest fieri, ut ad plenam perfectamque philosophiam ipse amor hominem perducat (cf. 256 A: *ἐὰν μὲν δὴ οὖν εἰς τεταγμένην τε δίαιταν καὶ φιλοσοφίαν νικήσῃ τὰ βελτίω τῆς διανοίας ἀγαγόντα . .*). Amator enim eum, quem pro suo sibi ingenio elegit amandum, ad similitudinem eius dei studet conformare, quem est uterque antequam in terram decideret secutus; quam rem ut possit exsequi, ipsum oportet illi se dedere deo cognoscendo, id est philosophari. Eruditio amati autem eas postulat philosophas orationes, de quibus dicitur p. 257 B (*πρὸς Ἔρωτα μετὰ φιλοσόφων λόγων*). Itaque amor dux hominum est ad philosophiam; discernitur quidem alter ab altera, sed vinculo videntur artissimo iuncta; gradatim hominibus ab amore propter huius ipsius vim ad philosophiam esse progrediendum Phaedri nusquam statuitur. Nec Platonem voluisse utriusque artis necessariam esse cognationem, ex ipsis eius verbis videtur apparere; dicit enim p. 249 A: *παιδεραστήσαντος μετὰ φιλοσοφίας* et p. 257 B: *Ἔρωτα μετὰ φιλοσόφων λόγων*.

In Symposio bis Plato, quae sibi videatur inter amorem ac philosophiam ratio esse, indicat. Ac primum quidem Amorem esse philosophum profitetur (204 B). Nam amorem petere pulchra; itaque, quoniam in pulcherrimis sit sapientia, sapientiam quoque ab amore peti. Amorem autem Plato hoc loco sic intellegit, ut sit

amplissima eius notio, qualem in fabula de origine Amoris ficta cogitavit. Et ipsam pulchri notionem quam latissime vult patere; quo fit, ut philosophia possit pars amoris dici ac philosophandi studium, quod necessario ad amantem pertinere in Phaedro minime efficitur, ipsa amoris vi contineatur. Nec tamen Plato in prima illa amoris definitione acquiescit. Intellexit enim, ut tueretur communem dicendi usum, sibi illam esse restringendam. Nec enim omnis pulchri vel boni appetitio amor appellatur nisi quae certa quadam utitur ratione. Cf. p. 205 C s.: *τὸ μὲν κεφάλαιόν ἐστι πᾶσα ἡ τῶν ἀγαθῶν ἐπιθυμία καὶ τοῦ εὐδαιμονεῖν ὁ μέγιστός τε καὶ δολερὸς ἔρως παντί· ἀλλ' οἱ μὲν ἄλλῃ τρεπόμενοι πολλαχῇ ἐπ' αὐτό, ἢ κατὰ χρηματισμὸν ἢ κατὰ φιλογυμναστίαν ἢ κατὰ φιλοσοφίαν, οὔτ' ἐρᾶν καλοῦνται οὔτ' ἐρασταί, οἱ δὲ κατὰ ἕν τι εἶδος ἰόντες τε καὶ ἐσπουδακότες τὸ τοῦ ὅλου ὄνομα ἴσχουσιν.* Hoc loco iterum Plato, quae intercedat inter amorem ac philosophiam ratio, explicat: angustioribus hic terminis circumscriptus amor a philosophia diligenter distinguitur. Appetitio pulchri eius est generis notio, cui ambo subiecta sunt; dissimilis est ratio, qua utrumque ad id adspirat, quod eis communiter est propositum. Differt autem amor a ceteris speciebus *τῆς ἐπιθυμίας τῶν καλῶν* generatione: *ἔστι γάρ ... οὐ τοῦ καλοῦ ὁ ἔρως .. ἀλλά .. τῆς γεννήσεως καὶ τοῦ τόκου ἐν τῷ καλῷ* (p. 206 E). Philosophia qua se aperiat actione non exponitur. Nimirum Plato de hac re non posse dubitari censet. Est enim philosophia appetitus vel studium sapientiae. Sapientiam autem Plato cognitionem dicit veritatis sive idearum. Sane quidem philosophia in Symposio non expressis verbis ita definitur; sed in eodem libro quoniam scientiam de ideis video iam excultam, ne nomine quidem philosophiae Platonem ut incerto arbitror usum esse. Quae ut sit dubia res, at certe Socratem scimus philosophiam eam intellexisse cogitationem rerumque comparationem et spectationem, qua inveniantur illarum notiones. Nunc quaeritur, utrum philosophia et amor, si quidem eiusdem eas appetitionis diversas rationes definimus, tam bene possint discerni quam visa Platoni sunt. Accuratius autem disquirenti amatoriam artem, qualem in Symposio descripsit Plato, non posse sine philosophia esse apparet. Nam desiderium generationis in pulchro non possumus explere, nisi id adest pulchrum apte paratum, in quo fiat generatio; paratum vero planeque perspicuum nobis pulchrum non solet adesse nisi quod petimus in inferioribus amatoriae artis gradibus. Ubi autem non in una quadam certissimaque re, sed in ea pulchritudine, quam ex plurium pulchrorum complexione animo contem-

plamur, fit generatio, tum nos ante oportet philosophiam adhibuisse[1]). Etsi igitur non idem Plato censet philosophiam atque amorem esse, tamen ei, qui conatur recte (*ὀρθῶς* p. 210 A) amare, artissime illa inter se videntur iuncta. Quod cum bene sensisset Plato non nisi semel atque incerte pronuntiavit (210 D): *ἵνα ... ἐπὶ τὸ πολὺ πέλαγος τετραμμένος τοῦ καλοῦ καὶ θεωρῶν* (sc. *ὁ ἐρωτικὸς*) *πολλοὺς καὶ καλοὺς λόγους καὶ μεγαλοπρεπεῖς τίκτῃ καὶ διανοήματα ἐν φιλοσοφίᾳ ἀφθόνῳ*. Quibus ipsis ex verbis ne id quidem potest intellegi, utrum solam contemplationem *τοῦ πολλοῦ πελάγους τοῦ καλοῦ* an etiam magnarum orationum et cogitationum generationem Plato voluerit philosophiam dici.

M. Koch in ea quam saepius laudavimus dissertatione (p. 16) antiquorum scriptorum expositiones cogitatione negat vitiosa vacare: nec obscuritate ego existimo. Non est, cur metuamus, ne iniuriam Platoni inferamus, si eum contendimus eam rationem, quam inter philosophiam amoremque intercedere sensit, non perfecte explicasse. Quod suspicor eum ne voluisse quidem; atque vereor ne supponamus ei aliena, si singula eius dicta, cum ipse videatur consequentia non semper esse cogitatione persecutus, ratione certa comprehendamus. Platonem opinor, cum scripturus esset Symposium, id sibi proposuisse, ut amorem propter cognationem philosophiae, quam duxit omnium virtutum complexionem esse, doceret summam vim habere, quae ferret homines ad pulchrum bonumque. Quamvis autem amoris notionem similem fingeret philosophiae, tamen interesse aliquid inter utramque primo quidem bene meminerat (cf. 205 D); deinde autem studio et ardore perductus est eo, ut non numquam fines, quibus distinentur, neglegeret[2]). Atqui Symposii ratio — id quod mihi proposui demonstrandum — longe superat Phaedri; in Phaedro enim quamquam idem apparet philosophiam amoremque inter se copulandi studium, tamen non pariter bene haec res processit atque in Symposio.

1) De necessitudine, quae inter amorem esset dialecticamque, postquam haec scripsi et quae proxime sequuntur, Ferd. Hornium (Platonstudien, Wien 1893 p. 281 ss.) inveni uberrime disserentem. Conferenda est etiam Caroli Boetticheri dissertatio, quae inscribitur: Eros u. Erkenntnis bei Plato in ihrer gegenseitigen Förderung u. Ergänzung, Berlin 1894, p. 22.

2) Boetticher quidem (l. l. p. 20), si quis supremum amatoriae artis gradum ascenderit, prorsus eandem censet rem amatori esse propositam ac philosopho, eodem modo perturbari et moveri, eundem fructum capere utrumque. Haud scio an forte diversitatem quandam quamvis exiguam ex Platonis verbis colligere possimus; sed odiosum duco nimis indulgere coniecturae.

Quid vero Platonem impulisse putemus, ut illas gravissimas amori partes tribueret, quae ad eum pertinere nobis primo quidem minime videntur?

Cuius rei ut exquirere causam possimus, ad Socratem oportet recurramus. Socrates enim veritatem non posse putavit inveniri, nisi quaerendi operam sociarent plures, qui alius ex alia parte eandem rem spectarent. Itaque colloquendi ratione utebatur in philosophando: dialectica, id est recte colloquendi ratione, contineri duxit artem definiendi. Atque ut expleret suum philosophandi studium, cum omnes adibat homines, quicumque ei se dabant obviam, tum maxime petebat adulescentes alacres et cupidos discendi. Amator igitur videbatur esse, quales tum multi erant Athenienses; quam ipse speciem augebat, cum illorum imitaretur habitum rationemque nec quidquam aliud se diceret scire nisi artem amatoriam. Ex Alcibiadis illa in Symposio oratione intellegi potest, quanto Socrates ipsius amore adulescentium inflammaverit animos; quod ut efficeret, arte eum vidimus dialectica uti. Socratis igitur et dialectica ars et amatoria eodem spectabant. Cuius consociatae artis nomen, quod cum irrisione quadam suimet Socrates usurpaverat, Plato retinens eam philosophiae amorisque necessitatem, quam esse Socratis vita probabatur, ratione conatus est demonstrare; haud scio an id quoque eum commoverit, quod non solum in Socrate, sed etiam in ceteris amatoribus, qui colloquiis et eruditione adulescentes temptabant, eadem videbatur amoris ac philosophiae cognatio apparere. Totum hunc explicare locum Plato et Phaedro et Symposio ausus est. Et Socrates quidem dialecticam non dubitaverat omnino dicere eroticam; Plato, qui propriam utriusque artis vim invenire et omnia, quaecumque amoris nomine vocantur, respicere studeret, non potuit eas contendere utique idem esse. Tamen utriusque esse et causam communem et maximam ceteris quoque rebus necessitudinem ut quam posset dilucidissime doceret, vehementer enisus est. Atqui ab eis, quae Socrates senserat, Plato mihi quidem videtur aliquantum declinasse. Socrates enim amorem ea potissimum de causa existimaverat ad philosophiam pertinere, quod amantes ex colloquiis, quae cum adulescentibus instituunt, maximum capiunt cognitionis fructum; Plato autem amoris ac philosophiae cognationem ex appetitione pulchri utriusque communi ducebat. Quam sententiam quo modo aliter Plato in Phaedro aliter in Symposio explicaverit ac probaverit, supra demonstravimus; hoc loco id nostra unum interest ostendere, qua ille re adductus tantum tribuerit amori. Quamvis autem magnam ad philosophandum vim in amore Plato posuisse

videatur, tamen eos arbitror valde errare, qui Zellerum (Ph. d. Gr. II, 1^4 p. 609ss.) secuti amorem dicunt innatum philosophandi studium a Platone intellegi. Istam sententiam neque in Phaedro neque in Symposio proferri satis mihi videor plane docuisse. Namque Plato tametsi amorem etiam si quis primum eo capitur inscio ipso amante moveri idea putat atque hac ipsa de causa omnem amorem ad philosophiam incitare animos certissimumque illius auctorem esse confidit, tamen simpliciter eum omninoque esse desiderium cognitionis nusquam praecipit (cf. M. Koch l. l. p. 13s. et Ferd. Horn l. l. p. 281ss. maximeque p. 284 annot.).

Amoris vero ac philosophiae — ut hunc quoque locum explicemus — haec in Symposio dicuntur vicissitudines esse: primo quidem homines pulchrorum corporum amore commoventur, ut ipsorum aut corporum aut animorum studeant generandi desideria explere; deinde philosophia inducuntur, ut neglectis singulis rebus universalia petant gradatimque ascendentes celsiora sibi et absolutiora parent, ex quibus possint tamquam liberos procreare. Ab amore igitur profecti philosophiam consequuntur relictaque philosophia iterum revertuntur ad amorem, id est studium generandi.

Cap. 10. De ideis atque de animo.

Et philosophiae autem et amori idem est finis propositus veritas (*ἀλήθεια* Phaedr. p. 248B. 249B, *τἀληθῆ* ibid. 247D. 248C, *τὸ ὄν* ibid. 247D. 248B, *τὰ ὄντα* ib. 248A. 249E, *τὸ ὂν ὄντως* ib. 249C, *τὰ ὄντα ὄντως* 247E, *οὐσία ὄντως οὖσα* 247C); at philosophia omnem amplexatur veritatem, qua cum alia continentur tum *αὐτὴ δικαιοσύνη*, *σωφροσύνη*, *ἐπιστήμη* (Phaedr. 247D), amor unam sequitur pulchritudinem (*αὐτὸ τὸ κάλλος* Phaedr. 250E, *τὸ θεῖον καλόν* Symp. 211E, *τὸ ἀληθὲς καλόν* ib. 212A), qua scilicet ipsa in Symposio quidem statuitur tota contineri veritas. Iam vera Plato, qualia sint, in Phaedro breviter et universe, in Symposio proprie abundeque explicat. Verum autem negat quidquam nisi ideas esse, quas oportet nobis ita fingamus, ut rerum notiones, quales concipere mente solemus, substantia quadam immortali praeditas et ab omni natura solutas cogitemus.[1]) Carent igitur colore forma

1) Istam fuisse Platonis sententiam Aristoteles clamat. Quem quid ille voluisset parum perspexisse Natorp arbitratus novissimo suo libro (Platos Ideenlehre), qui perfecta hac dissertatione in meas venit manus, ideas a Platone non tales fingi, quales a rebus segregatae similiter atque illae exsisterent, sed, cum essent in rebus, non nisi cogitatione secerni demonstrare conatus est; errorem Aristotelis verborum maxime

corpore (Phaedr. 247 C) nec omnino possunt sensibus percipi. Cf. Symp. p. 211 A: οὐδ' αὖ φαντασθήσεται αὐτῷ τὸ καλὸν οἷον πρόσωπόν τι οὐδὲ χεῖρες οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν ὧν σῶμα μετέχει et p. 211 E, ubi αὐτὸ τὸ καλόν dicitur οὐκ ἀνάπλεων esse σαρκῶν τε ἀνθρωπίνων καὶ χρωμάτων καὶ ἄλλης πολλῆς φλυαρίας θνητῆς. Animus autem proprio quodam oculo instructus est, quo possit ideas videre (Symp. 212 A: ὁρῶντι ᾧ ὁρατὸν τὸ καλόν; cf. Phaedr. 247 D: καθορᾷ μὲν αὐτὴν δικαιοσύνην, καθορᾷ δὲ σωφροσύνην etc.); non igitur inepte Phaedr. p. 250 C ideae vocantur φάσματα et Symp. p. 211 A τὸ καλόν dicitur φαντάζεσθαι. Idea neque oritur (Phaedr. 247 D: ἐπιστήμην, οὐχ ᾗ γένεσις πρόσεστιν) nec deletur, sed sempiterna est (Symp. 211 A: ἀεὶ ὂν καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον); nec augetur ea nec minuitur (ibid. οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθῖνον, cf. et. 211 B) nec alia adhibita ratione alia videtur (cf. quae sunt exposita Symp. p. 211 A et Phaedr. p. 247 E: ἐπιστήμην, οὐδ' ἥ ἐστίν που ἑτέρα ἐν ἑτέρῳ οὖσα), sed usque eadem certissimaque est. Singulae quidem res idearum aliae aliter sunt participes; ipsae vero ideae semper manent simplices (ἁπλᾶ φάσματα Phaedr. 250 C, αὐτὸ καθ' αὑτὸ μεθ' αὑτοῦ μονοειδὲς ὄν Symp. 211 B cf. 211 E).

Ex eis, quae contuli, arbitror plane intellegi dialogos hos, de quibus loquimur, de plurimis summisque idearum notis inter se consentire (cf. Horn l. l. p. 284 s.); verum tamen in Phaedro illae breviter tantum significantur, in Symposio describuntur copiosius. Quod cum ita sit, Phaedrus Symposiumque ea denique videntur aetate scripta esse, qua Plato rerum notiones ab humana cogitatione solutas per se esse sibi persuaserat. Dissentiunt vero eidem inter se dialogi de ratione, quae sit ideis et cum rebus et cum animis. In Phaedro enim ideae quasi exempla existimantur esse, quorum res sint simulacra (ὁμοιώματα p. 250 A et saepius, εἰκόνες 250 B, εἴδωλα 250 D), quae quidem illorum esse similia (εἰκάζειν p. 250 B) vel imitari ea (μιμεῖσθαι p. 251 A) dicuntur. Rerum exemplis, id

vitio sermonisque Platonici, qui non sufficeret sententiarum subtilitati, exortum esse. Iam ante Natorpium Lotze (Logik[2] 501 ss.) Aristotelis disputationibus vera Platonis placita obscurari ac depravari ratus non substantiam sed vim (Geltung), quae et ipsa esset quaedam οὐσία, solutam a rebus liberamque ideis a Platone tribui docuit. O. Liebmann autem etsi repetit, quae de Platonicarum idearum χωρισμῷ Aristoteles pronuntiavit (Analysis d. Wirklichkeit[3] p. 320 ss.), tamen ab eis, quos ipse dicit typos sive leges, haud ita multnm sibi Platonis ideas diversas videri profitetur (ib. p. 361). Mihi fateor, cum Symposium spectarem, de Aristotelica idearum interpretatione dubitationem et ipsi motam esse.

est ideis, animus non nisi purus ac prius quam contaminetur corpore utitur; est eas olim contemplatus iterumque easdem contemplabitur, ubi redierit in societatem deorum (cf. Horn l. l. p. 285). Post autem quam in humano corpore conditus est, cum conspicatur simulacra, exemplorum redintegrat memoriam. Contra in Symposio singulae dicuntur res idearum esse participes (p. 211 B), ut tamen nihil ab illis detrahatur. Quicumque autem in contemplatione alicuius rerum generis versatur, is primo quidem inscius idea illius generis afficitur, deinde eo progreditur ratione, ut sentiat ideam atque percipiat; sin autem totus erit in cognoscendo, tandem ipsam intuebitur incorruptam. Quam idearum visionem non licet confundere cum recordatione illa, quae dicitur in Phaedro (cf. et. Horn l. l. p. 285). In Symposio Platonem maxime videmus ratione sua confidere: nam cum in Phaedro summam hominum cognitionem recordatione confessus esset veritatis contineri, in Symposio studiosissimum quemque ad ipsum posse veritatis aspectum pervenire eiusque opera non *εἴδωλα ἀρετῆς* sed verissimam virtutem gignere credebat. Utrum postea quoque hanc tam grandem sententiam retinuerit an potius similem ei, quam Phaedro exposuerat, repetiverit, id hic non quaeritur.

Iam explicandum breviter videtur, quo modo induxerit Plato sua de ideis praecepta. Ac de Phaedro quidem cum alii tum Natorp (Herm. vol. 35 a. 1900 p. 402 ss.) et quaesiverunt et, quae sibi placerent, argumentis probaverunt satis potentibus: sic autem ideas induci arbitrantur, ut eas Plato antea aut omnino non aut certe non aperte sit putandus docuisse.[1]) Dissimilis est ratio Symposii; nam in hoc Plato tanta utitur confidentia atque ea, quae de natura idearum sentiat, quamquam non esse facilia perceptu haud ignorat (cf. p. 210 D: *πειρῶ δέ μοι τὸν νοῦν προσέχειν ὡς οἷόν τε μάλιστα*), tamen probatione egere adeo non existimat, ut vix possit dubitari, quin eam disciplinae partem tum habuerit firmissime constitutam. Quod si recte iudicamus, Symposium post Phaedrum esse scriptum hac quoque re videtur confirmatum.

Ideis — ut est in Phaedro — aluntur augenturque animi. Itaque Plato, ubi de ideis disputat, item animorum explicat vim atque naturam. Verum aliter in Phaedro aliter in Symposio eandem rem aggreditur; quam diversitatem quo perspiciamus melius, ea oportet teneamus, quae de dissimili utriusque dialogi ratione iam supra exposuimus. In Phaedro enim Plato primas aeternasque rerum condi-

1) Eandem sententiam Natorp nuper repetivit (Platos Ideenlehre) p. 59.

ciones temptat, in Symposio, quantum fieri potest, in eis se continet, quae humanae cognitioni subiecta sunt. In Phaedro quidem animum a corpore, quo nisi contaminatus ille est, non cadit in sensum humanum, cogitatione seiungit liberumque fingit ornatque aeternitate ceteramque eius sic definit naturam, ut contagione corporum mutari nullo modo possit. In Symposio hominum animos, quales nobis videntur esse, considerat nec quae eorum fuerit ante ortum nec quae post mortem futura sit condicio quaerit; ducit eos quodam modo similes corporibus, quoniam et ipsi mutentur ideoque sint mortales: ut enim corpora, quoad dicuntur vigere, non semper manent eadem, sed perditis quibusdam iterum iterumque renovantur, sic etiam opiniones, motus, voluntates, quarum complexio animus vocatur, nasci ac perdi, redintegrari aliamque excitari alia cognovit.

In Symposio Platonem ea diximus tueri, quae sensibus percipi possunt. Itaque amorem, qualis in vita hominum apparet, explicare studet. Homines autem, quantum videmus, mortales sunt; nec enim corpora sentimus nec animos aetatem ferre. Naturam igitur mortalem (*θνητὴν φύσιν* p. 207 D) Plato spectat. Amorem vero definit eam cupiditatem omnium hominum communem, cui proposita est pulchrorum bonorumque sempiterna possessio, id est beatitudo. Sempiterna autem bonorum possessione continetur ipsa immortalitas; ergo amor immortalitatem quoque petit. Non tamen umquam consequetur veram; neque enim mortalia vere fient immortalia. Atqui possunt mortales quodam modo vim suam vitamque ultra mortem producere generando: hoc enim in mortalibus inest immortale (p. 206 C). At ista immortalitas a constantia ac perpetuitate ea, quae dicitur in Phaedro, plurimum distat; nec enim procreationis, ut quae ex variarum rerum bono casu pendeat, certam ac necessariam habemus continuationem. Sed quo modo eveniat procreatio, id minime interest; id unum agit Plato, ut amor intellegatur desiderium, quo studeant mortalia generando servari. Quod quidem desiderium in tota vigere mortali natura, et in corpore scilicet et in animo videmus, quamvis aliter appareat in altero. Namque corpus ex ipso semina seminibusque in aliis corporibus pulchris nova pocreat corpora sui similia; animus autem ex contemplatione pulchritudinis primo corporum, tum institutorum, deinde litterarum, denique ideae, in se gignit cogitata, quae orationibus et factis transfunduntur in alios animos atque ita quandam sortiuntur immortalitatem. Hanc angustiorem immortalitatem Plato usque ad finem Symposii retinet. Eam quidem, quae a perfecto amatore, qui puchritudinis ideam conspicatus veram virtutem procreat, dicitur comparari — eam

quidem immortalitatem coniectaverit quispiam veram esse. Nec tamen Plato isti coniecturae quidquam auxiliatur; namque mortales dicit homines animosque mortales esse etiam eos, qui et veram contemplentur pulchritudinem et veram generent virtutem, neque est cur aliam illis immortalitatem adiudicare eum voluisse putemus atque eam, quam mortalem naturam obtinere posse expressis verbis ipse pronuntiaverat.[1])

Itaque Plato in Phaedro animum aliquando corpore contaminatum nec ortum umquam esse nec deletum iri praecipit eiusque vim, quae nulla possit re mutari, conatur definire ac describere; in Symposio eum respicit animi statum et affectum, qui hominum sensui est subiectus. Mortalem igitur apparet in Symposio spectari animum, in Phaedro immortalem. Utraque ratio se ipsa contenta est neque altera videtur ad alteram pertinere; necessitudinem earum Plato inter se nullam ostendit. Nec tamen illud habeo exploratum, quod l. l. p. 273 et 278 s. Horn disseruit, Platonem in Symposio, cum nova ratione conatus esset immortalitatem explicare, quaecumque ante decrevisset, omnia dimisisse nec divinam illam immortalitatem et hanc humanam ullo modo posse in eosdem cadere. Neque temporum signa ex ea, quam dixi, rationis diversitate peti possunt. Erraverit profecto, qui disquisitionem animi corpore se aperientis, ut quae sit aptior humanae cognitioni, faciendam fuisse putet ante eius considerationem animi, qui ab omni mortali natura est omnino absolutus. Ratione ea, quam in Symposio ad rem adhibuit, quovis vitae et eruditionis momento Platonem uti potuisse equidem existimo.

Cap. 11. De arte dialectica.

Notiones rerum percipere homo in Phaedro dicitur ideo posse, quod animus eius olim ideas conspexerit: est enim generum notitia recordatio idearum (p. 249 B C). Quae recordatio — si quidem ea tuemur, quae maxime de amore in Phaedro praecipiuntur — in animis haud ita multo ante initiatis, ubi unum alicuius ideae simulacrum conspicantur, repente exsistit; in aliis nulla potest omnino fieri. Quae pugnant cum eis, quae aliis locis a Platone aut significantur aut explanantur de ratione, qua solemus quaerere et

1) Quicumque, quid Platoni in Symposio de immortalitate placuerit, accuratius perspicere volet, is, quaeso, legat ea, quae studiosissime Horn (l. l. p. 267 ss.) exposuit, quem etsi singula Platonis non omnia existimo recte interpretatum esse, tamen in universum censeo bene iudicasse.

consequi notitiam rerum, id est recordationem sive, ut est in Symposio, ipsam contemplationem idearum. Ut enim possent notiones conformari, multa esse visa et spectanda et inter se comparanda expertus Plato sciebat. Itaque Phaedr. p. 249 B τὸ κατ' εἶδος λεγόμενον manare ἐκ πολλῶν αἰσθήσεων εἰς ἓν λογισμῷ ξυναιρουμένων professus est; atque p. 265 B dialecticum εἰς μίαν ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα iussit. Cuius rationis sane quidem in Phaedro quoque, qui illam tanto opere postulat, vestigia inveniuntur: sic enim in eo res quaedam variae μανίας notione et omnia sive dicta sive scripta notione orationis comprehenduntur; at cum tanto, quanto diximus, studio de natura animi idearumque recordatione disputaret, summam Plato illam rationem neglexit. Qua re mihi quidem videtur iterum probari Platonem in Phaedro nova effudisse, quae nondum excoluerat neque, ut prorsus concinerent inter se, effecerat; contra in Symposio, quo de ipsa ratione dialectica nihil disputatur, praecepta in Phaedro data etiam ad eas res, in quibus Phaedrus ea neglexit, mirifice adhibentur, ut ratio in Phaedro exposita Symposio videatur tamquam exemplo illustrari. Prioribus enim quinque Symposii orationibus τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα, varia scilicet et quam plurima amoris genera ex dissimilium hominum sententiis explicantur; Socratis autem oratione singula ac diversa uno conspectu comprehenduntur et ad communem naturam referuntur. Nec porro animus unum conspicatus pulchrum continuo dicitur ipsam posse ideam percipere, sed paulatim atque gradatim debere per omnia pulchritudinis genera ascendere ad illud summum fastigium. Dialecticae artis altera pars Phaedr. p. 265 E διαίρεσις statuitur, qua τὰ εἴδη oporteat κατ' ἄρθρα τέμνειν. Exempli gratia Plato Phaedr. p. 265 A s. μανίαν dividit. Nec vero omnes Platonem hoc loco insaniae partes enumerasse neque iustam esse hanc ipsam divisionem, cum amatorius furor contineatur philosopho, supra demonstravimus. Divisionis in Symposio usus frequens nec tamen sollertia dividendi videtur multo maior quam in Phaedro. Illam quidem partitionem, qua generatio in pulchro facienda cupiditatis, quae bonum complectitur, forma dicitur esse, perspicuitate ac veritate carere iam dudum Koch (l. l. p. 8) professus est. Dialecticae nomine Plato in Symposio non utitur; quod ne desiderat quidem, quoniam de arte illa nihil disputat. Contra in Phaedro dialecticae nomen ita inducitur, ut Natorp (Herm. 35 p. 405), quin id usurpetur in hoc ipso dialogo primum, nemini posse dubium esse contenderit. Socrates enim haec edit (p. 266 B): καὶ μέντοι

καὶ τοὺς δυναμένους αὐτὸ δρᾶν εἰ μὲν ὀρθῶς ἢ μὴ προσαγορεύω, θεὸς οἶδεν, καλῶ δὲ οὖν μέχρι τοῦδε διαλεκτικούς. Quae sunt ita dicta, ut Platonem dialectici nomine etiam ante usum esse appareat; cum vero Phaedrum fecerit ad illa respondentem: *ἀλλὰ τοῦτο μὲν τὸ εἶδος ὀρθῶς ἔμοιγε δοκεῖς καλεῖν διαλεκτικὸν καλῶν*, dubitari nequit quin ab illo tempore dialecticam in artis vocabulis voluerit haberi.[1])

Cap. 12. De arte rhetorica.

Ut dialecticam explicaret, Plato in Phaedro ea est disputatione commotus, quam de rhetorica arte in posteriore eius dialogi parte instituit. In hac elementa perfectae cuiusdam rhetoricae exposuit, quam non esse cum dialectica confundendam Hirzel (Üb. das Rhetorische u. seine Bedeutung bei Plato, Leipz. 1871 p. 1 ss.), cum Zellerum refelleret, demonstravit. Non enim idem oratori atque philosopho finis propositus est, etsi eadem primo uterque disciplina uti debet. Singularem quandam sententiam Horn (l. l. p. 234) professus est. Id enim agi censet in posteriore Phaedri parte, ut rhetorica videatur absurda esse, cum praesertim magnae hominum multitudinis animi ab uno oratore nullo modo possint dignosci et arte mulceri. Praecepta sua ex parte quidem difficiliora esse, quam ut ab hominibus possent observari, Plato intellexit ipse; itaque Phaedrum cum alia tum haec fecit profitentem (p. 274 A): *παγκάλως ἔμοιγε δοκεῖ λέγεσθαι, ὦ Σώκρατες, εἴπερ οἷός τέ τις εἴη*, Socratem autem sic respondentem: *ἀλλὰ καὶ ἐπιχειροῦντί τοι τοῖς καλοῖς καλὸν καὶ πάσχειν ὅ τι ἂν τῳ ξυμβῇ παθεῖν.* Ad perfectum tamen oratorem praecepta illa confidebat pertinere neque uno significavit verbo rhetoricam se ducere in absurdis, quod ea officia, quae colligerentur ex ipsa illius vi ac natura, nemo posset mortalis exsequi[2]). Si quidem ineptam putavisset

1) De dialectica arte, qualis et in Phaedro sit et in ceteris Platonis dialogis, quibus illa aucta et exculta est, doctissime et uberrime nunc video Natorpium disputare l. l. p. 75 ss.; quem de ratione, quae inter Phaedrum Symposiumque intercedat, similiter ac me sensisse valde gaudeo.

2) Omnino non fieri posse id quidem ego arbitror, quod forsitan quis Platonem voluisse existimet, ut orator ex cognitione animorum uni cuique audientium fidem faciat. Istud vero Plato minime postulat. Persuadere singulis dialecticae est; orator — id enim Platonem, quamquam verbis non expressit, sensisse duco — non poterit nisi partem movere audientium, sed eo maiorem, quo diligentius cognoverit animos eorum.

rhetoricam, omnino eam debebat repudiare; atqui maxime eam laudavit p. 274 A: ἔσται μὴν, ὡς ὁ λόγος φησίν, ἐάν τις ἐθέλῃ, καὶ ταῦτα (sc. τὸ λέγειν καὶ πράττειν πρὸς ἀνθρώπους) κάλλιστα ἐξ ἐκείνων γιγνόμενα. Summa autem in eo erat Periclis excellentissimi oratoris admiratio, quem ipsa illa philosopha ratione, quam minime posse expleri Horn existimat, vehementissime hominum animos movisse praedicavit (Phaedr. p. 270 A). Aristoteles autem ea, quam scripsit, arte rhetorica initia a Platone in Phaedro iacta num putandus est persecuturus fuisse, (quae est sententia L. Spengelii, Abh. d. philos.-philol. Cl. d. bayr. Ak. d. W. VI p. 466 s., ab Hirzelio, Üb. das Rhetorische bei Plato p. 5, probata), si ea et esse inepta atque absurda et videri persuasum habuisset ipsi Platoni? Itaque non esse dubitandum existimo, quin Plato in Phaedro perfectam voluerit rhetoricam explicare.

Ex hac digressione revertamur ad id, quod nobis proprie est propositum, ut spectemus et conferamus Phaedrum Symposiumque. Atque videtur Plato pariter in utroque dialogo rhetoricis rebus maximo opere delectari. Quas tamen in Symposio non eadem aggreditur ratione, qua in Phaedro. In Phaedro quidem Plato ab oratione Lysiae profectus est. Cuius cum et in sententiis et in perscriptione offendisset, rhetoricam artem, quae tum vigebat, et fictis Socratis orationibus, quas voluit exemplorum loco esse, et eis disputationibus, quarum aliae inter illas interpositae sunt, aliae posteriore dialogi parte continentur, diligentissime et acerrime excussit. Quod cum fecit, ipse novam quandam ac propriam artem exposuit eamque comparavit cum pervolgata illa atque trita. Symposium non item versatur in disquisitione artis. Etenim Plato quamquam in hoc quoque occasione data non nulla de rhetoricis adnotat, tamen maxime suum oratoriae artis studium aliter aperit. Non enim spectat in Symposio aut disquirit, sed fingit orationes atque conformat. Imitatur autem maxime eos, quos impugnavit in Phaedro. In quo cum rhetorum artificia optime se docuerit scire, etiam uti se posse eis in Symposio demonstrat. Symposium singulari ratione inter omnes Platonis libros excellit. Maxime enim in eo poësis conspirat cum scientia, quae solet in reliquis Platonis operibus illam exsuperare. Priores illae quidem quinque in Symposio orationes nonne primo videntur cognoscenti merae imitationis causa fictae esse? Non id videtur Plato potissimum spectasse, ut singulorum convivarum ingenia atque dictiones quam diligentissime exprimeret effingeretque? Atque adeo delectatur verborum figuris et artibus, ut eas ne in narratione quidem re-

cuset; exempli gratia affero, quae sunt p. 185 C: *Παυσανίου δὲ παυσαμένου, διδάσκουσι γάρ με ἴσα λέγειν οὑτωσὶ οἱ σοφοί.* Quam Plato praeclare in Symposio mores hominum describat, quam habeat cognita et perspecta rhetorum praecepta quamque eis commode utatur, id explicare ad nostrum propositum minime pertinet. Illud vero tenendum est, quod Plato et in Phaedro et in Symposio rhetoricis rebus vehementissime videtur delectari atque ante quam ad utrumque accederet conscribendum maximam in cognoscendis illis operam consumpsisse putandus est; aliter enim non potuit facere, ut in Phaedro tam subtiliter de arte disputaret atque eandem tam eximie exerceret in Symposio.

Nec vero illa est sola Phaedri Symposiique similitudo ex rhetoricis petita. Multo enim videtur notabilius esse, quod utriusque dialogi eadem est in universum ratio rhetorica. Ut enim in Phaedro orationi Lysiae et Socratis priori, quae illam aptiore tantum et rerum et verborum compositione superat, opponitur Socratis retractatio, ita in Symposio ceterorum convivarum priores illae quinque orationes sophistarum et rhetorum more maxime conscriptae excipiuntur una Socratis oratione antecedentibus opposita. Et hic et illic Plato, quanto esset maior Socraticae vis eloquentiae quam ceterorum, demonstrare voluit et illustrare. Quod ei tamen non aeque bene successit utroque in dialogo: nam quod Socrates nescio an simulata modestia Phaedr. p. 265 B *ἴσως μὲν ἀληθοῦς τινος ἐφαπτόμενον, τάχα δ' ἂν καὶ ἄλλοσε παραφερόμενον, οὐ παντάπασιν ἀπίθανον λόγον* sese contexuisse dicit, id re vera rectissime ab eo iudicatum esse existimo; eximiam contra illam laudem, qua Socratem utpote eloquentia longe omnibus praestantem Alcibiades Symp. p. 213 C. 215 C ss. 222 A studiosissime ornat, quicumque illius orationem perlegerit, summo ei iure impertitam esse intelleget. Quanam Socrates ratione ceteros vincat oratores, ex ipsa quidem orationum collatione optime colligitur; sed Plato de illa etiam disseruit et, quid sibi proposuisset ostendendum, demonstravit. Iamque eae Phaedri Symposiique partes maxime inter se consentiunt, quibus ab illis usitati generis orationibus ad sua exempla Plato transgreditur (Phaedr. p. 234 D ss. Symp. p. 198 A ss.). Et primum quidem de verborum compositione disputat. Hoc loco rhetores leviter laudat. Namque Lysiae verba concedit perspicua et polita esse; Agathoniae orationis *τὸ τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων κάλλος* abunde praedicat (Symp. p. 198 B). Atqui *τὸ ἐκπλαγῆναι* simulatum a Socrate videtur et risum nobis quendam movet. Nec vero omnem Plato verborum cultum et ornatum contempsit; at

tamen minoris illum momenti putavit esse nec nisi certa quadam condicione quidquam valere. Socrates quidem, ut Platonis verba repetam (Symp. p. 199 B), *ὀνόμασι καὶ θέσει ῥημάτων τοιαύτῃ ὁποία δ' ἂν τις τύχῃ ἐπελθοῦσα* semper videtur usus esse; tamen vel potius hac ipsa de causa tam vehementer, quam Alcibiades dixit, hominum animos commovebat. Dissimilem sane Plato in Phaedro finxit Socratis sermonem; cui maiorem ab illo curam adhiberi p. 257 A propterea dicit, quod velit Phaedrum rhetoricae artis studiosissimum hominem mulcere.

In Phaedro Platonem vidimus praecipere, ut orator sciret vera, non quo ea esse omnino dicenda illi arbitraretur, sed quia ne similia quidem veri quemquam perspicere posse confidebat nisi qui ipsa cognovisset vera. Quicumque autem et huic satisfecit officio ceterisque a Platone constitutis, cur non quidvis ille cuilibet possit persuadere, minime videtur causa esse; tamen Plato tantam operam prudentissimum quemque non ideo fas duxit suscipere, ut servitutis suae sociis, hominibus, nisi obiter gratificaretur, sed ut accepta et suavia diceret deis curaretque eadem efficienda (Phaedr. p. 273 E s.). Cui legi Plato Socratem facit parentem, qui orationibus suis ne tum quidem veritatem neglegit, si non aliter ad eam quam flexa via pervenire potest. Itaque in utroque dialogo Socratem earum orationum, quas refellit, maxime videmus levitatem indignari, qua foedatur in eis ac depravatur veritas. Sunt autem simillima inter se, quae et Phaedr. p. 242 E ss. et Symp. p. 198 D ss. disputantur. Nec enim orationibus ad rhetorum praecepta conformatis veritatem esse propositam utrimque explicatur (Phaedr. 242 E: *τὼ δὲ λόγω ... μηδὲν ὑγιὲς λέγοντε μηδὲ ἀληθές* ... Symp. 198 D: *ἐγὼ μὲν γὰρ ... ᾤμην δεῖν τἀληθῆ λέγειν ... τὸ δὲ ἄρα, ὡς ἔοικεν, οὐ τοῦτο ἦν τὸ καλῶς ἐπαινεῖν ὁτιοῦν* ...), sed homunculorum non nullorum, si possit fieri, deceptionem (Phaedr. 243 A: *εἰ ἄρα ἀνθρωπίσκους τινὰς ἐξαπατήσαντε εὐδοκιμήσετον ἐν αὐτοῖς*) vel speciem veritatis (Symp. 198 C: *προὐρρήθη γάρ, ὡς ἔοικεν, ὅπως ἕκαστος ἡμῶν τὸν Ἔρωτα ἐγκωμιάζειν δόξει, οὐχ ὅπως ἐγκωμιάσεται*). Tales valere orationes apud eos tantum veri simile est, qui nihil ipsi de rebus quaesiverunt. Socrates vero id fieri posse semper cogitat, ut quis ipsum audientium earum rerum, quas exponit, non ignarus sit (Phaedr. 243 C: *εἰ γὰρ ἀκούων τις τύχοι ἡμῶν γεννάδας* etc. Symp. 199 A: *φατέ ... δῆλον ὅτι τοῖς μὴ γιγνώσκουσιν· οὐ γάρ που τοῖς γε εἰδόσιν*). Cuius ad animum cum rationem suam dicendi accommodat, legem, quam ipse constituit, exsequitur. Eos

quidem, qui in Phaedro et in Symposio Socratem audiunt, rhetoricis artificiis non invitos videmus sinere se decipi; nec tamen ille ad eorum voluntatem loquitur, sed ipsius ingenio obsecutus ea pronuntiat, quae deis grata esse sibi persuasit.

Nec omittenda est earum orationum similitudo quaedam, quae et in Phaedro et in Symposio Socratis orationi ceteris oppositae proxime antecedunt. Utraque enim initium capit a consideratione viae, quae sit dicenti potissimum ingredienda. Atque in Phaedro orationis, quam dixi, haec sunt prima verba: *περὶ παντὸς μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι*, quibuscum conferenda sunt Agathonis in Symposio illa: *εἷς δὲ τρόπος ὀρθὸς παντὸς ἐπαίνου περὶ παντός*. Deinde Socrates in Phaedro primo quidem vim ac naturam eius rei, de qua quaeratur, definiendam et constituendam esse docet, ne, qui dicat, aut secum ipse quando aut cum audientibus in disserendo pugnet; itaque ipse cum velit exquirere *ἐρῶντι ἢ μὴ μᾶλλον εἰς φιλίαν ἰτέον*, de amore sibi primum esse dicendum demonstrat et explicandum, *οἷόν τ' ἐστιν καὶ ἣν ἔχει δύναμιν*. Sequitur deinceps amoris circumscriptio. Symposii sodalibus laudatio Amoris proposita erat. Atque ceteri in eo maxime versati erant, ut Amoris beneficia ostenderent. Contra quos Agatho (p. 194 E) iustam orationem ab ipsa rei propositae natura esse ducendam profitetur; qua re sese velle *τὸν Ἔρωτα ἐπαινέσαι πρῶτον αὐτὸν οἷός ἐστιν, ἔπειτα τὰς δόσεις*. Nec tamen, id quod Socrates in Phaedro fecerat, amorem ratione conatur definire. Agathonis illa, quae memoravi, Socrates postea repetens probat atque ex sua sententia interpretatur; nam cum Agatho Amoris formam et cultum descripserit, ipse explicat eius vim ac naturam (p. 199 C). Nec enim sine ea definitione fieri posse existimat, ut conveniat sibi cum Agathone (cf. l. l.: *ἵνα ἀνομολογησάμενος παρ' αὐτοῦ οὕτως ἤδη λέγω*); nonne haec quoque simillime atque illa, quae ex Phaedro supra laudavi (p. 237 C D) dicta sunt? — Est denique ea illarum, quas spectamus, orationum similitudo, quod diligentissime et accuratissime partes earum dispositae sunt.

In Phaedro et in Symposio id agere vidimus Platonem, ut tralaticiam rhetoricam parum valere demonstraret. Eandem studuit suis orationibus superare, quibus unam esse veritatem expetendam statuit. Iam quaeramus, quonam ille modo munere suo in utroque dialogo defunctus sit. Atque etiam leviter prospicienti orationes illae in Phaedro et in Symposio pronuntiatae, quas exemplorum loco Plato voluit esse, dissimiliter videntur institutae

Namque altera perpetuo sermone cum dicatur, ad communem consuetudinem accommodata est; altera vero colloquium exhibens cum rhetorica confundit dialecticam. *Τοὺς ῥαψῳδουμένους λόγους* haud ita magno studio dignos (Phaedr. 277 E) nec tamen prorsus recusandos philosophis Platonem duxisse scimus. Cuius generis orationem ut scriberet in Phaedro, ea quidem re commotus est, quod volgarem rhetoricam voluit ipsam et imitari et aemulari; in Symposio id potius eius intererat, ut vehementius atque certius animos percuteret, quam possent volgari arte moveri: itaque ea ausus est ratione uti, in qua summam ad illud vim inesse confidebat.[1]) Oratio Socratis, quam habet in Symposio, nomine illo non est digna nisi quod ab uno peroratur; ceteris omnibus rebus colloquiorum more composita est. Sed aliis quoque partibus Platonem in Phaedro magis ad rhetoricam rationem, in Symposio magis ad dialecticam videmus sese applicare. Rhetoricae enim est persuadere, dialecticae convincere. Id vero Platonem in Phaedro maxime egisse, ut, si posset, audientibus persuaderet, ex ipsius verbis plane intellegitur (cf. 245 C: *ἡ δὲ δὴ ἀπόδειξις ἔσται δεινοῖς μὲν ἄπιστος, σοφοῖς δὲ πιστή* et 265 B: *κεράσαντες οὐ παντάπασιν ἀπίθανον λόγον*). Atqui ea, quae sunt posterioris Socraticae orationis initio exposita, videntur quidem convincendi causa dicta esse; tamen quoniam deest *ἀνάκρισις*, qua solet una omnis removeri dubitatio, id ipsum desideratur, in quo summam ad instituendum atque convincendum vim inesse Plato p. 277 E professus est. Maxima vero orationis parte ne studet quidem ille veritatem rei exprimere. Nec enim ipsam animi naturam describere, sed eius cogitationem quandam quam simillimam veri (cf. p. 265 B: *ἴσως μὲν ἀληθοῦς τινος ἐφαπτόμενοι, τάχα δ' ἂν καὶ ἄλλοσε παραφερόμενοι*) fingere sibi proposuit. Eadem ratione in enarranda animi vita et in perscribendo amore utitur. Nil igitur nisi *δόξαν* Plato vult legentibus suppeditare. Ipse vero plenam confidit rei notitiam se habere, quod cum totius orationis institutione tum hisce significat verbis (247 C): *τολμητέον γὰρ οὖν τό γε ἀληθὲς εἰπεῖν*; itaque si quis recte fabulam, quam Plato finxit, interpretatur, veram in eo necesse est opinionem nasci. At cum omne, quod aiunt, claudicet simile, haud ita frequenter fore existimo, ut omni ex parte legentes scriptoris cogitationem assequantur. Si tamen

1) Nimirum haec non sola fuit causa, qua Plato Socratem videtur colloquia finxisse enarrantem; accedit enim, quod eorum hominum, quos induxit, vera sibi proposuerat ingenia depingere ac mores.

recte cui suscepta et cognita Platonis erit cogitatio, ne ita quidem ratione perspectam ipse habebit veritatem; carebit igitur vera notitia. Itaque fabula illa in Phaedro, cum ad similitudinem veritatis ficta et ad persuadendum comparata sit, ea lege constituta videtur, quam rhetoricorum Plato operum esse decrevit; quod qui in eo libro, quem de Platonis arte rhetorica scripsit, primus demonstravit Hirzel omnino fabulas eas esse Platonicorum dialogorum partes exposuit, in quibus maxime ille rhetoricam artem complecteretur. Quanam Plato causa, ut fabulam fingeret et rhetorica ratione uteretur, praeter eam, quam supra (p. 67) demonstravimus, commotus sit, p. 246 A his verbis significat: *περὶ δὲ τῆς ἰδέας αὐτῆς* (sc. *τῆς ψυχῆς*) *ὧδε λεκτέον· οἷον μέν ἐστι, πάντῃ πάντως θείας εἶναι καὶ μακρᾶς διηγήσεως, ᾧ δὲ ἔοικεν, ἀνθρωπίνης τε καὶ ἐλάττονος· ταύτῃ οὖν λέγωμεν.* Ipsa animi natura non aliter quam longa atque divina narratione explicari potest: nec enim ad percipiendam eius veritatem sufficit cogitatio nec ad describendam oratio humana, ut acquiescendum sit in exprimenda similitudine. In Symposio Plato relictis divinis et absolutis rebus humana disputat; in his insito suo non persuadendi sed convincendi desiderio indulgere potest. Atqui certis quibusdam finibus etiam in Symposio coercetur; neque enim omnem continentis ac perpetuae orationis similitudinem dimittere nec laudationem oratoriam ad perfectam colloquii rationem traducere ei licebat. Gravissimum orationis genus atque quod unum diligenter colendum esset, Plato colloquium demonstraverat in Phaedro; in Symposio cum esset occasio ostentandi, quid ipse posset in volgari arte oratoria, tamen finxit colloquium, quod optimum esse dicendi genus intellexerat. Quam igitur artem in Phaedro detrectaverat, eam deposuit in Symposio. Quicumque vero senserit, quanto opere Socratis in Symposio oratio illam in Phaedro habitam vi superet, is minime dubitabit, quin Plato, cum dialecticam anteponeret rhetoricae, iudicaverit rectissime.

Cap. 13. De arte poëtica.

Ars dicendi, quam Plato sibi in Phaedro proposuerat spectandam, non in dialectica solum aut in rhetorica, sed in poëtica quoque animadvertitur. Quare ad hanc eum aliquando respexisse minime mirum est. Sed etiam in Symposio attigit eandem. Iam nostrum est exquirere, utrum consentiant inter se, quae in utroque dialogo professus est, an quae videatur forte discrepantia atque

progressio esse. Atque universe quidem, quid quoque tempore Plato de poësi iudicaverit, post alios Finsler[1]) et Staehlin[2]) nuper exposuerunt; ut tamen Phaedrum Symposiumque denuo temptemus, commovemur eo, quod et dissidere de his sententias illorum quodam modo neque omnia eos contulisse videmus, quae ad nostram rem censemus pertinere. Quae vero ab illis bene explicata sunt, ea nos repetituros esse, nisi ratio propositi utique postulet, ne quis exspectet.

Ac primum quidem consentiunt inter se Phaedrus Symposiumque eo, quod in utroque Plato poëticae artis diligentissimus ac studiosissimus videtur esse. Nec enim commemoravit solum poëtas saepissime aut versus eorum laudavit suaeve admiscuit orationi aut poëticarum rerum similitudinibus usus est (cf. Phaedr. 236 C. Symp. 222 D), sed etiam ipsos illos dialogos mirum quantum instituit poëtarum more maximeque scenicorum. Quam rem hoc loco satis est significasse.

Iam quid de natura poësis Plato senserit, explicandum est. Ac primum aggrediamur Phaedrum; in quo existimo ab eis proficiscendum esse, quae p. 245 A scripta sunt. Hic enim Plato apertissimis usus verbis duplicem poësis originem agnoscit, alteram e furore divino, ex arte alteram humana ductam. Instinctu divino qui moventur, sic fundere carmina sunt putandi, ut nec leges sciant artis, quibus tamen utuntur, neque earum rerum, quas describunt, veritatem. Quam fuisse Platonis sententiam et ipsa Phaedri ratione satis apparet et Apol. p. 22 A. Men. p. 99 C disertissime ab eo probatur. Qualem vero deorum adflatu concitatum illum cogitaverit, talem in Phaedro Socratem depinxit (cf. p. 238 C s. 241 E). Quod autem lusisse in hac re aliquo modo videtur, id ad nos non attinet: furoris tamen speciem veram delineavit. Itaque Phaedr. p. 262 D Socratem eorum, quae praeclare et apte orationibus suis ediderit, ad deos conferre causam neque ullius sese artis participem esse confirmare videmus. Quin etiam se ne meminisse quidem satis illorum *διὰ τὸ ἐνθουσιαστικόν* p. 263 D idem simulat. Sic igitur inscium esse Plato poëtam voluit furore perculsum. Duorum autem poësis generum, quorum alterum diximus ex arte, e libero animi motu alterum manare, hoc maiorem vim habere arbitratus est (*ὃς ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας*

1) G. Finsler, Platon und die Aristotelische Poetik, Leipzig 1900.
2) F. Staehlin, Die Stellung der Poesie i. d. Platonischen Philosophie. Diss. Nördlingen 1901.

ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη p. 245 A). Furorem divinum esse poësis tamquam fontem primus, quantum scimus, Democritus pronuntiavit; quae fuit sententia Platonis temporibus pervolgata (Finsler l. l. p. 172 s.). Plato autem eam eo libentius videtur arripuisse, quod furorem poëticum ipse expertus, quid ille valeret, penitus perspexerat. Atque eo, quem diximus, loco perfectam scilicet poësin in furore positam esse aperte demonstravit; significavit idem, cum Phaedr. p. 248 D humanarum artium ordinis poësin sextum denique locum obtinere censeret. Nam cum primo loco eos collocasset, quos veritatis olim partem omnium maximam conspexisse existimaret, poëtas eum voluisse apparet illius prope expertes, nimirum quod furore eos, non cognitione veri nec ratione uti arbitrabatur. Nec ullo tempore eam videtur reliquisse sententiam, qua furor cadat in poëtam (cf. Staehlin l. l. p. 10—18. 68). Sed etiam artem quandam rationemque esse poëticam, quamvis mancam poësin efficiat, Phaedr. p. 245 A Plato concedit. Quam posteriore Phaedri parte universa dicendi arte contineri (p. 258 D. al.), hanc ipsam autem ad philosophiam referendam esse demonstrat (p. 261 A. al.); sequitur ut, qui veram poëticam artem assequi velit, is debeat esse idem philosophus. Nunc Plato philosophia, ut quae ad omnium bonorum finem, scilicet veritatem, homines perducat, gravius aut grandius ullum esse studium negat; consentaneum est, ut artem e philosophia natam pluris aestimet quam furorem a cognitione veritatis prorsus alienum. Quamvis igitur magna confecerit Homerus, perfectum vitae statum tum denique putatur consecuturus esse, cum perspecta veritate eorum, furore quae ediderit, reddere possit rationem. Nec tamen poësin ex arte ductam Plato praeponere se furori uno verbo significavit. Immo scientiam, in qua posuit artem, per se minime sufficere ad optima quaeque efficienda haud ignoravit: sunt enim, qui, etiamsi artis praecepta diligentissime didicerint, non tamen movere hominum animos aut incendere possint. Quare Phaedr. p. 269 D probum Plato artificem neminem posse evadere docet, nisi qui apto sit ingenio praeditus. Ad ingenium autem eum arbitror furorem referendum, sine quo perfectam poësin Plato nullam esse dixerat; non enim exsistere illum in quoquam, quin sit natura ad eum institutus, Finsler l. l. p. 185 recte adnotavit. Eandem Platonis fuisse sententiam etsi non certe potest probari, veri tamen simillimum est; nam Phaedr. p. 279 A s. Isocratem divino quodam instinctu aliquando concitatum iri ideo se

sperare dicit, quod optimo ille sit ingenio. Et aliis quoque locis[1]) ingenium furoremque divinum nominat alterum alteri sic adiunctum, ut eorum quandam inter se necessitudinem esse videatur voluisse. Itaque si furorem nisi in eo, qui natura praeparatus esset, non posse exoriri iudicavit, in Phaedro cum poësin tum ad furorem tum ad ingenium referret, sibi constitit. Aliquid tamen interest inter eas sententias, quas in utraque Phaedri parte pronuntiavit. Priore enim alium poetam furore, alium arte uti videtur putavisse; posteriore autem optimum quemque non solum ingenio ad id apto praeditum, sed etiam arte voluit eruditum. Quid? Furor, quem ingenii esse vidimus, et ars potestne esse in eisdem, cum rationis hic omnino expers, illa sit quam maxime consors? At enim sane quidem potest; nam poëta etiamsi, ubi sit commotus, imprudens fundat carmina, quid est, cur idem, furore cum vacet, non aut sciat artem aut rationem reddat de eis, quae confecerit? Quin is, qui artem didicit, concitatus certiorem operis eventum videtur habiturus esse. Atque eius generis, quod ratione prorsus caret, illi sunt, quos se spectasse Socrates in Apologia profitetur; contra in Phaedro Sophocles et Euripides, qui et ipsi divino quin essent instinctu usi, Plato minime videtur dubitasse, de arte cogitantes et disputantes inducuntur (p. 268 C ss). Itaque artis ac furoris eosdem esse participes Platoni placuisse apparet.[2])

De Phaedro satis. In quo Platonem vidimus vilem quandam et mancam poësin agnoscere, quae sola arte uteretur; alteram praedicare perfectiorem, quae nasceretur furore; tertiam poscere utique perfectam, quae cum ingenio sive furore artem consociaret.

Iam quid in Symposio de natura poësis Plato senserit, explicandum est. Ac plerique eorum, qui de hac re disputaverunt, ab eis profecti, quae Symp. p. 223 D scripta videmus, Symposium a Phaedro universa re et tota sententia dissidere arbitrati sunt. Itaque Natorp (Arch. f. Gesch. d. Philos. XII p. 46) in Symposio, cum φιλόσοφος quidem μανία τε καὶ βακχεία, sed non propria quaedam poëtica, qualis in Phaedro, inducatur, poësin ad unam

1) Apol. p. 22 C: φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες. Leg. III p. 682 A: κατὰ θεόν πως καὶ κατὰ φύσιν.

2) Furorem tota hac disputatione ita nominavi, ut eum ratione ac mente omnino carere existimarem: quem usum Plato eo loco tuetur, quo loquitur de vaticino expiatorio poëtico furore. Quodam modo dissimilis videtur mihi esse furor philosophus: nec enim solum hic incenditur divinae veritatis recordatione, sed etiam humanae indiget rationis, qua illum afferri posteriore maxime Phaedri parte declaratur. Sed ista quaestio ad nostram rem non pertinet.

artem scientiamque revocari censet. Platonis autem verba, de quibus quaeritur, haec sunt: *τὸ μέντοι κεφάλαιον, ἔφη, προσαναγκάζειν τὸν Σωκράτη ὁμολογεῖν αὐτοὺς* (sc. *Ἀγάθωνα καὶ Ἀριστοφάνη*) *τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς εἶναι κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ἐπίστασθαι ποιεῖν καὶ τὸν τέχνῃ τραγῳδοποιὸν ὄντα καὶ κωμῳδοποιὸν εἶναι.* Itaque eiusdem esse contendit scire comoedias condere atque tragoedias et qui sit arte, id est scientia, tragicus, eundem esse comicum poëtam. Videlicet sola de arte poëtica hic loquitur Plato; atque eandem esse tragicarum et comicarum profitetur rerum. Quibusnam argumentis sententiam suam firmaverit, nescimus; videtur mihi declarasse neminem posse id, quod tragicum sit, perspectum habere, nisi qui comicum quoque, quale sit, intellexerit et contra. Quod ipsum Leg. VII p. 816 E bisce elocutus est: *ἄνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαῖα καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία μαθεῖν οὐ δυνατόν.* Similiter in Hippia dialogo, qui dicitur minor, neminem posse demonstratur bene mentiri, nisi qui verum sciat. Consentit Phaedrus, in quo (p. 262 A) eum, qui alios velit fallere, veritatem cognovisse docetur ipsum debere. Quae si tuemur, disputationem inter Socratem Agathonem Aristophanem factam, qua maxime ratione processerit, animo fingere possumus; nec inepte mihi videtur Staeblin (p. 67 s.) iudicasse, cum Symp. p. 223 D quasi summam diceret proponi alicuius Socratici dialogi, quales Plato condidit primos. Iam quaerere nostrum est, an re vera Plato, id quod iterum ac saepius asseveratum est, illo quem diximus loco poësin ad unam artem voluerit et scientiam referre. Quod quidem potest verbis eius significari, nec tamen est necesse. Neque ego Platonem illud arbitror voluisse. Quamquam non assentior Staehlino, qui quae consequantur, si quis posuerit poësin scientia oriundam, a veritate abhorrere contendit (p. 67). Nec enim apud alias gentes defuerunt, qui et comoedias scriberent et tragoedias, neque Graecos eius generis poëtas non fuisse exploratum est.[1]) Sane quidem originem et tragoediarum et comoediarum Aristoteles (Poet. c. 4. p. 1448 b 34 ss.) ab uno eodemque duxit Homero. Quod autem posteriores Graeci poëtae alterutrum potius quam utrumque genus colendum sumpserunt, id nescio an eos ex suis quemque moribus fecisse Aristoteles (ib. 24 ss.) recte iudicaverit. Reip. l. III. p. 395 A

1) Athen. IX p. 407 D utrum Timoclem voluerit comoediarum eundemque tragoediarum poëtam esse an Timoclem comicum a tragico Timocle distinguere, in dubio relinquitur. De hac re conferenda sunt, quae Hist. crit. com. graec. p. 430 Aug. Meineke et contra eum scripsit Ud. de Wilamowitz-Moellendorff Ind. schol. Gott. 1889/90 p. 23.

haec Plato profitetur: *οὐδὲ τὰ δοκοῦντα ἐγγὺς ἀλλήλων εἶναι δύο μιμήματα δύνανται οἱ αὐτοὶ ἅμα εὖ μιμεῖσθαι οἷον κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ποιοῦντες.* Etiam hic igitur, ut in Symposio, eandem esse tragoediae comoediaeque rationem videtur existimare. Negat tamen unum posse hominem in utroque genere florere, quoniam humana natura ad unam rem bene gerendam, non ad varias apta institutaque sit. Ad naturam igitur sive ingenium recurrit, sine quo veram artem nullam esse in Phaedro quoque docet. Hoc ipsum ingenium, quantum valeret, furoremque, qui ex illo quasi proflueret, Platonem in Symposio, quia p. 223 D poëticam artem tantum usurparet, non agnoscere plerisque visum esse supra memoravimus. At tamen agnovit eum Plato in Symposio quoque etiamsi, cum *φιλόσοφον μανίαν τε καὶ βακχείαν* diceret, proprium quendam poëticum furorem haud nominaret. Sed p. 196 E ss. Amorem et ipsum doctissimum poëtam et aliorum praeclarum magistrum esse demonstrat; quicumque enim amore concitetur, etiamsi ante fuerit Musarum utique expers, eum poëtam evasurum. Sic omnes artes amore compleri et perfecte absolvi. Amor autem, cum numeretur in daemonibus, per quos omne deorum cum hominibus commercium procedat, eodem munere fungitur, quo *θεία* illa *μανία* in Phaedro (cf. Symp. p. 202 E s.); atque ita describitur, ut sit furor sive vehementissima commotio animi natura hominibus tributa (Symp. p. 207 A ss. et al.). Apparet igitur Platonem mutato nomine poëticum furorem, quem in Phaedro praedicaverat, in Symposio quoque retinuisse; eodemque modo, quo in Phaedro (p. 245 A) *μαινόμενος ποιητὴς τῷ σωφρονοῦντι*, in Symposio (p. 203 A) mihi videtur *δαιμόνιος ἀνὴρ* oppositus esse *τῷ βαναύσῳ*. Fere eadem igitur est universa Platonis de poësis origine sententia et in Phaedro et in Symposio neque ulla progressio, qua temporum ordo indicetur, inveniri potest.

Restat, ut quam Plato vim poësi tribuerit breviter explicemus. Ac Phaedr. p. 245 A valere eam plurimum diserte profitetur; instituere enim et erudire posteriores, cum innumerabilia veterum facta ornet. Sed cum veram scientiam non posse nisi dialectica ratione excitari sibi persuasisset, de dignitate poësis aliquid esse detrahendum intellexit. Quid igitur mirum, quod in fine Phaedri poëtas philosophis postposuit? Nec tamen eo progressus est, quo in libris de optima re publica scriptis, ut etiam corrumpere animos poësin decerneret. In Symposio Platonem eam videmus sententiam effari, quam in Phaedro edidit primam. Plurimi enim Homeri Hesiodique ceterorumque bonorum poëtarum opera aestimat (p. 209 D)

atque omnes poëtas sapientiae virtutisque auctores esse dicit. Itaque Plato, si quidem Symposium post Phaedrum scriptum esse recte iudicamus, dubitationibus illis, quas de poëticae artis vi ac pretio in Phaedro concepit, haud ita vehementer commotus esse videtur.

Cap. 14. De artibus politica et medica.

Artem Plato gravissimam politicam sive civilem arbitratur esse (cf. Symp. p. 209 A: *πολὺ δὲ μεγίστη καὶ καλλίστη τῆς φρονήσεως ἡ περὶ τὰς τῶν πόλεών τε καὶ οἰκήσεων διακοσμήσεις*). Ea enim summam sequitur boni ideam virtutesque sibi omnium maxime iustitiam et prudentiam adiunxit. Idearum de praestantia et ordine Plato in Phaedro, in quo illas primum complectitur, non disputat. Solet quidem primo loco *δικαιοσύνην* dicere et *σωφροσύνην* (cf. p. 247 D et 250 B); quod tamen non videtur certo quodam consilio facere. Contra in Symposio eae virtutes, quae ad instituendas civitates pertinent, *σωφροσύνη* et *δικαιοσύνη*, aperte et diserte maximae pulcherrimaeque vocantur (p. 209 A). Quantum vero posset ratio civilis, ne in Phaedro quidem Plato dubitavit neque ancipiti iudicio usus est, quale vidimus de poëtica. Sapientia ac virtute *ἔννομος βασιλεύς* et *πολιτικός* ad philosophum proxime accedunt; secundum igitur post eum tertiumque locum obtinent (Phaedr. p. 248 D).[1]) Phaedr. p. 269 A ss. Periclem Plato pia veneratione suspicit; quanta vero aestimatione et admiratione Symp. p. 209 D Lycurgus nominatur Soloque, quorum uterque sui ingenii quasi partibus et liberis patriam servavit!

Maiore denique studio Plato in utroque dialogo artem scientiamque medicam persequitur. Nec tamen semper in hac re una eademque utitur ratione disserendi; tum enim ridet illam, tum disputat severe. Nec vero omnem ridet artem medicam, sed unam maxime disciplinam eiusque disciplinae sectatores, qui cum certissimum quendam victus modum praeciperent, doctrinam magnificam atque molestam prae se ferebant. E quibus in Phaedro non sine aliqua irrisione nominat Acumenum (p. 227 A) et Herodicum Selymbrianum (227 D). Talis vero, quales modo significavi, in Symposio omnis depingitur Eryximachus. Qui quo modo senserit, cum ex eis locis, de quibus iam supra dictum est (p. 176 B ss., 223 B, 185 D s.),

1) Eodem dignitatis loco quo politicum Plato in Phaedro *χρηματιστικόν* collocavit. Consentaneum est, quod in Symposio quoque (p. 205 D) multum videtur *χρηματισμῷ* tribuere.

tum ex oratione eius (p. 185 C ss.) perspicitur. His omnibus locis Plato suaviter eum ludit nec se potest continere, quin etiam Alcibiadem faciat et Eryximachum et Acumenum patrem eius leniter carpentem (p. 214 B). Non tamen Plato, id quod iam supra dixi, ipsam artem despiciebat. Ordinis illius in Phaedro (p. 248 D) descripti medicum invenimus quarto loco collocatum. Nec enim fit medicus, quicumque leviter olim veritatem aspexit; vim potius ac naturam, ut quidem animi dialecticum, sic medicum necesse est corporis perspicere; quod nisi perspecto universo fieri non posse Hippocrates decrevit (cf. Phaedr. p. 270 C). Permagni igitur Plato medicam videtur aestimare, si quidem recte ea percipitur et exercetur. Quae sit autem vera medica qualisque, duobus Plato locis (Phaedr. p. 268 A ss. et Symp. p. 186 C s.) explicat. Atque in Phaedro laudat sententiam eorum, quos alias vidimus ab eo irrideri, Eryximachi Acumenique; hic tamen severe, quae illis placuerint, sibi docet ipsi probari. Itaque ne Eryximacho quidem interiorem medicae artis cognitionem denegare atque in Symposio illius magis ostentationem iactationemque doctrinae quam cogitationes eas, quibus per se optimis sophistarum more abutitur, illudere voluisse videtur. Quod ita se habere etiam magis confido, quod cogitationes illas ab Hippocrate, quem Plato in Phaedro (270 C) summa laude ornat, petitas esse constat. Eryximachus in Symposio medicam ita definit, ut ea sententia, quam idem in Phaedro professus est, amplificari et compleri videatur. In Phaedro autem (p. 268 A ss.) eum, qui medicamina cognoverit, quid efficerent, nequaquam esse medicum demonstratur; nam qua ratione medicaminibus utendum sit, id esse maxime anquirendum medico. Quod vero non posse eum, nisi ante diligentissime perspexerit ipsam corporis naturam (Phaedr. p. 270 B). Corporis autem natura in Symposio, quo continuari videtur sententia in Phaedro exposita, duplex habere desiderium, bonum scilicet malumque dicitur; dignoscere utrumque, explere bonum, malum reprimere, alterum mutare altero medici est. Vel ut contrariarum inter se corporis cupiditatum quasi concordiam et concentum efficiat, id est medicae arti propositum (Symp. 186 B—E). Itaque Platonem et in Phaedro et in Symposio Hippocratea complexum esse apparet.

Cap. 15. Qua ratione Plato sententias suas pronuntiaverit.

Quoniam si non omnia, at certe plurima vel maxima, quae aut similiter aut dissimiliter in Phaedro et in Symposio a Platone

praecepta sunt, contulisse mihi videor, reliquum est, ut explicem, qua ratione Plato perscripserit illa.

Quae res haud ita multis verbis mihi videtur absolvi posse. Occurrunt enim et in Phaedro et in Symposio omnia, quibuscumque Plato uti solet, genera dicendi: dialogi, perpetuae institutiones, fabulae.[1]) Dialogorum speciem exhibent Phaedri cum prioris partis ea, quae continentibus orationibus quasi circumfusa sunt, tum universa pars posterior, Symposii et quae antecedunt Socratis orationi eiusque orationis ipsa pars prior. Ratione quadam perpetua in Phaedro posterioris Socraticae orationis prima, quae sunt de immortalitate animi, in Symposio Socraticae orationis posteriores partes et maxime extrema explicantur. Fabularum ritu in Phaedro primum quidem posterioris Socraticae orationis pars longe maxima composita est; sunt vero deinde in eodem minores illae fabulae et de cicadis (259 B ss.) et de daemone Theuth (274 C ss.), in Symposio Aristophanea (p. 189 D ss.) et quae est de origine Amoris (p. 203 B ss.). Ac disserendi ars et ratio, quin sit in Symposio magis quam in Phaedro exculta, ut in ea Plato multum videatur profecisse, non potest dubitari. Nam in Phaedro quibusdam partibus Socratico more sermo institutus est. Quamquam enim in eo certa quaedam praecipiuntur ac probantur et sententiarum ordo bene ac prudenter compositus est, tamen explicandi illa perpetuitas et constantia e cognitione principiorum eorumque usu nata qualis in Symposio est desideratur.[2]) Deinde comparantes ea, quae in utroque dialogo continenter exponi demonstravimus, ne quid temere iudicemus, caveamus oportet, quoniam et paucissima sunt illa et proprio rationis genere inter se differunt. Non tamen omiserim profiteri mihi quidem, quae sunt in Phaedro, haud ita eleganter conclusa videri; contra in Symposio rectissimum esse commodissimumque sententiarum cursum. Quem scilicet fructum e dialectica Plato disciplina cepit. In fabulis denique, quarum quaeque ut alio consilio ficta ita sua ratione perscripta est[3]), indicia repperi nulla, quibus Platonem et arte et aetate progressum esse probaretur. Inde vero, quod vim ac naturam amoris, quam in Symposio ratione expedit ad intellegendum, in Phaedro nondum videtur eadem potuisse explanare, nescio an liceat colligere hunc dialogum ante illum esse scriptum.

1) Quo consilio et qua ratione Plato istis generibus usus sit, exponit Zeller, Philos. d. Gr. II. 1⁴ p. 567 ss.

2) Cf. Natorp, Herm. vol. 35, 1900 p. 411 ss. et quae ego disserui huius disput. cap. 11.

3) Cf. Zeller l. l. p. 579 ss.

Peroratio.

Rationes, quascumque inter Phaedrum Symposiumque intercedere cognoveram, explicavi. Quas esse tales mihi videor demonstrasse, ut Symposium post Phaedrum compositum esse plane appareat. Sed cum ea, quae ad firmandam istam sententiam attulerim, per totam hanc disputationem dispersa et quasi obruta esse videam, iterum significare gravissima haud inutile existimo.

Ac primum quidem, cum rationem poëticam exponerem, Phaedrum iuvenem in Symposio docui *τοῦ λόγου πατέρα* ita fictum esse, ut videretur Plato legentium animos hac ipsa re voluisse ad Phaedrum dialogum revocare (p. 6 s.). Si tamen Phaedrum post Symposium scriptum poneremus, mirum fore demonstravi Phaedrum, quamquam fictorum temporum ratio et ipsa res contrarium postularet, in posteriore dialogo sic descriptum esse, quasi nulla eius de eisdem rebus institutio antecessisset (p. 14).

Plus vero eis argumentis puto tribuendum esse, quae ex illorum dialogorum philosopha ratione petivi. Multo autem certiore via ad explicandum amorem, in quo uterque liber versatur, Symposium videtur accedere quam Phaedrus. Id enim agit Plato in Symposio, ut omnia, quaecumque amoris nomine appellantur, uno conspectu et una notione complectatur; in Phaedro ad unum amoris genus respiciens divinam quandam eius condicionem libera cogitatione persequitur (p. 36 s.). In Symposio notionem amoris amplissime primo circumscriptam elegantissime magis magisque coërcet (p. 26 ss.) nec tamen quidquam omittit, quod ad illum pertinere videatur: studium quo conatur amans, quem diligit, instituere, cum in Phaedro adiunxerit furori, in quo consistere amorem statuit, sed non ratione duxerit ex eo, in Symposio amori, quem vult esse desiderium procreandi in pulchro, natura convenire docet (p. 39). Optime vero in Symposio ratio illa excogitata est, qua per gradus quosdam ad summum amoris finem ascendere licet (p. 38 s.); quam si Plato, cum Phaedrum scriberet, habuisset inventam, arrepturum potius eum quam depositurum fuisse existimo (cf. p. 34 s.). Gravescere autem homines non minus animis quam corporibus orationesque edere tamquam liberos Plato cum explanet in Symposio, sententiam persequi videtur, quam conceperat in Phaedro (p. 39 s.). Rursus negat in Symposio refellitque diserte, quod in Phaedro contenderat, suum a quoque sive proprium amari (p. 41). Libidinem, quam vix posse reprimi in Phaedro concesserat, in Symposio aspernatur (p. 43 ss.). In Phaedro sequitur popularem illam sententiam, qua sit deus Amor, in Symposio re-

probat eandem (p. 45). Dei daemonisque nominibus in Phaedro idem significat, distinguit ea studiosissime in Symposio (p. 46). Philosophiae propriam quandam vim ac naturam cum senserit et adumbraverit in Phaedro, explicasse in Symposio videtur (p. 50). Necessitudinem illam, quam esse philosophiae cum amore in utroque voluit dialogo, aptius et ingeniosius in Symposio expedit quam in Phaedro (p. 52 ss.). A sententia in Phaedro exposita, qua ideas esse absolutas a rebus dixerat, in Symposio desciscit proceditque eo, ut illas in ipsis rebus inesse doceat (p. 57 s.). Idearum disciplina, quam in Phaedro novam profitetur, in Symposio utitur quasi nota atque constituta (p. 58). Dialecticam artem in Phaedro bene praeparatam in Symposio emendat scientissimeque rebus adhibet (p. 61. 76). Orationes in Phaedro etsi detrectat, non tamen repudiavit; in Symposio eam, quam Socrati tribuere debebat, orationem in sermonem traducit dialectice institutum (p. 68). Denique quae se in Phaedro non aliter quam fabula illustrare posse censuerat, ea in Symposio ratione audet declarare (p. 76).

Itaque non sunt pauca, quibus Platonem a Phaedro ad Symposium arte et scientia progressum esse probari existimem. Quibus autem argumentis Blass (cf. p. 15) maximeque Teichmueller (cf. p. 16 s. 46 s.) Phaedrum post Symposium scriptum esse confirmare studuerunt, ea quam nihil valeant, perspicue demonstrasse mihi videor. Non pugno cum eis, qui spectato dicendi usu Phaedrum aetate priorem esse negant; rationem, qua illi utuntur, mihi non videri certam in prooemio exposui.

Et Phaedrum et Symposium media Platonis aetate scriptum esse compluribus locis (p. 11. 14. 19. 22 s.) probare conatus sum[1]). Bene quadret in meam sententiam, si, qui Symp. p. 193 A Mantineae διοικισμὸν qui dicitur anno 385 factum denotari censuerunt, ut ille dialogus haud ita multo post eum editus esse videretur, recte iudicaverint. Tum Phaedrum inter nonagesimum fere et octogesimum quintum quarti saeculi annum a Platone compositum esse contenderim. Verum pervolgatam illam, quam dixi, coniecturam U. de Wilamowitz-Moellendorff (Herm. 32, 1897 p. 102 ann. 1) nuper recusavit; quo iure, hoc loco disceptare nolo.

1) Testimonia de Phaedri tempore natali antiquitus prodita nuperrime iterum recensuit vir doctissimus Otto Immisch in dissertatione, quae inscribitur: Die antiken Angaben über die Entstehungszeit des platonischen Phaedrus (Ber. d. phil.-hist. Kl. d. Kgl. Sächs. Ges. d. W. z. Leipz. 1904 p. 213 ss.). Qui summo studuit ingenio eam sententiam, qua Phaedrus ab adulescente Platone scriptus putatur, ad auctoritatem veterum Peripateticorum revocare; at tamen equidem, an sit haud ita multis persuasurus, valde dubito.

Argumentum.

DE PLACIDI GLOSSIS

SCRIPSIT

PAULUS KARL
GEISANUS

I.

De Placido libri glossarum et codicis Parisini.

Glossae Placidi et separatim libris Romanis traditae sunt, quorum praestantissimos habet Goetzius tres codices Vaticanos saec. XV et XVI, et commixtae cum aliis codice Parisino novae acquisit. 1298 saec. XI ac libro glossarum, in quo excerpendo idem vir doctus duos potissimum codices duces sequitur, cod. Paris. 11529. 11530 saec. VIII/IX et Vatic. Palat. 1773 saec. X. Ac codicis quidem Parisini glossas Placideas ex exemplari pleniore, similiter tamen disposito quam archetypum librorum Romanorum fuit, haustas esse demonstravit Goetzius Ind. Ien. a. 1886 p. 4 (cf. C. G. L. vol. V praef. p. XI sq.). Glossas autem Placideas libri glossarum ex vetustiore huius ipsius codicis Parisini exemplari repetendas esse mihi quidem probavit idem vir doctus in commentatione de libro glossarum composita p. 63 (cf. C. G. L. vol. V praef. p. XIV). In libro igitur glossarum et codice Parisino non paucae glossae Placido ascribuntur, quae desunt in libris Romanis, et his pleniorem olim fuisse Placidi memoriam etiam inde apparet, quod in anthologiae Salmasianae praefatione (Riesius Anthol. lat. I p. 69, Baehrens P. L. M. IV p. 241) inter multa vocabula glossematica, quae adhuc apud Placidum exstant, nonnulla inveniuntur, quae nunc apud eum non leguntur quaeque olim ibi exstitisse probabile est (cf. Loewius Gl. N. p. 77 sqq., Goetzius Ind. Ien. 1893 p. 3 sqq., C. G. L. vol. V praef. p. V sq.). Quamquam quod ad librum glossarum attinet, non omnes quae ibi tantum Placido ascribuntur glossae genuinae esse possunt. Iam Deuerlingius Placid. praef. p. XIII exposuit, ut in libro glossarum nonnullis veris Placidi glossis aliena nomina indita sint, velut Vergilii nomen his glossis: *aeque vident, anquirens,* aliis, Isidori his: *auspicium, carisa,* aliis, aliorum auctorum nomina aliis, sic facile fieri potuisse, ut Placidi quoque nomen nonnullis falso tribueretur. Idem vir doctus in glossas, quae Placido non ascribuntur nisi in libro glossarum, quas quidem glossas complexus est in programmate a. 1876 p. 11—36, accuratius inquisivit (Bl. f. d. bayr. Gymn. tom. XIV

p. 302 sqq.). Quarum in numero magnam copiam earum, quibus artis grammaticae, rhetoricae, metricae, poeticae vocabula explicantur, velut *accentus, allegoricum, anadiplosis,* aliae, cum inter certe genuinas duae tantum exstent, quae cum illis comparari possint, *analogia* et *commata,* aptam esse, quae suspicionem moveat, iure affirmat (cf. Goetzius Ind. Ien. 1886 p. VI). Glossis l. s. s. p. 305 compositis addi possunt hae: *idioma, schema, spondius, tetraptota, thelycon.* Deuerlingii autem sententia eo comprobatur, quod ex illis glossis nullae nisi hae etiam codice Parisino traditae sunt: *macrologia, idioma, patronymica,* quarum prima non inter Placideas exstat, altera et tertia ita positae sunt, ut diiudicari non possit, utrum ad Placidi glossarum an ad aliam seriem referendae sint. Ceterum glossa *patronymica* duabus illis certe genuinis *analogia* et *commata* non dissimilis est.

Praeter has Deuerlingius l. s. s. p. 303 sq. in suspicionem vocandas esse censet etiam eas, quae ad certos Vergilii carminum locos spectent, quarum ipsarum numerus pro numero huius generis glossarum libris Romanis traditarum maior sit, quam ut omnes genuinas esse putari liceat. Qua in re, quod quidem ad libros Romanos attinet, earum tantum rationem habuit, quarum forma ad commentarium aut glossarium ad Vergilii carmina conscriptum spectare videtur, omisit autem eas, quibus ipsius poetae nomen ita commemoratur, ut ad alios ac quos modo diximus fontes eas referre necesse sit, velut: *macte verbum est bene alicui optantis, ut Vergilius dicit 'macte nova virtute puer';* cf. *chaos, globus,* alias. Tamen in numerum glossarum Vergilianarum solius libri glossarum recepit has: *'praevertit et praevertitur' dicimus, quia verbum est activum, loco suo tamen et pro se invicem verba ponuntur ut in Virgilio: 'volucremque fuga praevertitur Hebrum' pro praevertit. — confieri pro fieri adiecta praepositione, hoc Vergilius. Terentius vero: 'hoc confit quod volo' et 'spero, confore' pro fore.* Huc haud scio an referenda sit etiam haec: *vulgus regulariter generis masculini est: Virgilius vero posuit et neutraliter;* cf. quam Deuerlingius non habet glossam: *vulgus nota masculini generis magis esse quam neutri. Virgilius: spargere voces in vulgum* e. q. s. Hae igitur glossae a ceteris, quas composuit Deuerlingius, seiungendae sunt. Nonnullas praeterea glossas idem vir doctus ad Vergilii carmina rettulit, quas ad hunc auctorem spectare non tam certum est, velut: *heia te: exhortativa vox: eia hoc est age,* quam glossam refert ad Verg. Aen. IX 38 scribens: *heia est exhortativa* e. q. s., cum Buechelerus ex carm. ep. 983 *heiage* proponat. Dein glossa:

inbelles: qui pugnam ignorabant (*ignorant* Deuerl.), si quidem imperfectum recte se habet, ad Verg. Georg. III 265 spectare non potest, neque *cassantem* ad Verg. Aen. III 430, nisi cum Deuerlingio *cessantem* scribendum esse putas. Quas glossas etsi omiserimus, tamen plures restabunt, quam quas omnes olim apud Placidum exstitisse credibile sit. Eis autem, quas composuit Deuerlingius, addendae sunt nonnullae, quas Goetzius ad certos locos rettulit: *firma robora* (cf. Verg. Aen. II 481), *recalent* (cf. Verg. Aen. XII 35), *Tela typhoea* (cf. Verg. Aen. I 665). Glossa *interfusa* procul dubio ad Verg. Georg. IV 480 spectat.

Has autem glossas vel magnam earum partem non esse genuinas eo probabilius est, quod ex eis quidem, quas Deuerlingius collegit, praeter glossam *praevertit et praevertitur,* quam supra exclusimus, hae tantum etiam codice Parisino traditae sunt: *heia te* et *secreti* eaeque extra ordinem, quo Placideae continentur, dein *portendere, rura, scintillam,* ex iis, quas ipse addidi, *recalent.* Quae cum ita sint, vix possumus non putare aliunde magnam illarum glossarum partem in librum glossarum invasisse.

Pergo ad aliam dubiarum glossarum seriem. Iam Loewius Prodr. p. 154 monuit Placidi glossas cum nullo alio glossario exceptis nimirum libro glossarum et libris ab illo pendentibus (accedit nunc codex Parisinus) artiore vinculo coniunctas esse, ac si quae glossae similes alibi exstent, ex eisdem utrobique fontibus haustum esse. Neque Loewio assentiri non possumus collatis Placidi cum aliorum glossariorum glossis, id quod facile fieri potest, postquam Goetzii cura atque diligentia glossarum, quae Corporis Glossariorum Latinorum voll. II—V continentur, moles in Thesauro Glossarum Emendatarum collecta et digesta est. Parva igitur Placidi glossarum pars aliquo modo cum ceteris glossariis cohaeret. Dico autem eas glossas, quas genuinas esse testantur libri Romani: alia est ratio earum, quae in solo libro glossarum Placido ascribuntur, quarum in numero sunt non paucae in aliis quoque glossariis occurrentes. Quae discrepantia maxime fit perspicua collatis et Placidi certe genuinis glossis et quae ei in solo libro glossarum ascribuntur cum pervetusti illius codicis Vaticani 3321 s. VII scripti glossis a Goetzio C. G. L. vol. IV p. 1—198 editis iisque uncinis non inclusis, quae a prima nominari solent glossae abstrusa. Perpaucae enim Placidi glossarum certe genuinarum similitudine quadam cum glossis abstrusa cohaerent, hae tantum plane fere cum iis consentiunt: 1) Plac. *nandi: natandi* = C. G. L. IV 122, 6. 2) Plac. *asylum: graece templum, ad quod quis⟨quis⟩* (*siquis* R) *confugiebat nefas*

erat trahi, id est a non (*an* R *non* G) *trahendo spolium* = Cod. Cass. 439 ante C. G. L. IV 3, 20 *asylum: graece templum, ad quod quisquis fugiebat nefas erat inde trahi. dictum asylum a non trahendo spolium.* Quarum glossarum prior simplicior est, quam cui multum momenti tribui possit, cum etiam in aliis glossariis verbi quod est *nare* formae aliae per verbum *natandi* explicantur, altera uno codice Cassinensi tradita num genuina sit, dubitari potest; quare ne huic quidem multum momenti tribuendum est. Quibus glossis adiungo paucas solis libro glossarum et codice Parisino traditas, quae tamen in codice Paris. aut non ascribuntur Placido, aut ordine perturbato non sine dubio attribui possunt. Extra autem ordinem Placideum positae sunt hae: 1) C. G. L. V 88, 11 = 122, 37 *nunc* = IV 126, 51, quae glossa in altero tantum libri glossarum codice Vatic. Palat. 1773, cuius lectiones Goetzius in apparatu attulit, Placido ascribitur, cum in cod. Paris. 11529. 11530, quem pro fundamento editionis habet idem vir doctus, nota *de gl.* addita sit. 2) C. G. L. V 84, 26 = 118, 3 *monarchia* = IV 119, 10. 3) C. G. L. V 101, 20 = 156, 27 *telluris* = IV 182, 11. Huc refero 4) C.G.L. V 94, 17 *praesidium: perfugium* + V 94, 18 *praesidium: auxilium* = V 136, 10 *praesidium: perfugium vel auxilium* = IV 154, 1. His glossis subiungo nonnullas, quae, cum in codice Parisino ordo Placideus aliquo modo turbatus sit, quem ad ordinem referendae sint, dubium est: 1) C. G. L. V 81, 24 = 113, 30 *luculenter* = IV 110, 38. 2) C. G. L. V 82, 1 = 113, 28 *luculentus* = IV 110, 37. 3) C. G. L. V 87, 3 = 120, 44 *nexa* = IV 124, 28. Ceterum hae tres glossae in altero tantum libri gloss. codice Vatic. Palat. 1773 Placido ascribuntur.

Transeo ad eas glossas, quae Placido non ascribuntur nisi in libro gloss. quaeque cum glossis abstrusa plane congruunt. Ac primum quidem eas enumerabo, quas uterque codex, quos Goetzius in libro gloss. recensendo duces sequitur, Placido tribuit: 1) C. G. L. V 44, 8 *accipitrem* = IV 5, 31. 2) C. G. L. V 44, 37 *adscivit* = IV 7, 35. 3) C. G. L. V 53, 4 *catasceue* = IV 30, 27. 4) C. G. L. V 57, 28 *colluvione* = IV 39, 11. 5) C. G. L. V 59, 28 *cruminis* = IV 47, 21. 6) C. G. L. V 61, 4 *dilibuitur* = IV 54, 29. 7) C. G. L. V 62, 11 *discretum* = IV 54, 17. 8) C. G. L. V 65, 3 *epimenia* = IV 64, 7. 9) C. G. L. V 65, 15 *erebum* = IV 65, 8. 10) C. G. L. V 65, 26 *este* = IV 65, 36. 11) C. G. L. V 65, 27 *estote* = IV 65, 38. 12) C. G. L. V 66, 9 *exanclandi* = IV 70, 14. 13) C. G. L. V 67, 20 *expilatores* = IV 70, 26. 14) C. G. L. V 75, 18 *identidem* = IV 88, 54. 15) C. G. L. V 76, 9 *immolat* = cod. Cass. 439

Paris. 2341 Paris. 7691 post IV 95, 30. 16) C. G. L. V 79, 3 *iuvat* = IV 102, 32. 17) C. G. L. V 84, 28 *monumenta* = IV 119, 14. 18) C. G. L. V 85, 24 *musitanter* = IV 121, 15. 19) C. G. L. V 93, 18 *poeticus* = IV, 145, 26. 20) C. G. L. V 93, 23 *pollinctus* = IV 146, 3. Quibus glossis adiungo eas, quae in altero tantum libri gloss. codice Vatic. Palat. 1773 Placido tribuuntur. Notulae, per quas in codice Paris. 11529. 11530 fontes indicantur, affigentur: 21) C. G. L. V 48, 30 *arvina (de gl.)* = IV 20, 7. 22) C. G. L. V 50, 6 *baxem (de gl.)* = IV 24, 38. 23) C. G. L. V 50, 34 *bovinatores (de gl.)* = IV 26, 18. 24) C. G. L. V 51, 9 *caelitibus (Virg.)* = IV 31, 49. 25) C. G. L. V 51, 35 *candius (de gl.)* = IV 30, 13. 26) C. G. L. V 58, 26 *contiguum (Virg.)* = IV 42, 49. 27) C. G. L. V 73, 5 *hareolus (de gl.)* = IV 84, 42. 28) C. G. L. V 86, 19 *nenias (de gl.)* = cod. Cass. 439 post IV 122, 52. 29) C. G. L. V 92, 8 *persola (de gl.)* = IV 141, 33. 30) C. G. L. V 100, 20 *suggillavit (de gl.)* = cod. Paris. 2341 post IV 178, 35. — Hae duae glossae in codice Paris. 11529. 11530 Placido ascribuntur, in altero prior Isidoro, altera Vergilio: 31) C. G. L. V 64, 20 *enocilis* = IV 63, 19. 32) C. G. L. V 101, 6 *suspendio* = IV 180, 20. Iam nemo non videbit inter Placidi certe genuinas et glossas abstrusa omnino aliam rationem intercedere atque inter eas, quae in solo libro gloss. Placido ascribuntur, et idem illud glossarium. Quam rem eo minus casui tribui licet, quod facile explicari potest. Cum enim glossae abstrusa in librum gloss. receptae sint (cf. Goetzius 'Der Liber Glossarum' p. 65), facile fieri poterat, ut nonnullae genuinis Placidi glossis admiscerentur. Idem valet de paucis glossis et libro gloss. et codice Paris. traditis, in quem ipsum permultae glossarum illarum abstrusa vel plurimae fluxerunt (cf. Goetzius l. s. s.). Accedit, quod non paucae harum glossarum in alterutro tantum codice Placido assignatae sunt. Sententia autem, quam protuli, comprobatur his imprimis glossis: C. G. L. V 84, 26 = 118, 3 *monarchia* = IV 119, 10. In codice Parisino exstat haec glossa media in serie glossarum, quae ex glossario abstrusa fluxerunt, id quod apparet collata serie codicis Paris. cum Vaticano 3321:

C. G. L. V 118, 2 *monstrum* = IV 119, 9
V 118, 3 *monarchia* = IV 119, 10
V 118, 4 *monacosmum* = IV 119, 11
V 118, 5 *monopolium* = IV 119, 12.

Iam vides glossarum abstrusa seriem ordine non mutato in codicem Parisinum translatam esse. Glossa igitur *monarchia* quin a Placido

abiudicanda sit dubium esse non potest. Uno libri gloss. loco pro glossa Placidi genuina glossa abstrusa exstat: Plac. *arvina: pinguedo* = C. G. L. V 48, 30 *arvina: adeps aut pinguedo* = IV 20, 7.

Nunc venio ad alterum codicis Vaticani 3321 glossarium h. e. eas glossas, quae uncinis inclusae sunt. Quibus cum Placideis collatis apparere puto inter illas et Placidi certe genuinas et eas, quae Placido in solo libro gloss. ascribuntur, similem rationem intercedere ac quam de glossis abstrusa statuimus. Ex eis enim Placidi glossis, quae certe genuinae sunt, hae plane cum codice Vatic. 3321 congruunt: 1) Plac. *fautor* = C. G. L. IV 74, 12. 2) Plac. *tempestivum* = C. G. L. IV 183, 30. 3) Plac. *tonsae* = C. G. L. IV 185, 40. Ex eis glossis, quae solis libro gloss. et codice Paris. traditae sunt, hae cum codicis Vatic. 3321 glossis conspirant: 4) C. G. L. V 84, 5 = 116, 42 *mergier* = IV 116, 29 (in codice Parisino ordo est turbatus). 5) C. G. L. V 83, 20 = 115, 43 *mavult* = IV 114, 7, quae glossa in altero tantum libri gloss. codice Vatic. Palat. 1773 Placido tribuitur. 6) C. G. L. V 98, 11 = 148, 11 *secreti* = IV 170, 5, quae glossa Placido non ascribitur nisi in altero libri gloss. codice Vatic. Palat. 1773 et in codice Parisino media in aliarum glossarum serie exstat.

Multo plures ex glossis solo libro gloss. traditis cum codice Vatic. 3321 congruunt. Ac primum quidem eas enumero, quae Placido in altero tantum codice Vatic. Palat. 1773 assignatae sunt: 1) C. G. L. V 51, 8 = 53, 25 *caelicolae (Virg.)* = IV 32, 7. 2) C. G. L. V 60, 24 *dedecet (de gl.)* = IV 48, 21. 3) C. G. L. V 66, 21 *exsecratio (de gl.)* = IV 68, 31. 4) C. G. L. V 100, 20 *suggillavit (de gl.)* = IV 177, 39 (cf. p. 87). In solo codice Paris. 11529. 11530 Placido tribuitur 5) C. G. L. V 64, 10 *elogium* = IV 61, 42, quam glossam alter codex Isidoro assignat. In utroque codice Placido ascribuntur hae glossae: 6) C. G. L. V 58, 10 *consilium* = IV 36, 37. 7) C. G. L. V 63, 24 *edurum* = IV 59, 45. 8) C. G. L. V 66, 9 *exanclandi* = IV 72, 3 (cf. p. 86). 9) C. G. L. V 75, 14 *identidem* = IV 89, 4. 10) C. G. L. V 75, 19 *identidem* = IV 88, 59. 11) C. G. L. V 76, 9 *immolat* = IV 89, 42 (cf. p. 86). 12) C. G. L. V 76, 28 *innectit* = IV 96, 24. 13) C. G. L. V 76, 29 *innectit* = IV 91, 51. 14) C. G. L. V 78, 18 *intemperantia* = IV 93, 8. 15) C. G. L. V 83, 8 *manticulare* = IV 113, 7. 16) C. G. L. V 84, 8 *metafora* = IV 117, 3. 17) C. G. L. V 85, 24 *musitanter* = IV 121, 21 (cf. p. 87). 18) C. G. L. V 85, 25 *musitantes* = IV 121, 47. 19) C. G. L. V 87, 5 *noctipugam* = IV 126, 10. 20) C. G. L. V 88, 2 *nudus* = IV 127, 19. 21) C. G. L. V 97, 11 *rivalis* = IV 164, 28. 22) C.

G. L. V 100, 3 *spiris* = IV 175, 13. 23) C. G. L. V 101, 8 *suspensa* = IV 180, 27.

Quarum glossarum magnam partem a Placido esse abiudicandam apparet. Quae res quomodo explicari possit, quaerendum est. Goetzius quidem in commentatione de libro glossarum scripto p. 65 exposuit praeter glossarium abstrusa nullum inveniri, quod in librum gloss. receptum esse demonstrari possit. Sed fortasse glossarium quoddam codicis illius Vaticani 3321 glossis uncinis inclusis simile in librum gloss. fluxit, cuius glossarii glossae nonnullae Placido falso ascriptae sunt.

Quoniam vidimus aliquam partem glossarum solius libri glossarum ex aliis glossariis derivatam a Placido esse abiudicandam, dubium vix esse potest, quin hae quoque glossae ex Eucherii instructionibus, ex quibus non ita pauca in librum gloss. recepta esse Goetzius in commentatione de libro glossarum composita p. 52 exposuit, non ex Placido, in librum gloss. fluxerint: C. G. L. V 70, 16 *frameae* = Euch. instr. p. 147, 1 (quae glossa in uno cod. Vatic. Palat. 1773 Placido attribuitur) et C. G. L V 83, 24 *melotis* = Euch. instr. p. 157, 1.

Quae cum ita sint, etiam alias glossas in libro gloss. falso Placido ascriptas esse summo iure coniciamus. Imprimis autem eae glossae solius libri glossarum, quae cum aliis glossariis plane congruunt, num genuinae sint, in dubium plerumque vocandum est. Haec habeo quae eis addam, quae viri docti de Placido libri glossarum et codicis Parisini disputaverunt.

II.

De Placidi glossario ex diversis partibus composito.

Loewius Gl. N. p. 86 Placidi glossas constare exposuit duobus ex generibus disparibus, quorum altero eoque maiore contineantur verae glossae ad priscos auctores spectantes, altero regulae ad artem grammaticam et orthographiam pertinentes, quas in ordines plerumque comprehensas esse idem vir doctus demonstravit l. c. p. 87. Et glossis forma prorsus diversis glossarium illud contextum esse nemo non videbit; ac ne eas quidem, quas Loewius a glossis ad res grammaticas spectantibus segregavit quasque ad priscos auctores referendas esse exposuit, unius et eiusdem generis esse demonstraturum me esse spero. Age nunc ordines quosdam eiusdem

generis glossarum definire conemur, dein, quae his sint communia, videamus.

Pari autem forma arte inter se cohaerent hae fere glossae: litterae A *allaterati palmulis* C. G. L. V 6, 4 Deuerling. 6, 27 — paenultimam *amussis,* cum vocis extremae, quae est *agoniae,* ampla explicatio non huc spectet; litterae B prima — *boni consultum* C. G. L. V 8, 24 D. 14, 6; litterae C *crea* C. G. L. V 13, 22 D. 23, 21 — ultimam; litterae D prima — *dispuditum* C. G. L. V 16, 43 D. 33, 8; litterae E *exerimus* C. G. L. V 21, 2 D. 40, 16 — ultimam; litterae F prima — *flatare* C. G. L. V 23, 4 D. 46, 9; litterae G *genuinorum* C. G. L. V 24, 14 D. 49, 10 — ultimam; litterae H *hilum* C. G. L. V 25, 12 D. 51, 12 — *hirudo* C. G. L. V 25, 30 D. 52, 12; litterae I *ingruit* C. G. L. V 28, 21 D. 57, 15 — ultimam; litterae K omnes; litterae L prima — *lucuns* C. G. L. V 30, 11 D. 61, 7; litterae M *manticulatio* C. G. L. V 33, 4 D. 66, 17 — ultimam; litterae N prima — *nullationem* C. G. L. V 34, 7 D. 69, 7; litterae O *obstipeculus* C. G. L. V 36, 17 D. 72, 30 — ultimam; litterae P prima — *pedo* C. G. L. V 37, 31 D. 75, 10.

In extremis litteris desunt tales ordines, de qua re infra agetur. Age nunc videamus, quae his ordinibus, quos terminis utcumque certis circumscribere conatus sum, sint communia. Ac primum quidem glossarum illarum longe plurimae sunt brevissimae, paucae paulo ampliores, sed ita, ut omnia quam brevissime dicantur. Dein hac re a ceteris differunt, quod explicatio, cum in amplioribus — quo nomine ceteras glossas significo — plerumque cum lemmate aliquo verbo velut *est, id est, significat, dicitur,* aliis, coniuncta sit, in his sine verbo iuxta lemma ponitur. Ipsa autem lemmata in brevissimam formam sunt redacta ita, ut fere una vox interpretamento egens ponatur: at in amplioribus glossis toti loci saepe sunt lemmata, ut in his: *aere vitam ducit ac manu; cariosi generis suboles; in aeternae vitae crepidine fundatus,* aliis. Glossae autem illae spectant ad priscos auctores, qua re fit, ut non paucae similitudine quadam cum Festi reliquiis coniunctae sint, cum inter ampliores, quippe quae magnam partem ad recentiorem aetatem spectent, perpaucae exstent, quae Festinis similiores sint; sed haec quaestio tertio ac quarto capite accuratius tractabitur. Ad ea, quae dixi, illustranda pauca exempla afferre satis erit; e. g. priores glossas ordinis, quem in littera C exstare vidimus inde a glossa *crea* C. G. L. V 13, 22 D. 23, 21 usque ad ultimam, conferamus cum iis, quae antecedunt; incipiamus a C. G. L. V 13, 14 D. 23, 7 *congesta dicuntur, quae ex multis in unum congeruntur, ut saxa,*

vestes et frumenta aut paleae in struem congestae; 15) *commenta plura significat. dicimus enim comminisci 'crimen confingere'. dicimus et commenta interpretationes commentariorum, ut commenta iuris, commenta Virgilii;* 16) *coerciti: vindicati, id est in quibus crimen punitur. coercere enim est vindicare. item cohercere dicimus circumvenire, ut civitatem fossa vel campum fluviis;* 17) *considere est in uno loco sedere;* 18) *cultus est animi ac loci;* 19) *consulto a consulendo et tractando dictum est, quod sic fit, ut consulat et nocere non possit;* 20) *circumspectissime: nimis acute;* 21) *censores sunt patrimoniorum et morum iudices.* Cum his comparentur ea quae secuntur: 22) *crea: stercus, unde nos ea, quae ex ore abicimus, excreare dicimus, id est expuere;* 23) *ciccum: granum mali Punici aut umbilicus lupini;* 24) *caculae: lixae aut servi militum;* 25) *consonant: vocem dimissam sentiunt;* 26) *capedulum: vestimentum capitis;* 27) *creperae res: incertae dubiaeque, unde et crepusculum;* 28) *connum: proximum* e. q. s. Quibus glossis collatis apparet, quantum distent priores a posterioribus: hae sunt priscorum verborum explicationes, in illarum numero ne una quidem est, quam ad priscum auctorem pertinere putemus necesse est. Quae autem discrepantia sit inter has breviores et illas ampliores glossas, elucet etiam ex diversa iteratarum forma, ex quibus quae breviorum numero ducendae sunt, primo loco, quae ampliorum, secundo enumerabuntur:

I) C. G. L. V 8, 9 D. 13, 4 *boba: vehemens rubor, interdum genus serpentis.*

II) C. G. L. V 9, 1 D. 14, 17 *boa animal est quod valde persequitur boves, unde et nomen habet boa,* quae glossae lemmatum forma discrepant.

I) C. G. L. V 21, 5 D. 40, 19 *exanclare: exanimare vel exinanire;* C. G. L. V 21, 29 D. 42, 8 *exanclata: exhausta et quasi exangulata, id est per angulos quoque exquisita.*

II) C. G. L. V 20, 2 D. 38, 25 *exanclare: exhaurire ex graeco veniens, quod quidem verbum Plautus, saecularis poeta comicus, posuit ita in Sticho: ne iste edepol vini poculo pauxillulo saepe exanclavi⟨t⟩;* quae ampla glossa satis a duarum illarum breviorum forma discrepat; accedit, ut ab ea quidem, quam altero loco posui, veriloquio differat.

I) C. G. L. V 6, 9 D. 7, 4 *adoria: gloria vel bona fama.*

II) C. G. L. V 4, 13 D. 3, 18 *adoria: panis de adore, id est laus bellica.*

I) C. G. L. V 6, 27 D. 8, 10 *autumant: dicunt, locuntur.*

II) C. G. L. V 4, 4 D. 2, 15 *autumant: asserunt, confirmant vel adseverant.*
I) C. G. L. V 7, 17 D. 10, 11 *averruncando: abominando. Graeci φυλάξαι dicunt.*
II) C. G. L. V 5, 17 D. 5, 9 *averruncassint: avellerint vel averterint.*
I) C. G. L. V 14, 36 D. 26, 14 *caespitibus: glebis terrae cum suo gramine. interdum alio loco ramis significat.*
II) C. G. L. V 13, 10 D. 23, 2 *caespites: frutices, et scribimus diptongum.*
I) C. G. L. V 15, 19 D. 28, 12 *coniectaverat: correxerat, contorserat.*
II) C. G. L. V 11, 24 D. 20, 7 *coniectare: coniecturam facere vel aestimare.*
I) C. G. L. V 15, 24 D. 28, 17 *conticinio: tempore noctis post galli cantum, quod cecinit et conticuit.*
II) C. G. L. V 34, 14 D. 70, 6 (s. v. *noctis partes) conticinium dicimus, quando omnes silent, conticescere enim silere est.*
I) C. G. L. V 29, 4 D. 58, 15 *ingluviem: Cornutus ventrem, Plinius edacitatem.*
II) C. G. L. V 27, 16 D. 56, 3 *ingluvies: gula vel voracitas.*
I) C. G. L. V 37, 9 D. 74, 5 *paedor: sordes.*
II) C. G. L. V 37, 39 D. 76, 2 *paedor genere masculino dicitur hic paedor et hi paedores, non paedora, ut Lucanus: longusque in carcere paedor.*

Similis discrepantia est inter has glossas, quarum altera solo libro glossarum tradita est:

I) C. G. L. V 12, 13 D. 21, 3 *coeo: convenio.*
II) C. G. L. V 55, 38 *coire sine h scribendum.*
I) C. G. L. V 59, 24 *cribrum: setacium ad polline⟨m⟩.*
II) C. G. L. V 10, 6 D. 17, 2 *cribrum, non ciribrum neutro genere magis dicimus quam masculino.*
I) C. G. L. V 15, 38 D. 29, 13 *confiet: parabitur, conficietur.*
II) C. G. L. V 57, 18 *confieri pro fieri adiecta praepositione, hoc Vergilius. Terentius vero: 'hoc confit quod volo' et 'spero confore' pro fore.*

In extremis litteris inde a littera R breviorum quas diximus glossarum certi ordines desunt, neque omnino in illam glossarii partem huius generis glossae admissae esse videntur, sed illarum litterarum glossae omnes ampliorum quas diximus esse putandae sunt. Ac ne eae quidem glossae per litteras illas incipientes, quae solis libro glossarum et codice Parisino aut illo solo traditae sunt, ab amplioribus forma discrepant. Neque Deuerlingius, qui unius

libri glossarum glossas, quae ad vetustos auctores spectent, composuit (Bl. f. d. bayr. Gymn. tom. XIV p. 302), earum numero ducit unam ex eis, quae per extremas litteras incipiunt.

Sed ne has quidem glossas, quas breviores diximus, ex uno et eodem fonte petitas esse apparet vel ex glossis duplici modo explicatis: ad diversos fontes revocandae sunt procul dubio hae, quippe quae et interpretamento et lemmatum forma inter se differant:

A) C. G. L. V 6, 20 D. 8, 3 *abludam: paleam.*

B) C. G. L. V 6, 30 D. 8, 13 *apluda: furfuribus alii*[1]) *pannicique.*

Ratione scribendi diversa sunt harum quoque glossarum lemmata, cum prioris interpretamentum altera contineatur:

A) C. G. L. V 6, 11 D. 7, 6 *angrae: intervalla arborum.*

B) C. G. L. V 7, 3 D. 9, 11 *ancras: convalles aut arborum intervalla.*

Ac ne inter has quidem intercedit ulla ratio:

A) C. G. L. V 6, 5 D. 6, 28 *actutum: statim, continuo.*

B) C. G. L. V 6, 35 D. 8, 19 *actutum: brevi, festinanter, prope⟨re⟩.*

A) C. G. L. V 6, 7 D. 7, 2 *ad incitam: ad extremam fortunam.*

B) C. G. L. V 7, 12 D. 10, 4 *ad incitas: ad summam rerum perturbationem desperationemque.*

Sic breves quas diximus glossae litterae A in duas partes divisae videntur, quarum altera continentur glossae, quas priore, altera, quas secundo loco commemoravi. Similiter sunt etiam aliarum litterarum glossae bipartitae; bis enim explicantur in litteris B, C, D, E hae:

A) C. G. L. V 8, 12 D. 13, 7 *baxae: calcei mulieris alti.*

B) C. G. L. V 8, 16 D. 13, 2 *baxeas: calciamenta,* quae glossae lemmatum forma inter se differunt.

A) C. G. L. V 8, 8 D. 13, 2 *bubinare: sanguine inquinare.*[2]) *bubinarium autem est sanguis qui mulieribus menstruis venit.*

B) C. G. L. V 8, 18 D. 13, 14 *bubino: menstruo, id est fluore[m]*[3]) *sanguinis ⟨inquino⟩,* quas glossas huc referri licet, si quidem Goetzium sequimur, qui *inquino* supplevit.[4])

A) C. G. L. V 13, 20 D. 24, 6 *casnar: senex.*

B) C. G. L. V 15, 34 D. 29, 8 *casnari: seni Oscorum lingua.*

1) *milii* Henschelius, qua coniectura glossa sanatur; *milii pannicique ⟨folliculus⟩* Goetzius Ind. Ien. 1893 p. VIII.

2) ita Deuerling pro *inquinari.* 3) *fluore* Deuerling.

4) *id est* del. Loewe Prodr. 314; *id est sanguinis* del. Baehrens 'Ien. Litteraturz.' 1877 p. 156.

A) C. G. L. V 16, 38 D. 33, 1 *damium: Bonae deae sacrum.*
B) C. G. L. V 16, 8 D. 30, 2 *damium: sacrificium, quod in operto fit, quod Bonae deae mulieres faciunt.*
A) C. G. L. V 21, 5 D. 40, 19 *exanclare: exanimare vel exinanire.*
B) C. G. L. V 21, 29 D. 42, 8 *exanclata: exhausta et quasi exangulata, id est per angulos quoque exquisita.*
A) C. G. L. V 21, 7 D. 40, 21 *effafillatus: exerto humero, id est extra filum manum [id est extra] proferens.*
B) C. G. L. V 21, 21 D. 41, 16 *exfabillavero: exeruero,* quae glossae lemmatis differunt.

Glossas igitur, quas priore et quas secundo loco posui, ad diversos fontes vix possumus non referre. Quales autem fuerint hi fontes, aliquo modo erui posse arbitror. Age comparemus e. g. litterae C glossas inde a glossa *crea* C. G. L. V 13, 22 D. 23, 21 usque ad glossam fere *contumias* C. G. L. V 14, 17 D. 25, 8 cum iis, quae sequuntur, inde a glossa *caudeam* C. G. L. V 14, 18 D. 25, 9 usque ad glossam fere *conspicillo* C. G. L. V 15, 10 D. 28, 1: iam nemo non videbit prioris partis (A) glossas ab altera (B) aliquo modo diversas esse: illae sunt brevissimae, hae paulo ampliores. Maxime autem hae glossae in veriloquiis indicandis inter se discrepant: in parte B glossographus sola praepositione *a* utitur vel participii, quod est *dictus,* formam addit, ut in his: C. G. L. V 14, 26 D. 25, 19 *carensis: pistoribus, a caria, quam Oscorum lingua panem esse dicimus.* C. G. L. V 14, 35 D. 26, 12 *cocetum: a Graeco κυκεῶνα.* C. G. L. V 14, 38 D. 26, 17 *cohum: naturam universam* ⟨*a*⟩[1] *Chao, id est inani vel vacuo.* C. G. L. V 14, 24 D. 25, 17 *caesariati: comati, a caesarie dicti.* C. G. L. V 14, 28 D. 26, 3: *clunaculum: pugionem, dictum ab eo, quod ad clunes religatur, id est spata.* C. G. L. V 15, 8 D. 27, 20 *concenturiat: instruit, ordinat: dictum a centurionibus, qui milites ordinant.* Vel enuntiato per *quod* vel *quia* incohato utitur: C. G. L. V 14, 18 D. 25, 9 *caudeam: iunceam, quod iuncea cauda emergat. dicitur et scirpum et tibi tibin.* C. G. L. V 14, 27 D. 26, 1 *carenatoribus: lanariis, quia cariunt, id est carpunt vel dividunt.* Vel in interpretamentis adhibet verba ab eadem stirpe, unde lemmata, ducta, velut in hac: C. G. L. V 14, 19 D. 25, 11 *coniector: coniecturae peritus, id est praedivinandi,* aliis. — At in parte A veriloquia omnino non proferuntur, praeterquam quod in harum interpretamentis glossographus utitur vocibus, quae similiter ac lemmata sonant: C. G. L.

1) *a* add. O. Mueller ex Festo Pauli 46, 13 et Varrone de l. l. V. 19.

V 14, 4 D. 24, 15 *conditio: in quo corpora mortuorum conduntur.* C. G. L. V 14, 12 D. 25, 3 *contiguum: quod contingi potest.* C.G.L. V 14, 5 D. 24, 16 *concubia: cum omnes cubant,* id quod ideo fecisse glossographum, ut veriloquia indicaret, putare necesse non est. — Ut paucis dicam, in partis A glossas bene quadrant, quae Goetzius Ind. Ien. 1886 p. X de glossematis exposuit 'lemmata eam formam habuisse, quae in ipsis auctorum libris exstitit, interpretamenta et simplicissima et ad glossemata accommodata fuisse; neque testimonia scriptorum neque veriloquia in interpretamentis exstitisse.' Placidi autem lemmata formam praebere ab ipsis auctoribus, ad quos spectant, usurpatam luculentissime demonstravit Loewius Gl. N. p. 95 sqq.

Nunc ad alterius generis glossas, quae parte B continentur, veniendum est. Exstant autem inter eas nonnullae satis memorabiles: 1) C. G. L. V 14, 36 D. 26, 14 *caespitibus: glebis terrae cum suo gramine. interdum alio loco ramis significat,* cuius glossae interpretamentum loco, ad quem spectat, ascriptum olim fuisse ex illo *alio loco* concludo; de iusto commentario ne cogitem impedit me harum omnium glossarum, de quibus agimus, forma, quae a commentario iusto abhorrere mihi videtur. Ad eundem cum hac fontem refero eam, quae in libris quidem Romanis sequitur: 2) C. G. L. V 14, 37 D. 26, 16 *colurnis: ex cornu factis. nam et colurni, qui ex corulo fiunt,* qua in glossa enuntiati per *nam et* incohati vim assequi non possum, nisi interpretamentum olim loco explicando aspersum fuisse censemus. 3) C. G. L. V 14, 18 D. 25, 9 *caudeam: iunceam, quod iuncea cauda emergat. dicitur et scirpum et tibi tibin,* cuius glossae extrema verba *dicitur* e. q. s. vix genuina sunt. Qua cum glossa conferenda est haec Festi Pauli p. 46, 11 *caudeae*[1]) *cistellae: ex iunco, a similitudine equinae caudae factae.* Quas duas glossas ad Plauti Rud. 1109 (= 1133) 'cistellam isti inesse oportet caudeam in isto vidulo' spectare demonstravit Loewius Gl. N. p. 96. Placidi autem glossa quomodo intellegi possit nisi Plauti versu adhibito nescio. 4) C. G. L. V 14, 31 D. 26, 7 *confoeditos: foedere copulatos, quoniam † enumere*[2]) *coniuges non erat usitatum,* quae glossa, quocunque modo restituenda est, certe composita esse non videtur, quae loco, ad quem spectat, non adhibito per se intellegeretur. 5) C. G. L. V 15, 10, D. 28, 1 *conspicillo: ita ut conspici possint, quod aiunt longis lineis,* quae

1) ita codd. *caudecae* corr. Scal. cf. Loewius Gl. N. p. 96.
2) *coemere* c² *emere* corr. cod. Bern. *enubere* coni. Buechelerus.

glossa certo loco, fortasse Plauti (cf. Loewius Prodr. p. 281) ita accommodata est, ut ipsam quoque ex codice interpretamentis ornato sumptam esse censeam.

Quinque igitur glossas in parte B indagavimus, quas ad codicem vel codices interpretamentis illustratos redire demonstravisse mihi videor. Quare etiam reliquas huius partis glossas ad tales fontes referendas esse probabilis mihi videtur coniectura. Eodem autem modo, quo partis A glossae ab altera parte B diversae sunt, etiam eae, quae proximae partem B sequuntur, inde a glossa fere *conivis* C. G. L. V 15, 11 D. 28, 3 ab extremis litterae C glossis differunt: in prioribus veriloquia non proferuntur, praeterquam quod in hac C. G. L. V 15, 24 D. 28, 17 *conticinio: tempore noctis post galli cantum, quod cecinit et conticuit* verbum quod est *conticuit* ab eadem stirpe ductum est ac lemma; ex posterioribus conferendae sunt C. G. L. V 15, 36 D. 29, 10 *Catialem collem: ubi nunc lacus funditur. est dictus a Catio cuius fons erat eo loco.* C. G. L. V 15, 45 D. 30, 3 *cassiculo: reticulo* ⟨*a*⟩[1]) *cassibus.* C. G. L. V 15, 37 D. 29, 12 *catillo: gulosus, a catelli appetentia.* C. G. L. V, 16, 2 D. 30, 5 *caltulum: cinguli genus, a coacto loro caltae dictum.* Tum in posteriorum numero est una, quam et ipsam ex codice interpretamentis illustrato petitam esse ex adverbio quod est *alias* concludo: C. G. L. V 15, 44 D. 30, 2 *cluram vel glurum simiam alias cercopithecum.* Quare vix dubium esse potest, quin hae ad fontem B (h. e. partis B), illae priores ad fontem A (h. e. partis A) referendae sint. Quae cum ita sint, etiam huic rei aliquid fortasse momenti tribuemus, quod in glossa *casnari: seni, Oscorum lingua* C. G. L. V 15, 34 D. 29, 8 aeque atque in glossa *carensis: pistoribus, a caria, quam Oscorum lingua panem esse dicimus* C. G. L. V 14, 26 D. 25, 19, quae ipsa quoque est partis B, illud *Oscorum lingua* invenitur, quod in glossa *casnar: senex* C. G. L. V 13, 30 D. 24, 6, quae est partis A, deest. — Ad fontem A refero etiam ex litterae A glossis varie traditis, quas p. 93 sq. priore loco commemoravi, *actutum, ad incitam, angrae, abludam,* cum, quas altero loco nominavi, omnes ad alterum fontem B referendas esse putem; glossam enim *apluda* C. G. L. V 6, 30 D. 8, 13, quippe quae et ratione scribendi et interpretamento prorsus a glossa *abludam* C. G. L. V 6, 20 D. 8, 3 discrepet, ut ad alterum fontem B revocem, commoveor vel hoc, quod glossam, quae proxima sequitur, *apax te ductu ἀπὸ τοῦ ἄπαγε dictum* eodem referendam esse ad-

1) *a* add. Deuerling e Festo Pauli p. 48, 1.

modum verisimile est: nam similis glossa in litterae C parte B invenitur: C. G. L. V 14, 35 D. 26, 12 *cocetum a graeco κυκεῶνα*, ubi item etymon graecum est. Ex fonte B igitur glossae fere inde a glossa *apluda* usque ad glossam *antegenitos: dogmate Pythagorae qui negavit quemquam sapientiorem fuisse eo qui nomina rebus imposuit* C. G. L. V 7, 13 D. 10, 6 fluxisse videntur, cuius glossae lemma perobscurum esse iure affirmat Heraeus (Arch. f. lat. Lexicographie VI 274); certe nescitur, qua ratione cum interpretamento cohaereat. Quare suspicor glossographum, qui adnotationem margini codicis nescio cuius ascriptam in glossarium recepit, ex toto loco, ad quem spectabat, unam illam vocem excerpsisse. — Glossas, quae hanc proximae sequuntur, fonti A tribuendas esse facile perspicitur; quae sub finem litterae A positae sunt, *anus aestuosa: quod in modum aestuarii maris hauserit, id est biberit* C. G. L. V 7, 44 D. 12, 1 et quae sequuntur: *altriplicem: duplicem, dolosum; ambronem: perditae improbitatis a gente Gallorum, qui cum Cimbris Teutonisque grassantes periere; amussis: regulae vel tabulae quibus utuntur artifices ad saxa: unde adverbium diximus examussim* ad fontem B referendae esse videntur; extremam glossam *agoniae* non breviorum esse iam supra monui.

Quoniam breviores quas diximus glossas litterae C et A ex duobus fontibus inter se diversis haustas esse vidimus, nonne concludi licet in reliquis litteris praeter hos fontes alios adhibitos non esse? Quamquam in reliquis litteris propter glossarum paucitatem eiusdem generis glossarum ordines non tam perspicui sunt. Nonnulla autem fontis B certa vestigia, quae in reliquis litteris inveniuntur, nunc tractemus: 1) C. G. L. V 34, 5 D. 69, 5 *neniam: finem, alias carmen mortuorum,* quam glossam ad Plauti Truc. 213 *huic homini† amanti mea era apud nos neniam dixit de bonis* (Goetz.-Schoell. ed. min.) spectare consentaneum est, quem versum apud Festum quoque s. v. *naenia* laudari cum A. Augustino O. Muellerus ratus sic conatur Festi verba p. 161, 16 restituere: *⟨Sunt qui eo verbo finem sig⟩nificari credi⟨derunt, ut ait Plautus in Pseudolo⟩ "ubi ego (abi ergo* cod.*) ⟨circumvortor, cado: id fuit naenia ludo."⟩ Idem: "Huic hom⟨ini amanti mea hera⟩ dixit domi, et ap⟨ud nos de bonis nae⟩niam maesto"* (sic Muellerus scripsit ex Scaligeri coniectura: in ipso codice *esto* legitur). Quamquam Schoellius dubitat, num ille versus olim hoc loco exstiterit; at cf. Leidolphi de locis Festi et Pauli Plautinis dissertationem Ien. 1883 p. 226 sq. Placidi autem glossam ad partem B esse referendam concludo ex illo *alias.* 2) C. G. L. V 21, 28

D. 42, 7 *efflictim: de plorando dictum*, ubi non cum Loewio, qui *efflictim deperiendo: efflicte amando* proposuit, ad coniecturam confugerim, sed miram illam glossam adnotationem esse putaverim ad nescio quem locum factam, unde eluceret, ad quod verbum *efflictim* esset referendum. Ceterum haec quoque vox apud Plautum passim occurrit. Ad eiusdem auctoris nescio quem versum etiam hanc glossam referendam esse verisimile est 3) C. G. L. V 25, 28 D. 52, 9 *herbam dedit. mos enim contendentibus erat, vulsam herbam ⟨si⟩ qui vinceretur porrigendi, ut nunc dicitur* collato Festo Pauli 99, 7 *herbam do, quum ait Plautus, significat, victum me fateor; quod est antiquae et pastoralis vitae indicium. Nam qui in prato cursu, aut viribus contendebant, quum superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant.* Placidi autem interpretamentum per *enim* cum lemmate coniunctum a codicis cuiusdam margine potius quam a libro quodam glossematorum repetendam esse puto. — Maxime autem memorabilis est haec glossa: 4) C. G. L. V 24, 18 D. 49, 14 *galliciola*[1]*): cortice nucis iuglandis viridis per quem corpus humanum intellegi vult.* Qua cum glossa conferendae sunt hae: Fest. Pauli 98, 12 *gulliocae: nucum iuglandium summa et viridia putamina;* Pseudo-Philoxeni C. G. L. II 36, 34 *guttuliocae: κάρυα μακρά*[2]) *παρὰ Λουκειλίῳ* (1184 *ed. Marx.*); Fest. Pauli 50, 12 *culliola: cortices nucum viridium dicta a similitudine culleorum, quibus vinum sive oleum continetur.* Quas quattuor glossas ad unum et eundem locum, nimirum Lucilii versum quendam, spectare affirmavit Loewius Prodr. p. 299 sqq., negat Marx l. s. s., vix recte.[3]) Quae autem vera lemmatis forma sit, vix evinci poterit; de virorum doctorum coniecturis cf. Loewium l. s. s., Goetzium in Thesauro Gloss. Emend., Marxium l. s. s. Placidi autem glossam in margine codicis cuiusdam, nimirum Luciliani, olim scriptam fuisse ex hac re concludo, quod, ad quem spectet *vult*, nescitur. — Quae cum ita sint, suspicari licet praeter unam illam glossam alias quoque ex eodem fonte petitas esse. Nam Placidi glossas omnes ad Plauti comoedias spectare codicis Corsiniani illi inscriptioni *Incipiunt glossae Luctatii Placidi grammatici in Plauti comoedias* credendum non esse constat; cf. Loewius Prodr. p. 293 sqq., Goetzius C. G. L. vol. V

1) ita R P *gallicola* G.
2) pro *μακρὰ* coni. Osann *ἄκρα*, quod procul dubio verum est, *μικρά* Buechelerus.
3) cf. Schuchardt, Zeitschr. f. rom. Philol. (ed. Groeber) a. 1905, p. 325.

praef. p. X. Immo nonnullas glossas ad alios veteres poetas, velut Ennium, Pacuvium, Terentium, Afranium, Titinium, Livium Andronicum spectare monuerunt H. A. Kochius M. R. vol. 26 p. 549 sqq. et O. Ribbeckius in corollario adnotationum Tragic. Rom. Fragm. praemisso p. LXXII sqq., Comic. Rom. Fragm. p. LI sqq. Optime autem de Placidi glossis ad certos veterum poetarum versus revocandis meruit Loewius, qui cum aliis poetis praeter eas, quas iam Kochius et Ribbeckius invenerant, complures glossas tribuit (cf. Gl. N. p. 95 sqq.), tum non paucas Placidi glossas ad Lucilii saturarum certos versus spectare demonstravit Prodr. p. 295 sqq. Quarum numerum augeri posse puto, ac liceat mihi hoc loco nonnullas addere: 1) Plac. *apud : ad* collato Nonio p. 522, 17 *apud : ad. Lucilius lib. XXX* (v. 993 ed. Marx.): '*aut cum iter est aliquo et causam commenta viai, aut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.*' Quae vis cum praepositioni *apud* a nullo alio scriptore subiciatur, non dubito Placidi glossam, quippe quae accurate cum Noniana consentiat, ad Lucilii versum referre. 2) Plac. *decumano: maximo, a fluctu decimo.* Quam glossam Lucilianam esse inde concludi licet, quod *decumanus* ea significatione, quae est magnus vel maximus, a nullo auctore usurpatur nisi a Lucilio vv. 502 (*decumano pane*). 1240 (*acupensere decimano*). 1150. 1151. 1152. Cf. Marxium ad v. 1152. 3) Plac. *papillas: summa nuclea mammarum* ad Lucil. v. 859 *hic corpus solidum invenies, hic stare papillas* fortasse spectat; quamquam concedo vocem non esse raram, tamen casuum consensui aliquid tribuerim. Idem dicendum est de hac glossa: 4) Plac. *lustris: locis abditis, in quae potandi libidinandique causa secedebant;* cf. Lucil. v. 1034 *quem sumptum facis in lustris, circum, oppida lustrans.* 5) Unam glossam addo solo libro gloss. traditam C. G. L. V 44, 2 *acceptorem: accipitrem,* quam vim vox, quae est acceptor, non habet nisi apud Lucil. v. 1170, ubi exstat *acceptoris* et Cypr. ep. 60, 2. Quare improbabile non videtur Placidi glossam ad Lucilii versum quendam deperditum spectare.

Haec de brevioribus glossis satis erit dixisse; iam ad ampliores veniendum est. Ne has quidem ex uno et eodem fonte ductas esse posse vel inde apparet, quod inter eas sunt, quae duplici et diverso modo explicentur. Prorsus inter se discrepant harum interpretamenta: C. G. L. V 3, 6 D. 1, 11 *altrinsecus: non ex alto, sed ex altera parte;* C. G. L. V 5, 26 D. 5, 18 *altrinsecus: hinc et inde vel desuper, sicut extrinsecus dicimus ab eo, quod est exterius et intrinsecus ab eo, quod intus est.* — Nulla ratione inter se

coniunctae sunt etiam hae glossae: C. G. L. V 3, 2 D. 1, 7 *abuti et bene uti est et male uti;* C. G. L. V 5, 34 D. 6, 7 *abuti: duas res significat, modo contemnere et non uti, modo valde et satis aliqua re uti.* — C. G. L. V 11, 18 D. 18, 18 *capessitur: non per sc. et est verbum impersonale, ut legitur. prima autem verbi persona est capesso. est autem verbum activum. facit enim capesso, capessor, ut lego, legor;* C. G. L. V 12, 18 D. 21, 10 *capesso: frequenter capio.* Cf. praeterea has glossas bis explicatas: C. G. L. V 8, 26/27 D. 14, 8 *Babylona;* C. G. L. V 9, 9 D. 15, 9 *Babylona.* — C. G. L. V 19, 8 D. 37, 16 *ex<s>erte;* C. G. L. V 20, 12/13 D. 39, 12 *ex<s>erte.* — C. G. L. V 30, 16 D. 61, 18 *Laestrigones;* C. G. L. V 31, 12 D. 63, 22 *Laestrigones.* — C. G. L. V 35, 5 D. 71, 5 *oeconomia;* C. G. L. V 36, 12 D. 72, 22 *oeconomia.* — C. G. L. V 40, 15 D. 80, 22 *sugillare,* C. G. L. V 42, 4 D. 82, 26 *suggillavit.* — Quare etiam has glossas quas ampliores diximus ex diversis partibus constare non possumus non putare. — Duo autem genera in illis glossis certe discerni possunt: alterum sunt adnotationes ad artem grammaticam spectantes, quarum has series Loewius Gl. N. p. 87 indicavit: in littera C prima — *capessitur* C. G. L. V 11, 8 D. 18, 18, quibus immixtae sunt tres tantum a ceteris diversae *(contendunt, cancri aestus, centurias);* in littera D *divortium* C. G. L. V 17, 1 D. 33, 9 — *desipere* C. G. L. V 17, 8 D. 33, 24; in littera E prima — *examussim* C. G. L. V 18, 20 D. 37, 1, quem ordinem turbat haec sola *euge;* in littera F *facessite* C. G. L. V 23, 5 D. 46, 10 — *fastus* C. G. L. V 23, 11 D. 47, 3; in littera I prima — *inclaudicabilis* C. G. L. V 26, 13/14 D. 54, 8; in littera N *neglegens* C. G. L. V 34, 8 D. 69, 8 — *nudius tertius* C. G. L. V 34, 11 D. 69, 21; in littera P *plaudo tibi unam rem* C. G. L. V 37, 32 D. 75, 11 — *pueras* C. G. L. V 37, 42 D. 76, 9. —

Alterius generis sunt glossae ad auctores interpretandos compositae, quas maximam partem ex commentariis haustas esse puto: cui sententiae favet et quod lemmata saepius sunt ampliora, quam quae ex glossariis petita esse verisimile sit, et quod nonnullis locis auctoris nomen supplendum est: 1) C. G. L. V 19, 18 D. 38, 22 *eo ingenio [ea natura] omnia generans: ingenium pro natura posuit.* 2) C. G. L. V 23, 21/22, D. 47, 19 *fastidiosum renidens: vel pro adnuens et consentiens vel deridens. renidens enim plerumque vultus dicitur laetitia vel risu perfusus, fastidiosum vero pro fastidiose dixit, nomen pro adverbio, ut est 'torvumque repente clamat'.* 3) C. G. L. V 28, 5 D. 56, 17 *immensorum thesaurorum: ratio quidem facit, sed propter euphoniam 'immensum' dixit.*

4) C. G. L. V 39, 22 D. 79, 12 *regulas proponendas ac magiae retes: hic regulas doctrinas vel disciplinas magorum ostendi vult.* — Quibus glossis adiungi possunt quaedam libris Romanis non traditae: 5) C. G. L. V 84, 2 = 116, 45 *mentis: genetivum casum pro nominativo posuit: debuit enim dicere mens.* 6) C. G. L. V 94, 6 = 136, 30 *praecessit hiems: in temporibus melius dixit praecessit, quia aliud sequitur vel quod illud ipsum [ideo] rediturum est. nam quod praeteri⟨i⟩t, redire non potest.* 7) C. G. L. V 96, 18 = 143, 45 *regionem intra degit: poetico more fecit. nam si volumus rectius loqui, in regione degit aut intra regionem dicimus. et postposuit praepositionem et perdidit vi[a]m suam, ut in arte legimus.* — Haud scio an ad commentarium spectent etiam hae glossae: 8) C. G. L. V 27, 19 D. 56, 6 *indiges dicitur interdum hemitheus, ut supra dictum est* e. q. s., cum nullo alio loco huius vocis mentio facta sit. 9) C. G. L. V 30, 16 D. 61, 19 *Laestrigones gentes sunt crudelissimae, ut Cyclopas diximus,* quamquam de his nullo alio loco dictum est. — Quarum ad priorem vocat Deuerlingius Placid. praef. p. XX, ut demonstret glossographum parum diligenter rem suam egisse, qui hanc glossam ad verbum ex fonte suo transtulisse putandus sit, nisi forte glossam, ad quam illud *supra* spectet, excidisse statuendum sit; id quod cur statuamus omnino non esse mihi persuasi collatis ceteris glossis, quas modo commemoravimus. Omnes autem difficultates tolluntur, si glossas illas ex commentario perpetuo, ut ita dicam, neglegenter sumptas esse statuimus. Idem valet de hac, si quidem Placidi est, id quod cur negem non habeo: C. G. L. V 98, 9 *scropea: ⟨aspera⟩ prominentibus saxis in mari, et ut melius intellegi possit acuminata.* Eiusdem nimirum memoriae est haec glossa *scrupea: aspera prominentibus saxis [c]acuminata* C. G. L. IV 176, 16 (= IV 569, 48), qua ex glossa summo iure Goetzius Placideam supplevit. Quod autem attinet ad verba *et ut melius intellegi possit* libere profiteor ea satis esse mira, neque tamen ita, ut ea mutare cogamur[1]), si quidem glossam ex nescio quo commentario petitam esse censemus.[2])

1) cf. Landgraf Arch. IX 431, qui *scrupea: saxa nigra vel glareosa* scribit collata Festi glossa ⟨*scrupi*⟩ p. 333, 9.

2) huc denique referenda est haec glossa *saxira: et ut melius intellegi possit acuminata* C. G. L. IV 166, 32, cuius lemma *saxira* ex *saxis in mari* ortum esse puto. Aliam viam ingressus est Nettleship Journ. of Phil. XX (1891) p. 56, qui verba *ut melius intellegi possit* tamquam ex alia eaque corrupta glossa repetenda delevit atque collata C. G. L. IV 167, 37 *scrupea: saxa nigra* sic scribit ⟨*scrupea*⟩ *saxa nigra et cacuminata.*

Neque vero haec duo genera, glossas dico ad artem grammaticam spectantes et quas ex commentariis sumptas esse verisimile est, omnes glossas amplecti videntur: restant e. g. amplae glossae, quibus de mensium nominibus, de noctis partibus, de senatu, de scena aliisque rebus agitur. Sed hactenus de amplioribus glossis. Age nunc appendicis loco pauca de ratione, qua Placidus in glossis conscribendis usus sit, dicam. Qua in re eum parum diligenter versatum esse cum ex iis glossis, quas ex commentariis fluxisse ipsarum forma indicare videtur quasque supra exscripsimus, tum ex his quas non tam ex commentariis quam ex libro quodam grammatico petitas esse putaverim: una quidem C. G. L. V 11, 2 = 54, 19 D. 18, 10 *cihatum autem cum h scribi oportet* exstat inter grammaticas quas Loewius composuit; ubi coniunctio *autem* in contextum non quadrat eaque de causa in libro glossarum deleta est. Idem valet de his: C. G. L. V 6, 2 = 47, 8 D. 6, 21 *amplexus autem et amplexatus recte dicimus* e. q. s. C. G. L. V 27, 2 = 78, 20 D. 55, 1 *intendere autem multa quidem significat* e. q. s., ubi Goetzius et Deuerlingius *autem* delent. Accedit quarta glossa libris Romanis non tradita C. G. L. V 93, 28 = 134, 11 *porro autem, adverbium temporis.* Prorsus similis est haec glossa C. G. L. IV 146, 24 (= 554, 53) *porro autem aut longe aut deinde,* ad quam glossam Goetzius adnotat 'an lemma *porro autem* fuit?', quod tamen in lemma interpretamentum *longe aut deinde* non satis quadrare videtur. Quibus cum glossis conferri potest Serv. in Verg. Aen. V 600 *porro: post longum intervallum: et est adverbium temporis.* Goetzius igitur et Deuerlingius, qui *tum autem* pro *autem* coniecit, offendunt in coniunctione *autem,* in qua offendendum non esse puto, si quidem glossam ut alias quas commemoravi ex nescio quo fonte ad verbum temere exscriptam esse statuimus. Placidum autem glossario componendo haud multum operae ac laboris impertivisse ipsa huius compositione iterum perlustrata apparebit. Neque enim casui tribuendum esse puto, quod ordines glossarum, quos p. 90 statuimus, ita se excipiunt, ut in littera C glossae, quae huc spectant, in fine positae sint, in littera D in initio, in littera E in fine, in littera F in initio, in littera I in fine — littera K nullas nisi huius generis glossas continet — in littera L in initio, in littera M in fine, in littera N in initio, in littera O in fine, in littera P in initio. Immo ex hac re concludo breviores glossas Placidum ex glossario quodam hausisse, quod a duobus illis fontibus, quos A et B diximus, repetendum est, hoc autem glossarium, ut laborem sibi quam maxime levaret, in fine antecedentis et in initio

sequentis litterae plerumque adhibuisse. — Placidum autem fontes suos ad verbum expressisse eo minus miramur, quod idem etiam de aliis vel plurimis posteriorum temporum grammaticis valet. Ac Placidus certe erat auctor haud magni nominis.

Quoniam de Placidi glossarii compositione diximus et qua ratione in glossis conscribendis usus sit, ac quasi fundamentum iecimus quaestionis de ratione, quae inter Placidi et Festi copias intercedat, instituendae, age nunc ad ipsam hanc quaestionem tractandam accedamus.

III.

De ratione, quae inter breviores Placidi glossas et Festi reliquias intercedat.

Inter Placidi glossas et Festi reliquias similitudines quasdam intercedere nemo non videbit, si utrumque librum inspexerit. Atque ampliores quidem et breviores quas diximus glossas ratione, qua cum Festo cohaerent, inter se differre iam supra monuimus: glossarum igitur Festinis similium longe plurimae inter breviores exstant. Festum autem intellegi volo et huius ipsius fragmenta et Pauli excerpta, quamquam hunc Festi verba valde saepe circumcidisse et satis libere mutavisse constat. Age nunc videamus, quomodo similitudines illas, quae Placido cum Festo sunt, viri docti explicare studuerint. O. Muellerus quidem in editione Festi (cf. praef. p. XXXIII sq.) magnam Placidi glossarum partem ex Festo sumptam esse probare studet. Contra Fr. Ritschelius in commentatione 'Zu Placidus und lateinischer Glossographie' (Mus. Rhen. vol. XXV p. 456 sqq. = Op. III p. 55 sqq.) Placidum a Festo aut Verrio Flacco pendere negavit; neque vero hanc sententiam argumentis confirmavit. Virum illum doctum secuti sunt Deuerlingius, qui Placidum et Verrium eosdem veteres glossographos adisse verisimile putat (praef. ad Placidi glossas p. XV), et Loewius, qui Gl. N. p. 94 sqq. demonstrat Placidi lemmata formam ab ipsis auctoribus usurpatam servare, cum apud Festum in simpliciorem plerumque redacta sint. Summam autem totius quaestionis his verbis complectitur: 'Wir haben hier, inquit, Originalscholien der alten Glossographen zu archaischen Autoren vor uns.' Quam sententiam impugnat Nettleshipius, Lectures and Essays p. 247, cum persuadere sibi non possit grammaticum quinti saeculi, quippe qui vetusti sermonis tam imperitus fuerit, eosdem ac Verrium auctores adisse; probabilius viro illi docto videtur Placidum glossaria

adhibuisse, in quae multa per varios fontes ex Verrio fluxissent. Haec est summa sententiarum, quas protulerunt viri docti. — Quaestio igitur de Placidi fontibus ita profligata esse non videtur, ut eam retractare supervacaneum sit. —

Viri docti Placidi glossarii compositionis rationem non habuerunt. Sed quoniam in antecedente capite Placidi glossarium ex duabus partibus prorsus inter se diversis (breviores dico et ampliores glossas) compositum esse vidimus, duae illae partes, quippe quibus etiam diversa ratio cum Festo intercedat, separatim cum Festi reliquiis comparandae sunt. Ac primum quidem breviores quas diximus glossas tractemus; quas ipsas ex duobus fontibus disparibus (A et B) haustas esse supra demonstravisse mihi videor. Quamquam in singulis litteris exceptis A et C quae glossae alterutri fonti tribuendae sint non iam certe diiudicari potest. Qua re has glossas una tractare cogimur. — Iam primum ipsum Placidum, si quidem hunc glossarium ex duabus partibus diversis (A et B) compositum exscripsisse recte statui (cf. p. 102), Festi aut Verrii libris usum esse non posse constat. Iam oritur nova quaestio, num illud glossarium aliquo modo a Festo (hunc autem etiam Verrium intellegi volo) pendeat. Totam autem hanc quaestionem quodammodo iam ad finem perduxisse videar. Nam si recte se habent, quae dixi de duobus illis fontibus (A et B), ex quibus breviores glossae haustae sunt, quis est, qui fontes illos Festi copias fuisse credat? Immo vero alterum (B) esse codices interpretamentis ornatos me probavisse spero; alterum (A) autem glossematorum librum quendam. Sane ne Verrium quidem glossematorum scriptorum copias neglexisse ex ipsius Festi (p. 166, 6) verbis apparet: *Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis. Cincius, quod oleae nucisque (in oleae nucis quod* cod.*) intus sit. Aelius Stilo omnium rerum putamen. Glossematorum autem scriptores, fabae grani quod haereat in fabulo* e. q. s.; sed frustra apud Festum tales eiusdem generis glossarum ordines quaeres, quales exstant apud glossographum nostrum. Quis autem est qui verisimile putet, quod illae Placidi glossae unam eandemque formam praebeant, attribuendum esse operae glossographi cuiusdam, qui Festum aut Verrium excerpserit? Sed accedunt alia argumenta gravissima, quibus omnem dubitationem sublatum iri spero. O. Muellerus praef. Festi p. XXXIII adn. 5 affirmavit quidem Placidum certis locis Festum ante oculos habuisse; neque tamen explicuit, cur Placidus ordinem glossarum, qui est apud Festum, mutaverit. Placidi autem ordinem prorsus alium esse ac Festi, ut demonstrem, e. g. haec

lemmata, quae apud utrumque simili modo explicantur, ordine, qui est in libris Romanis, servato, numeris Festi editionis a Muellero curatae adfixis, exscribam:

Plac.	adoria	=	Fest. Pauli	3, 12	adoriam
	armillum	=		2, 5	armillum
	antigerio	=		8, 5	antigerio
	apludā	=		10, 14	apluda
	antiis	=		17, 5	antiae
	actum	=		17, 13	actus
	aginam	=		10, 3	agina
	ancras	=		11, 13	antras †
	aginatorem	=		10, 3	agina
	ambulacris	=		21, 8	ambulacra
	arse verse	=		18, 15	arse verse
	annictare	=		29, 2	adnictat
	anatem	=		29, 9	anatem
	artitus	=		20, 14	artitus
	apua	=		22, 18	apua
	aeruscans	=		24, 7	aeruscare
	adorans	=		19, 5	adorare
	ausculatus	=		28, 9	auscülari
	amb⟨act⟩i	=		4, 13	ambactus
	altriplicem	=		7, 14	alterplicem
	ambronem	=		17, 2	ambrones
	amussis	=		6, 9	amussim.

Ceterarum glossarum prorsus eadem ratio est: quae discrepantia, si Placidi glossae ex Festo excerptae essent, nescio, quo modo explicari possit. Neque enim apud Placidum, praeterquam quod prima littera respicitur, secundum certum litterarum ordinem glossae dispositae sunt neque alia certa disponendi ratio perspicitur. Haec igitur res Muelleri sententiae repugnat.

Alterum argumentum ex diversa Placidi et Festi lemmatum forma ductum est. Apud Festum ipsum, quod ad nomina attinet, lemmata in simpliciorem plerumque formam redacta sunt idque vel ita, ut nominativus positus sit, velut in hac glossa Fest. p. 301, 6 *solox, lana crassa, et pecus, quod passim pascitur non tectum. Titinius in Barrato† (Barbato?* O. Mueller): "*Ego ab lana soloci ad purpuram data*". *et Lucilius:* "*Pascali (pastali* cod.) *pecore, ac montano, hirto, atque soloce*"; vel lemmatis casus pendet ex oratione, ut in his glossis: Fest. p. 209, 1 *petimina in humeris (his*

cod.) *iumentorum ulcera, et vulgo appellant, et Lucilius meminit quom ait: "Ut petimen naso aut lumbos cervicibus tangat". eo nomine autem, et inter duos armos suis quod est aut pectus* (*nectos* cod.) *solitum appellari testatur Naevius in descriptione suillae* (*sullae* cod.), *quom ait: "Petimine piscino qui meruerat"*. Rarissime autem casus obliquus, qui alicubi exstitit, servatus est, ut in hac glossa: Fest. p. 290, 30 ⟨*soni*⟩*vio significat in car*⟨*mine .... a*⟩*ugurali, sonanti* cf. Fest. Pauli p. 291, 6 *sonivio: sonanti.* — Quod autem ad verba attinet, formae ab auctoribus usurpatae interdum servatae sunt, ut in his glossis: Fest. p. 162, 24 *nequinont, pro nequeunt, ut solinunt, ferinunt, pro solent, et feriunt dicebant antiqui. Livius in Odissia: "partim errant, nequinont* (*neque nunc* cod.) *Graeciam redire"*. Fest. p. 201, 16 *occisitantur, saepe occiduntur. sic C. Gracchus pro rostris in P. Popillium: "Homines liberi nunc in oppido occisitantur"*, aliis; saepius pro verbo finito infinitivus positus est, ut in hac: Fest. p. 281, 28 *reluere, resolvere, repignerare. Caecilius in Carine: "Ut aurum, et vestem, quod matris fuit, reluat, quod viva ipsa opposivit* (*ipsi opposuit* cod.) *pignori"*. Haec de Festi lemmatis, qui qua ratione in Verrii libris excerpendis usus sit, certe diiudicari non potest. Reitzensteinius quidem in quaestionibus Verrianis p. 85 Festum prima Verrii glossarum verba immutata plerumque in librum suum transtulisse probare studet, quamquam nonnulla lemmata eum mutavisse verisimile est (cf. Dammanni de Festo Pseudophiloxeni auctore dissertationem Ien. p. 27). Sed utut res se habet, certe rationi, qua Verrius in libro suo componendo usus est, utpote qui sub singulis lemmatis complura plerumque exempla attulerit, maxime convenit lemmata in simpliciorem formam redigere. — Nunc ad Pauli excerpendi rationem veniendum est. Ac verborum quidem formas infinitas rarissime mutavit, ut in hac glossa: Fest. Pauli p. 180, 2 *occentare dicebant pro convicium facere* e. q. s. cf. Fest. p. 181, 12 *occentassint antiqui dicebant, quod nunc convicium fecerint, dicimus* e. q. s. — Quod autem ad nomina attinet, et persaepe pro casu ex oratione pendente nominativum posuit, velut in hac glossa: Fest. Pauli p. 143, 10 *mullei calcei regum Albanorum et post patriciorum a mullando, id est suendo, dicti;* cf. Fest. p. 142, 24 *mulleos genus calceorum aiunt esse;* e. q. s.; et multa praeterea satis libere mutavit. Prorsus aliam ac Festi esse Placidi lemmatum rationem primus Loewius Gl. N. p. 94 sqq. demonstravit. Apud Placidum igitur formae a scriptoribus usurpatae sunt servatae, id quod facile apparet collatis his glossis e. q. Fest. p. 162, 12 ⟨*nefrendes dictos*

asserit Q. Muci⟩us Scaevola ⟨arietes, quod dentibus frendere non pos⟩sint. Ateius ⟨capito infantes esse nondum fre⟩ndentes, id est ⟨frangentes. Livius .....⟩ri: "Quem ego ne⟨frendem alui lacteam immulgen⟩s opem e. q. s. Plac. *nefrendem: infantem nondum dentatum, qui frendere cibum non queat, id est frangere*, quam glossam et ipsam ad Livii Andronici versum a Festo laudatum spectare verisimillimum est. — Fest. p. 161, 13 *naenia est ⟨carmen, quod in funere laudandi⟩ gratia can⟨tatur ad tibiam, quod vocabulum Afra⟩nius in Ma⟨terteris posuit: "..... exe⟩quias canti⟨tabant". Sunt qui eo verbo finem sig⟩nificari credi⟨derunt, ut ait Plautus in Pseudolo:⟩ "ubi ego* (*abi ergo* cod.) *⟨circumvortor cado: id fuit naenia ludo".⟩ Idem: "Huic hom⟨ini amanti mea hera⟩ dixit domi, et ap⟨ud nos de bonis nae⟩niam maesto"* (sic Muellerus cum Scal., *esto* cod.) Plac. *neniam: finem, alias carmen mortuorum*. Placidi glossam ad Plauti Trin. 213 spectare et hunc versum etiam a Festo laudari probabile est (cf. p. 97). Apud Festum igitur in his glossis lemmatis forma simplicior reddita est, Placidus eam retinuit, qua ipsi auctores usi sunt. Eadem ratio nimirum est harum glossarum: Fest. p. 141, 20 *molucrum non solum quo molae vertuntur* (*teruntur* cod.) *dicitur, id quod Graeci μυληκόρον* (*μύλικρον* cod.) *appellant, sed etiam tumor ventris, qui etiam virginibus incidere solet* e. q. s. Plac. *molocrum morbum, quem Graeci milon* (ita P = *μύλον*, cf. Soran. II c. 9; *milion* G *milan* R) *dicunt.* — Quas Placidi glossas cum ipso Festo comparandi habemus facultatem; multo autem saepius Placidus cum solo Paulo comparandus est. Quem in excerpendo Festo satis quidem libere saepe versatum esse vidimus. Quamquam verborum formas rarissime mutavit. Ubi igitur apud Paulum infinitivus lemmatis loco reperitur, etiam apud Festum plerumque hanc formam exstitisse concludi licet. Dein rarissime apud Festum casum obliquum servatum esse supra exposui. Ubi igitur Placidus casum obliquum servavit, Paulus autem simpliciorem lemmatis formam habet, non est cur putemus etiam apud Festum casum obliquum exstitisse. Quae cum ita sint, non iam dubium esse potest, quid de his lemmatis, ut pauca exempla afferam, sit iudicandum: Plac. *adorans: alloquens.* Fest. Pauli p. 19, 5 *adorare apud antiquos significabat agere;* e. q. s. — Plac. *fratrarent: turguerent, pubescerent.* Fest. Pauli p. 91, 1 *fratrare puerorum mammae dicuntur, quum primum tumescunt* e. q. s. — Plac. *futavere: fuere* et *futavit: fuit,* Fest. Pauli p. 89, 3 *futare arguere est, unde et confutare. Sed Cato hoc pro saepius fuisse posuit.* — Plac. *imploratis: in-*

vocatis, Fest. Pauli p. 109, 3 *implorare: inclamare, ad auxilium invocare.* In omnibus his lemmatis ne apud ipsum quidem Festum verbi formam finitam servatam fuisse admodum probabile est, certum autem mihi videtur casus obliquos servatos non fuisse his in lemmatis: Plac. *ambulacris: locis quibus ambulatur ex commodo,* Fest. Pauli p. 21, 8 *ambulacra: ambulationes.* — Plac. *anate: sollicitudine, cura,* Fest. Pauli p. 29, 9 *anatem morbum anuum dicebant, id est vetularum, sicut senium morbum senum.* — Plac. *coculis: aereis vasis ad coquendum vel assulis aridis,* Fest. Pauli p. 39, 3 *cocula vasa aenea, coctionibus apta. Alii cocula dicunt ligna minuta, quibus facile decoquantur obsonia,* quas glossas ad Plauti fragmentum apud Isidorum origg. XX 8, 1 servatum (Plauti fragm. p. 167 ed. mai.) *aeneis coculis mi excoctast omnis misericordia* referendas esse probavit Loewius Gl. N. p. 90. — Plac. *fartori: nomenclatori,* Fest. Pauli p. 88, 15 *fartores: nomenclatores, qui clam velut infercirent nomina salutatorum in aurem candidati.* — Plac. *fratellis: sordium glomusculis,* Fest. Pauli p. 90, 10 *fratilli: villi sordidi in tapetis.* — Plac. *genuinorum: dentium proprie ultimorum,* Fest. Pauli p. 94, 14 *genuini dentes, quod a genis dependent.* — Plac. *habitudo: habitu,* Fest. Pauli p. 101, 17 *habitudo: habitus corporum.* Quae exempla attulisse satis erit ad demonstrandum, quae discrepantia sit inter Festi et Placidi lemmata. Qua ex discrepantia iure Loewium conclusisse arbitror Placidi glossas a Festo repeti non posse. Neque enim eum vere iudicare puto, si quis dicat Placidum vel eius glossarum auctores lemmata ex exemplis a Festo allatis petivisse. Quae excerpendi ratio omnino non probabilis est, cum, quo consilio excerptor usus sit, non intellegatur. Immo Placidi cum totarum glossarum, tum lemmatum forma alios fontes ac Festi aut ipsius Verrii librum indicat.

Ad has discrepantias accedit, quod Placidi et Festi interpretamenta magnam partem aut prorsus aut aliquo modo inter se differunt. — Quamquam restant nonnullae glossae, quas ut a Festo repetas, si ceterarum rationem non habueris, facile adduci possis. Sed cum non paucas Placidi glossas, quibus, ut a Festo repeti omnino non possunt, ita rationem quandam cum eo intercedere apparet, eidem cum Festo fonti tribuere cogamur, nonne etiam illas ad hunc fontem communem referendas esse censebimus?

Quam rem ad non paucas Placidi et Festi glossas magni momenti esse vix est cur moneam: nam si Verrium et Placidi glossarum auctores eosdem fontes adisse recte statuimus, duplicem multarum glossarum memoriam nacti sumus.

Age nunc in singulas glossas inquiramus. Ac primum quidem eas cum Festo comparemus, quas ex codicibus interpretamentis ornatis sumptas esse ipsarum forma indicat: 1) Plac. *caudeam* — Fest. Pauli 46, 11 *caudeae cistellae* (v. p. 95). 2) Plac. *caespitibus: glebis terrae cum suo gramine. interdum alio loco ramis significat* — Fest. Pauli 45, 2 *caespes est terra in modum lateris caesa cum herba, sive frutex recisus et truncus;* en eadem fere res prorsus diversis verbis explicata. 3) Plac. *colurnis: ex cornu factis. nam et colurni, qui ex corulo fiunt* — Fest. Pauli 37, 8 *colurna hastilia ex corno arbore facta* (v. p. 95). 4) Plac. *cluram vel glurum: simiam. alias cercopithecum* — Fest. Pauli 55, 9 *clunas*[1]*: simias a clunibus tritis dictas existimant* (v. p. 96). 5) Plac. *galliciola* — Fest. Pauli 98, 12 *gulliocae* et 50, 12 *culliola* (v. p. 98). 6) Plac. *herbam dedit. mos enim contendentibus erat, vulsam herbam ⟨si⟩ qui vinceretur porrigendi, ut nunc dicitur* — Fest. Pauli 99, 7 *herbam do, quum ait Plautus, significat, victum me fateor; quod est antiquae et pastoralis vitae indicium. Nam qui in prato cursu, aut viribus contendebant, quum superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant* (v. p. 98). Etiam Placidi glossam ad versum quendam Plautinum spectare probabile est; certe ad alium ac Festi Pauli glossa spectat. Dein cum Festus in interpretamento pro verbo *dandi,* quod exhibet lemma, verbum compositum adhibeat, quod est *tradere,* Placidus aliquid novi profert, cum dicit: *porrigendi ut nunc dicitur.* 7) Plac. *neniam* — Fest. 161, 13 *naenia* (v. p. 97).

Ex Festo ne eae quidem glossae sumptae esse possunt, quae proprius quam ad Festi reliquias ad aliorum auctorum explicationes accedunt: 1) Plac. *cilones: quorum capita oblonga sunt.* Plenior est Charisii (G. R. L. I 102, 1) memoria: *cilones dicuntur, quorum capita oblonga et compressa sunt.* Dubium esse non potest, quin Charisii et Placidi glossae ad eundem fontem referendae sint (cf. Loewius Prodr. p. 392), quem fontem Verrium fuisse non posse, vix est cur pluribus verbis dicam: Fest. Pauli 43, 10 *chilo dicitur cognomento a magnitudine labrorum. Cilo sine aspiratione, cui frons est eminentior, ac dextra sinistraque veluti recisa videtur.* Accuratius quam cum Festo congruit Placidus cum Nonio his in glossis: 2) Plac. *gerras: nugas ineptiasque;* eadem fere habet Non. 118, 22 *gerrae: nugae, ineptiae.* At Fest. Pauli 94, 4 *gerrae:*

1) sic Muellerus, sed verius nomen *clura* fuisse adnotat; quam formam commendat etiam Loewius Gl. N. p. 67 et Thewrewkius in contextum recepit.

crates vimineae. Athenienses quum Syracusas obsiderent et crebro gerras poscerent, irridentes Siculi gerras clamitabant. Unde factum est, ut gerrae pro nugis et contemptu dicantur. Quae habet Placidus ac Nonius vix possumus ad eundem fontem non referre: quare glossographum sua ex Festo hausisse negandum est. 3) Plac. *gramis, gremis*[1]), *quae sunt pituitae oculorum.* Non. 119, 14 *gramiae: pituitae oculorum.* Minus definita sunt, quae profert Fest. Pauli 96, 14 *gramiae oculorum sunt vitia, quas alii glamas vocant.* His adiungo duas glossas, quae Varronis explicationibus sunt similiores quam Festi reliquiis: 4) Plac. *porcam: terram quae inter sulcos est ⟨e⟩lata: e* addidit Kettnerus collato Varrone de r. r. I 29, 3 *quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca,* ad quae verba Placidi glossa proxime accedit. Fest. 238, 7 *porcas, quae inter duos sulcos fiunt, ait Varro dici, quod porrigant (porriciant?* Mueller*) frumentum.* Fest. Pauli 108, 9 *imporcitor, qui porcas in agro facit arando. Porca autem est inter duos sulcos terra eminens.* Placidus igitur, cum *elata* habeat, Varronis verba accuratius reddit quam Festus. 5) Plac. *amussis: regulae vel tabulae, quibus utuntur artifices ad saxa: unde adverbium diximus examussim.* Fest. Pauli 6, 9 *amussim: regulariter, tractum a regula, ad quam aliquid exaequatur, quae amussis dicitur* e. q. s. Fest. Pauli 80, 19 *examussim: regulariter: amussis enim regula fabrorum est. vel, ut alii volunt, ferramentum, quo in poliendo utuntur.* Non. 9, 3 *examussim dicitur examinate ad regulam vel coagmentum: est enim amussis regula fabrorum, quam architecti, cum opus probant rubrica inlinunt. Plautus* e. q. s. ibd. 13 *idem* (sc. Varro) *Quaestionum Plautinarum lib. II: 'amussis est aequamen, levamentum, id est aput fabros tabula quaedam, qua utuntur ad saxa coagmentata'. Amussim* igitur *tabulam* significare cum in neutra Festi glossa neque in priore Nonianae parte legamus, mire cum Placidi glossa consentiunt Varronis verba, quae apud Nonium extant. Quae cum ita sint, nemo glossographum sua ex Festo petivisse dicet. Haud scio an huc referre liceat 6) Plac. *infrequens: absens, alienus. dictus a militum ignominia qui cum vocati non adfuissent infrequentes notabantur.* Fest. Pauli 112, 7 *infrequens appellatur miles, qui abest afuitve a signis.* Neque de tralaticio vocabulo, quod est *infrequens,* apud Festum quicquam dicitur et de propria quoque vocis significatione Placidus paulo accuratius disputat. Similiter rem explicat Cincius apud

1) *glemis* Nettleship Contr. 469.

Gell. N. A. XVI 4, 5 *Miles cum die qui prodictus est, aberat neque excusatus erat, infrequens notabatur.*[1]) *Notare* igitur artis vocabulum est, quod tamen apud Festum non usurpatur.

A Festo praeterea repeti non possunt hae glossae, quarum interpretamenta a Festinis plane sunt diversa: 1) Plac. *ciccum: granum mali punici aut umbilicus lupini.* Fest. Pauli 42, 10 *ciccum: membrana tenuis malorum punicorum.* Cum Festo consentit Varro de l. l. VII 91 *ciccum dicebant membranam tenuem, quae est ut in malo Punico discrimen;* e. q. s. Varronem enim in libris de l. l. componendis eisdem fontibus usum esse ac Verrium in libris de verborum significatu demonstravit Kriegshammer (De Varronis et Verrii fontibus quaestiones selectae, diss. Ien. 1903); Varronis igitur verba ansam quandam praebent ad tractandam quaestionem, quae habuerit Verrius. Ubi igitur Pauli vel Festi verba cum Varrone conspirant, ipsius Verrii verba nacti sumus. A Festi Pauli autem et Varronis verbis discrepant hoc loco quae habet Placidus; quare nemo iam affirmare audebit huius glossam ex Festo sumptam esse. 2) Plac. *acerata offula: furfuraceo pane.* Ab hac glossa abhorrent, quae proferunt Festus et Nonius, qui *aceratum* et *acerosum* dilucide discernunt atque hoc de *pane non sine paleis,* illud de *luto cum paleis mixto* dici exponunt: Fest. Pauli 20, 10 *aceratum lutum cum paleis mixtum;* Fest. Pauli 187, 6 s. v. *obacerare: quod sumptum videtur a paleis, quas Graeci ἄχυρα vocant. Itaque et frumentum et panis non sine paleis acerosus dicitur; item lutum aceratum paleis mixtum.* Cum Festo consentit Non. 445, 13 *acerosum et aceratum. utrumque nove positum, sed distanti proprietate signatum. acerosum namque panem farre minus purgato nec sordibus a candido separatis dicendum veteres putaverunt. Lucilius* e. q. s. ibd. 19 *aceratum vero est lutum paleis mixtum, ut laterariis usus est* e. q. s. Verrius igitur et Nonius ut aliis locis, ita hoc loco eundem fontem adisse putandi sunt (cf. Froehde, De Nonio Marcello et Verrio Flacco. Diss. Berol. 1890); a quo Placidus satis recedit. 3) Plac. *apluda: furfuribus milii*[2]) *pannicique.* Cum Placidi explicatione consentit Gell. N. A. XI 7, 5 *Legerat autem ille apludam veteres rusticos frumenti furfurem dixisse* e. q. s. At Fest. Pauli 10, 14 haec habet: *apluda est genus minutissimae paleae frumenti sive panici* e. q. s., quocum facit Plin. N. H. 18, 99 *Mili et panici et sesimae purgamenta adpludam*

1) sic Gronovius, *dabatur* libri, cf. Hertzii adn.
2) corr. Henschelius, *alii* codd.

vocant; cf. Plac. *abludam: paleam,* quae tamen glossa aliam lemmatis formam exhibet. 4) Plac. *aginam: scapum trutinae, quod eo mensura ponderis agatur.* — Fest. Pauli 10, 3 *agina est, quo inseritur scapus trutinae, id est, in quo foramine trutina se vertit, unde aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur.* Iam vides vocem quae est *agina* duplici ratione explicari, a Placido '*scapum trutinae*', '*foramen, quo inseritur scapus*' a Festo. Dein cum Placidus *aginam* ab *agendo* dictum esse demonstret, ex Festi glossa, quod sit veriloquium, non apparet. Quare miror, quod O. Muellerus Placidi verba ex Festo neglegenter excerpta esse videri adnotat. Vocem, quae est *negotiator,* Festus quidem coniunctim cum voce *agina* explicat, Placidus autem in libris quidem Romanis tribus aliis glossis interpositis: *aginatorem: negotiatorem actus*[1]), quae glossa et ipsa cum Festina non artius cohaeret. 5) Plac. *assiduos: capite censos, qui nihil praeter prolem dare poterant, unde et proletarii dicti sunt et assidui milites ab assiduitate officii.* Fest. Pauli 9, 9 *assiduus dicitur qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedisse videatur. Alii assiduum locupletem, quasi multorum assium, dictum putarunt. Alii eum, qui sumptu proprio militabat, ab asse dando vocatum existimarunt.* Fest. Pauli 226, 13 *proletarium: capite censum, dictum quod ex his civitas constet, quasi prolis progenie; iidem et proletanei.* Quae de *assiduis* profert Placidus, a Festi ceterorumque scriptorum, qui de hac voce egerunt, sententia plane discrepant (cf. Deuerlingii adn. et praef. p. XX). 6) Plac. *adorans: alloquens,* qua cum glossa conferendus est Serv. plen. in Aen. X 677 *Turnus adoro: id est iuxta veteres, qui adorare adloqui dicebant.* At Festus *adorare* intellegit *agere.* Fest. Pauli 19, 5 *adorare apud antiquos significabat agere. unde et legati oratores dicuntur, quia mandata populi agunt.* Fest. 182, 12 s. v. *oratores: alias pro disertis et eloquentibus, ab eo quod antiqui orare dicebant pro agere.* Fest. 198, 23 *orare antiquos dixisse pro agere, testimonio sunt.* Quorum ex locorum consensu apparet Verrium praeter hanc aliam explicationem non protulisse. 7) Plac. *boba: vehemens rubor, interdum genus serpentis* — Fest. Pauli 30, 13 *bova: serpens est aquatilis, quem Graeci ὕδρον vocant, a qua icti obturgescunt. Crurum quoque tumor viae labore collectus bova appellatur,* quas glossas Loewius Prodr. p. 312 sq. rettulit ad Lucilii versum apud Fest. 360, 18 servatum:

1) *actus* corruptum putat Loewe Prodr. 428, tutatur Roensch Coll. phil. 235; Goetz coni. *Accius.* Sed res prorsus dubia est.

tama dicitur, cum labore viae sanguis in crura descendit et tumorem facit. Lucilius (v. 1195 ed. Marx.): "*inguen ne existat, papulae, tama, ne boa noxit.*" Verrium igitur et *bovam* et *tamam* nihil aliud nisi *crurum tumorem* intellexisse ex duarum glossarum consensu concludi licet. Aliter Placidus *bovam* interpretatur, cuius cum explicatione conferri potest Plin. N. H. 24, 53 *boa appellatur morbus popularum, cum rubent corpora.* 8) Plac. *cohum*[1])*: naturam universam* ⟨*a*⟩[2])*chao, id est inani vel vacuo.* Fest. Pauli 39, 5 *cohum poetae caelum dixerunt, a chao, ex quo putant caelum esse formatum.* Festus igitur et Placidus eo quidem consentiunt, quod *cohum* a *chao* dictum esse affirmant, sed hic *cohum* esse *naturam universam* contendit, quod ea sicut chaos sit inanis ac vacua, ille *caelum,* quod id ex chao sit formatum. Aliter autem teste Diomede p. 365, 18 *(sed Verrius et Flaccus in postrema syllaba aspirandum probaverunt: cohum enim apud veteres mundum significat; inde tractum incohare)* Verrius idem vocabulam explicuit: neque enim dubium esse potest, quin loco illo corrupto de Verrio Flacco cogitandum sit (cf. Keilii adn.). Neque vero hanc Verrii explicationem ex eius libro de significatu verborum petitam esse censeo,sed ex libro de orthographia, cuius mentionem facit Suet. de gramm. 19 (p. 114 R.); cf. O. Muellerum praef. Fest. p. XIV. 9) Plac. *eritudo: dominatio* — Fest. Pauli 83, 1 *eritudo: servitudo* (cf. O. Muellerum ad hunc locum). 10) Plac. *nautea: aqua corii foetida, in qua coria macerantur.* Aliter hanc vocem explicat Fest. 165, 27 ⟨*nauteam ait Opi*⟩*lius Aurelius herb*⟨*ae genus esse granis nigris,*⟩ *qua coriari utuntur,* ⟨*cuius videri a nave duc*⟩*tum nomen, quia nauseam fa*⟨*cit, permutatione T. et*⟩ *S. literarum* e. q. s. 11) Plac. *noegeum: nigrum pallium tenue.* Fest. 174, 28 *noegeum quidam amiculi genus praetextum purpura; quidam candidum ac perlucidum, quasi a nauco, quod putamen* e. q. s., quarum explicationum neutra cum Placidi glossa consentit. — His glossis adiungo duas, quae, ut non prorsus a Festo abhorrent, ita ab eo repeti omnino non possunt: 12) De *favisis* Festus et Varro apud Gell. N. A. II 10 (cf. Non. 112, 26) similia tradunt: Fest. Pauli 88, 4 *favissae. locum sic appellabant, in quo erat aqua inclusa circa templa. Sunt autem, qui putant, favissas esse in Capitolio cellis cisternisque similes, ubi reponi erant solita ea, quae in templo vetustate erant facta inutilia.* Gell. N. A. II 10, 3 *id esse cellas quasdam et cisternas, quae in area sub terra essent,*

1) ita Goetz, *choum* vel *coum* codd. 2) *a* add. O. Mueller.

ubi reponi solerent signa vetera, quae ex eo templo collapsa essent, aliaque quaedam religiosa e donis consecratis e. q. s.; ibd. 4 *coniectare igitur se, detractam esse ex eo verbo secundam litteram et 'favissas' esse dictas cellas quasdam et specus; quibus aeditui Capitolii uterentur ad custodiendas res veteres religiosas.* A Festi ac Varronis verbis satis recedit glossa Placidi: *favisae specus: fossae quaedam in Capitolio quae in modum cisternarum cavatae excipiebant dona Iovis, siqua vetusta erant . . . hominum a fruge danda.* De *specu* quidem etiam Varro dicit, sed *fossarum* neque apud Paulum neque apud Gellium mentio fit. Placidi verba extrema sana non sunt. Deuerlingius *a* mutavit in *e*, qua coniectura aliquantum quidem sensui satis fit, etsi verborum constructio non ita facilis est. Potius cum Buechelero lacunam post *erant* statuendam esse censeo. Tamen utut res se habet, certum esse videtur dona illa Iovis Placidum intellexisse fruges. Sed frugum neque apud Varronem mentio fit neque apud Festum, qui res in favissis illis repositas minus accurate describens ne de donis quidem dicit. 13) Fest. Pauli 85, 7: *ferentarii: auxiliares in bello, a ferendo auxilio dicti, vel quia fundis et lapidibus pugnabant, quae tela feruntur, non tenentur, ita appellati.* Ferentarios fundis lapidibusque pugnavisse etiam duobus aliis locis exponitur: Fest. Pauli 14, 15 s. v. *adscripticii* et 369, 4 s. v. *velati.* Quas omnes explicationes ad Varronis librum de vita Populi Romani referendas esse, ex fragmento apud Non. 520, 7 servato apparet: *Varro de vita Populi Romani lib. III:* e. q. s.; ibd. 10 *eosdem etiam quidam vocabant ferentarios, quia pugnabant fundis et lapidibus, his armis quae ferrentur, non quae tenerentur* (cf. Reitzensteinium, Verr. Forsch. p. 30 sq.; Kriegshammerum l. s. s. p. 114 sq.). Verrius igitur Varronem secutus ferentarios fundis et lapidibus pugnare exposuit, quare ex his Festi locis pendere non potest Plac. *ferentarius: leviter armatus sagittis aut fundis.* Sed accedit quartus locus Fest. Pauli 93, 14 *ferentarii: levis armaturae pugnatores* (cf. Non. 554, 23 *ferentarii, levis armatura* e. q. s.), quo tamen loco non exponitur, quae fuerint arma ferentariorum.

Ex Festo ne hae quidem Placidi glossae haustae esse possunt, quae veriloquiis plane inter se discrepant: 1) Plac. *antiis: capillis muliebribus ante, id est a fronte pendentibus.* — Aliud veriloquium profert Fest. Pauli 17, 5 *antiae: muliebres capilli demissi in frontem appellati ex Graeco videntur; quod enim nos contra illi ἀντίον dicunt.* 2) Plac. *inciente: innitente, pariente, a ciendo et invocando proximos quo⟨s⟩que auxiliatores.* — Fest. Pauli 97, 15

s. v. *gravida: inciens propinqua partui, quod incitatus sit fetus eius.* 3) Plac. *mulleos: calciamenti genus a colore mullorum.*[1]) Fest. 142, 24 *mulleos genus calceorum aiunt esse* e. q. s.; ibd. 31 *quos putant a mullando dictos i. e. suendo.* 4) Plac. *exanclata: exhausta et quasi exangulata, id est per angulos quoque*[2]) *exquisita.* — Fest. Paul. 80, 13 *exanclare: exhaurire* et 11, 10 *anclare: haurire a Graeco descendit* e. q. s. Festi glossae inter se similes in prioribus partibus exstant; quare non est, cur Verrium in glossa *exanclare* aliud veriloquium atque in glossa *anclare* protulisse putemus, nisi id omnino omisit. 5) Plac. *latro: satelles dictus a lateris custodia.* — Fest. Pauli 118, 16 *latrones eos antiqui dicebant, qui conducti militabant, ἀπὸ τῆς λατρείας. At nunc viarum obsessores dicuntur, quod a latere adoriuntur, vel quod latenter insidiantur.*

Pergo ad eas Placidi et Festi glossas, quibus vox inusitata pluribus vocibus magis usitatis explicatur, quarum nulla tamen alteri cum altero communis est. Tales glossas Placidum ex Festo petivisse nemo credet: 1) Plac. *antigerio: vel [quem] admodum*[3]) *vel inprimis.* — Fest. Pauli 8, 5 *antigerio antiqui pro valde dixerunt.* 2) Plac. *ad exodium: ad finem vel terminum.* — Fest. Pauli 80, 18 *exodium: exitum.* 3) Plac. *annictare: adridere, invitare.* — Fest. Pauli 29, 2 *adnictat: saepe et leviter oculo annuit.* 4) Plac. *arcent: tenent, custodiunt. unde cohercere.* Fest. Pauli 15, 9 *arcere est continere* e. q. s. et 15, 13 *arcere prohibere est* e. q. s. 5) Plac. *demum: tum, deinceps.* Fest. Pauli 70, 8 *demum, quod significat post, apud Livium demus legitur. Alii demum pro dumtaxat posuerunt.* 6) Plac. *exanclare: exanimare vel exinanire.* Fest. Pauli 80, 13 *exanclare: exhaurire;* cf. Fest. Pauli 11, 10 *anclare: haurire* e. q. s. 7) Plac. *fratrarent: turguerent, pubescerent.* Fest. Pauli 91, 1 *fratrare puerorum mammae dicuntur, cum primum tumescunt.* Prorsus similis est haec glossa: Fest. 297, 31 *sororiare mammae dicuntur puellarum, cum primum tumescunt* e. q. s. 8) Plac. *gorgo: adverbialis interpositio, ut porro, prorsus, nimirum.* Fest. Pauli 37, 6 *corgo apud antiquos pro adverbio, quod est profecto, ponebatur.* Accedit, ut lemmata ratione scribendi sint diversa. Idem valet de his: 9) Plac. *gerro: nugator dictus a gerris.* Fest. Pauli 40, 6 *cerrones: leves et inepti, a cratibus dicti* e. q. s. 10) Plac. *investem: impubem, sine barba.* Fest. Pauli 368, 9 s. v. *vesticeps: e contra investis, qui necdum pubertate vestitus est.* 11) Plac. *in mundo: in expedito*

1) sic G *a colore albo* R. 2) *quosque* Kettner, haud scio an recte.
3) *quem* del. Klotz, *quam* coni. Goetz ad vocem *oppido*.

vel ad manum, ⟨*in*⟩*procinctu.* Fest. Pauli 109, 11 *in mundo dicebant antiqui, cum aliquid in promptu esse volebant intellegi.* 12) Plac. *insequis: narras, refers et interdum pergis.* Fest. Pauli 111, 11 *inseque: apud Ennium dic. insexit: dixerit.* 13) Plac. *numero: prope*⟨*re*⟩ *velociter.* Apud Festum 170, 18 haec vox explicatur *nimium* vel *nimium cito* vel *nimium celeriter* (cf. O. Muelleri adn.). 14) Plac. *obdet: obiciet, suggerit.* Fest. Pauli 191, 6 *obdere: opponere vel operire.*

Transeo ad eas Placidi glossas, quae propter diversam lemmatum formam a Festo sumptae esse non possunt: 1) Plac. *capuli: lecti funerii vel rogi in modum arcae structi. est autem capulus masculini generis,* qua cum glossa conferri potest Serv. in Aen. VI 222 *feretro graece dixit, nam latine capulus dicitur a capiendo* e. q. s. Servius igitur et Placidus *capulum* masculini generis esse docent; contra Fest. Pauli 61, 12 *capulum et manubrium gladii vocatur et id, quo mortui efferuntur* e. q. s. et Non. 4, 18 *capulum dicitur* e. q. s. neutrius generis. 2) Plac. *extraneam: abortivam, quia plurimum exterritae*[1]) *abiciunt extra.* Aliam formam exhibet lemma apud Fest. Pauli 79, 2 *exterraneus quoque dicitur, qui ante tempus natus vel potius eiectus est. Dictus autem exterraneus, quod eum mater exterrita alvo eiecit,* quae vocis forma a nullo alio auctore usurpatur; tamen ne putes lemma corruptum esse, impedit glossa antecedens *exterraneus: ex alia terra* quacum haec coniunctione *quoque* coniuncta est. 3) Plac. *Iugi Iunoni: a qua vicus iugarius, ara ibi sita est.* Fest. Pauli 104, 13 *Iugarius vicus dictus Romae, quia ibi fuerat ara Iunonis Iugae, quam putabant matrimonia iungere.* Apud hunc igitur Iunoni cognomen *Iuga,* apud illum *Iugis* imponitur. 4) Plac. *postliminio id est qui recessisset et redisset iterum.* Fest. 218, 19 *postliminium receptum Gallus Aelius in libro primo significationum, quae ad ius pertinent, ait esse eum, qui liber, ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit eo iure, quod constitutum est de postliminis* e. q. s. Offenderunt viri docti in illo *postliminium,* quod pro usitato *postliminio* positum est. A. Augustinus igitur coniecit *postliminio* scribendum esse et Thewrewkius quoque in editione corruptelae signum illi vocabulo addidit. Sed haud scio an iure O. Muellerus traditam vocis formam defendat; nam illud *postliminium* exstat etiam v. 28 et 29, neque intellegeretur, unde forma illa minus usitata tribus illis locis orta esset. O. Muellerus comparat cum hac formula similes has: '*inlicium populum vocare*'

1) sic Goetz, *exterciae* R *exercitiae* G; *extentae* coni. Deuerling, reiecit ipse 'Bl. f. b. G.' XIV p. 310 et proposuit *eiecticiae.*

(cf. Fest. Pauli 113, 3 et Varro de l. l. VI 94) et '*postulionem postulare virum*' (cf. Varro de l. l. V 148). Quem si sequimur, Placidi glossa ex Festo repeti non potest. — His glossis adiungo eas, quarum lemmata apud Placidum vetustiorem formam praebent, cum apud Festum recentior pro illa posita sit: 5) Plac. *immoene: improbum, culpandum, vel interdum munere liberatum.* Fest. Pauli 109, 23 *immunis: vacans munere, aliquotiens pro improbo ponitur, ut apud Plautum: "immune est facinus."* Placidi glossam ad eundem versum Plautinum (Trin. 24), cuius prior pars a Paulo affertur, spectare consentaneum est; duplicem autem rationem scribendi etiam in Plauti codicibus deprehendimus: recensio igitur Palatina habet *inmene*, Ambrosianus codex *immune* (cf. Leidolph, De Festi et Pauli locis Plautinis, diss. Ien. 1883 p. 222). Dubium esse omnino non potest, quin Plauto vetustior forma *immoene* tribuenda sit, quam recensio Palatina et Placidus praebent, non *immune*, quod A et Paulus. Casu autem in A et apud Festum vel Paulum ex *immoene* factum esse *immune* putandum non esse monet Leidolphus l. s. s. summo iure. Quare statuere necesse est Verrium hoc loco secutum esse recensionem Ambrosianam, cuius vestigia etiam aliis Festi locis exstant (cf. Leidolphum p. 204 sqq.), Placidi autem glossae auctorem Palatinam. Quibus Festi et Placidi glossis comparatis intellegi licet, quam diversam rationem Verrius et Placidi glossarum auctor sint secuti: Placidus primo loco vocis significationem posuit, quam versus explicandus postulabat, eamque minus usitatam, quae apud Festum secundo loco exstat. Haud scio an idem, quod de lemmatis glossarum modo tractatarum, valeat etiam de his: 6) Plac. *moenicare: communicare dictum a moeni⟨i⟩s, id est operibus.* Fest. Pauli 152, 4 *municas pro communicas dicebant*; cf. Fest. 153, 21. Ceterum admodum dubium mihi videtur, num duae illae glossae ad eundem locum spectent; nam vix credibile est glossographum, quippe qui vocum formas ab auctoribus usurpatas retinere soleat, pro verbo finito hoc loco infinitivum posuisse. 7) Plac. *dacrumis: lacrumis ἀπὸ τοῦ δακρύειν.*[1]) Fest. Pauli 68, 10 *dacrimas pro lacrimas Livius saepe posuit, nimirum quod Graeci appellant δάκρυα* e. q. s. — Nunc tracto nonnullas glossas, quae ad diversos locos spectant. Ac Festi quidem lemmata in simpliciorem plerumque formam redacta esse supra exposui; quamquam non desunt glossae, quarum lemmata etiam apud Festum praebent formam ab ipsis auctoribus usurpatam. Verrium autem

1) *apoto ydacrion* G: om. R ἀπὸ τῶν δακρύων Loewius Gl. N. p. 99.

tum lemmata immutata ex auctoribus in librum suum recepisse patet, cum unus tantum locus explicandus erat; ac si ipsum Festum inspexeris, in huius modi glossis interpretamentum praeter exemplum, ex quo lemma ductum est, nullum sequi solere videbis, velut in hac glossa: Fest. 229, 22 *prodinunt: prodeunt, ut Ennius Annali. L. III: "prodinunt famuli, tum candida lumina lucent"*. Quae cum ita sint, haec Placidi lemmata non facile a Festo repeti possunt: 1) Plac. *exdorsuandum: iudicandum; iudicandum* procul dubio corruptum est.[1] Certe neque *confringendum* neque *eximendum,* quibus verbis utitur Fest. Pauli 79, 12 *exdorsua: dorsum confringe; alii exime* sub Placidi interpretamento latet. Festi autem glossam summo iure viri docti rettulerunt ad Plauti Aul. 399, qui versus codicibus quidem sic traditus est: *congrum, murenam exossata fac sient,* cuius tamen genuina forma exstat apud Non. 17, 30 *exdorsuare: dorso nudare. Plautus Aulularia: tu Machaerio, congrum, murenam exdorsua, quantum potèst* (cf. Leidolph p. 240 sq.). Ad alium versum spectat Placidi glossa. 2) Plac. *ferocientes: ferociam exercentes.* Fest. Pauli 92, 7 *ferocit: apud Catonem ferociter agit,* quarum glossarum ne interpretamenta quidem artius cohaerent. 3) Plac. *occedere: occurrere vel obviam cedere.* Fest. 181, 10 *occidamus Plautus ponit pro contra cedamus, cum plurimae aliae praepositiones familiariores huic verbo sint.* Quae glossa spectat, ut videtur, ad Plauti Pseud. 250, quo tamen loco *accedamus* traditum est (cf. Leidolph p. 240). Lindemannus igitur apud Festum Pauli *occedamus* per *e* scribendum esse censuit. Me quoque in illo *occidamus* haesitantem monuit Goetzius de forma *succidaneus,* quae praeter alteram *succedaneus* exstat. Sed utut res se habet, certe Placidi glossa et ad alium locum referenda est neque cum Festi interpretamento cohaeret, quippe qui ne uno quidem ex duobus verbis utatur, quibus ille lemma explicat. 4) Plac. *omentat: expectat, dictum a mantando, id est a diu manendo.* Fest. 190, 14 *ommentans: Livius in Odyssea quom ait: "In Pylum adveniens* (*advenies* cod.) *aut ibi ommentans" significat obmanens, sed ea significatione, qua saepe fieri dicitur, id enim est mantare.* Ex Festo glossographus neque verbi *ommentandi* notionem, quae est *exspectare,* petere potuit neque *mantandi,* quae est *diu manere,* cum Festus et hoc loco et p. 133, 15 *mantare* pro *saepe manendo* positum esse exponat. Quamquam O. Muellerus praef. Festi p. XXXIV Placidum haec a Festo petivisse censet. Immo ne ex Verrio quidem

1) *nudandum* coni. Arevalo et Oehler coll. Non. p. 17, 28.

hanc glossam petitam esse posse vel ex lemmatum diversa forma iure concluserim. 5) Plac. *emussitatos: <ad a>mussim exactos.* Fest. Pauli 76, 8 *emussitata: ad amussim facta.* Festi glossa procul dubio spectat ad Plauti Mil. v. 632 *inest in hoc emussitata sua sibi ingenua indoles* (cf. Loewius Prodr. p. 284), qui versus etiam a Nonio 9, 9 s. v. *examussim* affertur; ad alium igitur locum spectat Placidi glossa. Propter lemmata ne hae quidem glossae ex Festo sumptae esse possunt: 6) Plac. *decumano: maximo, a fluctu decimo,* quam glossam ad Lucilium revocandam esse supra p. 99 probatum est; ad alios eiusdem poetae locos spectat Fest. Pauli 71, 15 *decumana ova dicuntur et decumani fluctus, quia sunt magna. Nam et ovum decimum maius nascitur, et fluctus decimus fieri maximus dicitur* (cf. Lucil. vv. 1151. 1152 ed. Marx.). 7) Plac. *collati<v>us: magnus, e conlatio<ne> factus.* Fest. Pauli 58, 17 *collativum ventrem magnum et turgidum dixit Plautus, quia in eum omnia edulia congeruntur.* Quae glossa spectat procul dubio ad Plauti Curc. 231 *cum conlativo ventre atque oculis herbeis,* quem ad versum Placidi glossam propter lemma referre dubitaverim.

Quoniam eas glossas enumeravi, quae vel interpretamento vel veriloquio vel lemmatis forma prorsus a Festi reliquiis abhorrent, age nunc eas tractemus, quibus Placidus et Festus easdem res ut non prorsus diverso modo, ita diversam rationem secuti explicant. Ac primum quidem nonnullas commemoro, in quibus Festus pro prisca vocis forma recentiorem posuisse satis habet, cum Placidus accuratius interpretamentum proferat: 1) Plac. *ambulacris: locis, quibus ambulatur ex commodo.* Fest. Pauli 21, 8 *ambulacra: ambulationes.* 2) Plac. *dissertim: disposite, digeste.* Fest. Pauli 72, 17 *dissertim pro diserte dixerunt antiqui.* 3) Plac. *dusmum: incultum, dumosum vel squalidum.* Fest. Pauli 67, 8 *dusmo in loco apud Livium significat dumosum locum. Antiqui enim interserebant s litteram, et dicebant cosmittere pro committere et casmenae pro camenae.* Glossographi igitur interest nescio cuius auctoris certum locum accuratius interpretari, Festus autem, cum a Livii versu profectus in vocibus quibusdam priscam litteram s intercidisse expositurus est, *dusmo* pro *dumoso* positum esse dixisse satis habet; Placidi igitur alia interpretamenta, quae non exstant apud Paulum, ne apud Festum quidem aut Verrium exstitisse certum mihi videtur. — Quibus glossis contrariae sunt hae, quas Festus accuratius explicat: 4) Plac. *adulterina: adultera.* Fest. Pauli 28, 8 *adulterina signa dicuntur alienis anulis facta.* 5) Plac. *gutturneo: gutto,* Fest. Pauli 98, 13 *gutturnium: vas, ex quo aqua in manus datur.*

ab eo, quod propter oris angustias guttatim fluat. 6) Plac. *in flustris: in portu.* Fest. Pauli 89, 6 *flustra dicuntur, cum in mari fluctus non moventur, quam Graeci μαλακίαν vocant.* — Accuratius apud Festum etiam hae voces explicantur: 7) Plac. *forago: nota in textura significans cuiusque diei opus.* Fest. Pauli 90, 12 *forago: filum, quo textrices diurnum opus distinguunt, a forando dictum.* Festus igitur in interpretamento voce magis definita, quae est *filum,* utitur. 8) Plac. *arse verse: proverbium.* Fest. Pauli 18, 15 *arseverse averte ignem significat. Tuscorum enim lingua arse averte, verse ignem constat appellari.* e. q. s. 9) Plac. *plotos: a pedibus dictos.* Fest. 238, 31 *⟨plotos appellant⟩ Umbri pedibus planis ⟨natos.* e. q. s. Glossographum Festi accuratiores explicationes ita commutavisse credibile non est. — Nonnullis glossis Festus nihil aliud demonstrare studet, nisi unde voces sint ductae, cum glossographus certum locum accuratius interpretetur. 10) Fest. Pauli 48, 4 *cassabundus: crebro cadens.* Cum Festo consentit Varro de l. l. VII 53 *apud Naevium: 'Risi egomet moechum cassabundum ire ebrium' cassabundum a cadendo.* Ex Varronis igitur et Festi glossis arte inter se coniunctis concludi licet etiam Verrium id unum demonstrare voluisse, unde lemma ductum esset. Aliter se habet Placidi glossa: *cassabundum: dubitantem, titubantem,* quam glossam Ribbeckius ad Naevii versum a Varrone laudatum refert (cf. Naev. com. fragm. 120). Placidi igitur glossa loco, ad quem spectat, magis accommodata est. Idem dicendum est de hac simili: 11) *cassabundo: titubanti.* Eadem ratio intercedit huic Placidi glossae: 12) *bardum: hebetem, stolidum † bretendum*[1]) cum Festo Pauli 34, 9 *bardus: stultus a tarditate ingenii appellatur. Caecilius: "Nimis audacem nimisque bardum barbarum". Trahitur autem a Graeco, quod illi βαρδύς dicunt* et Nonio 10, 3 *bardum est vi propria [et] ingenio tardum. nam Graeci bardos* (βαρδεῖς Lindsay) *tardos dicebant.* e. q. s. Quae duae glossae consentiunt fere (cf. Froehde l. s. s. p. 37). Verrii igitur videmus interfuisse veriloquium proferre, Placidi certum locum accuratius explicare. 13) Plac. *anate: sollicitudine, cura.* Fest. Pauli 29, 9 *anatem morbum anuum dicebant, id est vetularum, sicut senium morbum senum.* 14) Plac. *deperis: perdite amas.* Fest. Pauli 70, 6 *deperire significat valde perire;* cf. Fest. Pauli 70, 14 *defrui dicebant antiqui, ut deamare, deperire, significantes omnem fructum per-*

1) om. cod. Paris.; *bracteolam* pro novo lemmate habens Loewe, *brutum* Deuerling, *retunsum* W. Heraeus Arch. VI p. 275. Res est dubia.

cipere. In utraque igitur Festi glossa demonstratur, quam vim habeat praepositio *de* in verbis compositis; de translaticio verbo *deperire* non agitur. 15) Plac. *genuinorum: dentium proprie ultimorum.*[1]) Fest. Pauli 94, 14 *genuini dentes, quod a genis dependent.* 16) Plac. *murgiso: irrisor, lusor.* Fest. Pauli 144, 11 *murgisonem dixerunt a mora et decisione.* 17) Plac. *multi facere: magnificare.*[2]) Fest. Pauli 152, 5 *multifacere dicitur sicut magnifacere et parvifacere* e. q. s. Apud Festum igitur exponitur verbum, quod est *facere,* non solum cum *parvi* et *magni,* sed etiam cum *multi* componi posse, cum glossographus vocem inusitatam voce magis usitata explicet. — Interdum autem Placidus affert etyma, cum apud Festum desint: 18) Plac. *cocetum: a graeco κυκεῶνα.* Fest. Pauli 39, 8 *cocetum: genus edulii ex melle et papavere factum.* 19) Plac. *experitus: non peritus, sed extra peritiam positus, sicut expers extra partem.* Fest. Pauli 79, 15 *experitos: imperitos.* 20) Plac. *exlaudat: extra finem laudat.* Fest. Pauli 76, 4 *elaudare plus quam nominare.* — Prorsus diverso consilio etiam hae glossae compositae sunt: 21) Plac. *moraciis*[3]): *nucibus longis.* Fest. Pauli 139, 5 *moracias nuces Titinnius duras esse ait, unde fit diminutivum moracillum.* Quam vocem Georges quidem in lexico adiectivum esse putat, neque tamen iure, ut videtur: nam substantivum esse censeo adductus et Placidi glossa et vocabulo deminutivo *moracillum,* quod ad substantivum referendum esse videtur. Placidi autem et Festi glossae hoc differunt, quod hic in voce illa explicanda vocabulo ab ipso poeta usurpato, *durus* nimirum, utitur, glossographus *moracias* esse nuces longas exponit. Loewius igitur Gl. N. p. 100 Placidi glossa usus fragmentum illud Titinii sic restituit: 'duris ... moraciis'. — Complurium eiusdem vocis significationum alter aliam profert his in glossis: 22) Plac. *coniector: coniecturae peritus, id est praedivinandi.* Huius vocis significationem magis usitatam habet Fest. Pauli 60, 4 *coniector: interpres somniorum.* 23) Plac. *concinnatus: factus.* Fest. Pauli 38, 1 *concinnare est apte componere.*

Plura quam Festus habet Placidus his in glossis: 1) Plac. *censio: multa, qua citatos si non responderant, censor afficiebat.* Placidi verba quo spectent, apparet ex Gell. N. A. XVI 4, 3 *militibus autem scriptis dies praefinibatur, quo die adessent et citanti consuli responderent,* unde Buechelerus M. R. vol 35 p. 403 apud Placidum *responderant* correxit (*ponderum* R *pederam* G). Festus Pauli 54, 5

1) *intimorum* Goetz Ind. Ien. 1886 p. VIII, *ultimorum* tutatur W. Heraeus Arch. VI p. 278.

2) sic G P *magnifacere* R. 3) *moragis* codd.

nihil habet nisi haec: *censionem facere dicebatur censor, cum multam equiti irrogabat.* 2) Plac. *Catialem collem: ubi nunc lacus funditur.*[1]) *est dictus a Catio, cuius fons erat eo loco*[2]), quam glossam fluxisse affirmat O. Muellerus ex Festo, cuius verba Paulus sic reddidit p. 45, 15 *Cati fons, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit, dictus, quod in agro cuiusdam fuerit Cati.* Sed puto esse, cur Festum collem illum Catialem commemoravisse omnino negemus, cum Festus Pauli fontem illum in agro, non in colle Catii fuisse enarret; ac ne lacus quidem apud hunc mentio fit. 3) Plac. *doliola*[3])*: locus depressus prope cloacam maximam, ubi appropinquantibus Gallis sacra quaedam Romani loco occulto*[4]) *defoderunt.* Fest. Pauli 69, 8 *doliola locus in urbe sic vocatus, quia invadentibus Gallis Senonibus urbem sacra in eodem loco doliolis reposita fuerunt. Qua de causa in eodem loco ne despuere alicui licebat.* Conferendus est Varro de l. l. V 157 *locus qui vocatur Doliola ad cluacam maxumam, ubi non licet despuere, a doliolis sub terra. Eorum duae traditae historiae* e. q. s., quarum tamen historiarum neutra apud Festum tradita est; quare dubitari licet, num hoc loco Varro et Verrius eundem fontem adierint, praesertim cum Varro tam dilucide de duabus historiis dicat (at cf. Kriegshammer l. c. p. 91). Quae cum ita sint, ex Varronis loco ipsum Verrium doliolorum situm accuratius definivisse concludi non potest; certe apud Festum Pauli de hac re nihil legitur. Placidus autem plura profert quam Varro, cum locum illum depressum fuisse dicat. 4) Plac. *iuxta oppidum: prope carceres.* Fest. Pauli 184, 5 s. v. *oppidum: oppidum dicitur et locus in circo, unde quadrigae emittuntur.* De carceribus igitur apud Festum nihil legitur, sed Varro de l. l. V 153 *oppidum* carceres significare docet his verbis: *in circo primum, unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres, Naevius oppidum appellat* e. q. s.; Varronem autem eodem cum Verrio fonte usum esse probare studet Kriegshammer l. c. p. 115, neque tamen Verrium quoque de carceribus dixisse necesse est. Ceterum Placidi glossam cum Varroniana non tam arte cohaerere

1) *funditus* G *Fundani* in marg. b², quod iure commendavit Buechelerus nov. annal. phil. a. 1872 p. 567 collatis titulis illum lacum commemorantibus; cf. W. Heraeus Arch. VI p. 277 qui hanc lectionem probat Tac. hist. 3, 69 testimonio nisus.

2) sic Buechelerus coll. Festo; *a cantico cuius locum* G *a catio loco* R.

3) *delioca* R *delioqua* G, corr. ex Festo.

4) *occulta* optimi codd. *occulto* Deuerling cum nonnullis libri gloss. exemplaribus; *doliolis occulta* vel *condita* coni. Goetz.

inde apparet, quod versu Naeviano, quem Varro affert, Placidi lemma non continetur, sed *ad oppidum.* 5) Plac. *molocrum: morbum, quem Graeci milon dicunt.* Fest. 141, 20 *molucrum: non solum, quo molae vertuntur* (*teruntur* cod.) *dicitur, id quod Graeci μυληκόρον appellant, sed etiam tumor ventris, qui etiam virginibus incidere solet* e. q. s. Apud Festum *μύλικρον* traditum est; *μυληκόρον* restituit O. Muellerus Salmasium secutus. Aliter autem Placidi glossa se habet: *milon* exhibet P, *milion* G, *milan* R, quas formas ex *μυληκόρον*, quod Deuerlingius in contextum recepit, ductas esse per se credibile non est. Dein *μυληκόρον* apud Festum nihil significat nisi, quo molae vertuntur, non morbum illum, de quo agitur. Goetzius igitur secutus Buechelerum, qui Soran. II c. 9 confert, *milon*, quod spectat ad *μύλον*, scripsit. Ceterum Placidi glossam cum Festina artiore vinculo coniunctam non esse vel inde apparet, quod lemma, quod est accusativus, ex Festo derivari non potest. 6) Plac. *pullum: puerum in amoribus id est rhetoris qui Romae, unde Qu. Fabius Eburnus quod natibus fulguratus erat pullus Iovis dictus est;* cuius glossae priorem partem mutilatam sanare conati sunt Deuerlingius, qui (Fleckeis. ann. vol. 121 p. 847) haec proposuit: *in amoribus incestis retriorisque rimae, unde* et Buechelerus, qui coniecit: *in amoribus desultoriis* ⟨*dicebant anti*⟩*qui Romae.* Sed res incertissima est. Fest. 245, 23 *pullus Iovis dicebatur Qu. Fabius, cui Eburno cognomen erat propter candorem, quod eius natis fulmine icta erat.* ·*antiqui autem puerum, quem quis amabat, pullum eius dicebant.* Qua de re praeter hos solus Arnob. adv. nat. IV 26 agit. Quod autem attinet ad rationem, quae Placido cum Festo intercedit, O. Muellerus quidem Placidum Festum exscripsisse affirmat (Fest. p. 396), quae tamen sententia vel ideo reicienda est, quod Placidi lemma ex Festo petitum esse credibile omnino non est. Accedit quod apud Placidum, sive verba *id est* tenenda sunt sive corrupta, sequentibus verbis amorum illorum genus accuratius descriptum fuisse apparet. Dein quis est qui credat Muellero nescio quem glossographum in Festo exscribendo id spectavisse, ut pro Festinis sua propria verba poneret?

Pergo nunc ad alias glossas, quibus easdem res similiter quidem, sed suis propriis verbis usi Placidus et Festus explicant: 1) Plac. *ad manticulandum: ad dolum et ad strophas excogitandum* et *manticulam: viatoriam peram.* Fest. 133, 18 *manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro saeculo fuit. Unde manticulari dicebantur, qui furandi gratia*

manticulas attrectabant. Inde poetae pro dolose quid agendo usi sunt eo verbo. Pacuvius: "Ad manticulandum astu aggreditur, scit enim quid promeruerit." e. q. s. 2) Plac. *antiquare: quae ante in auguriis*[1]) *sunt. alii antiquare ad statum* ⟨*pristinum*⟩[2]) *revocare,* qua ex glossa duas fecit Deuerlingius ita ut pro priore *antiquare, antica* poneret et *alii* deleto alterum *antiquare* pro novo lemmate haberet. Certe illud *alii antiquare* pro solis coniunctionibus *aut, vel,* quae in parte A, cuius est glossa *antiquare,* semper adhibentur, ubi duae diversae significationes discernuntur, suspectum est. Sed utut res se habet, certe alteri glossae parti cum Festo Pauli 26, 12 *antiquare est in morem pristinum reducere* nihil commune est, nisi quod eadem res simili modo explicatur. 3) Plac. *artitus: artibus edoctus.* Fest. Pauli 20, 14 *artitus: bonis instructus artibus.* 4) Plac. *actum: iter vicinale quattuor pedes latum, qua iumenta agi possunt.* Fest. Pauli 17, 13 s. v. *actus: modo iter inter vicinos quatuor pedum latum.* Apud Festum quattuor vocis, quae est *actus,* significationes proferuntur, sed veriloquia desunt. 5) Plac. *aeruscans: aes minutum* et *accurate construens,* quas glossas in codicibus discretas coniunxit Goetzius. O. Muellerus in priore *colligens* addidit eumque secutus est Deuerlingius, qui praeterea *accurate* lemma corruptum putans *accurtans* coniecit ('Bl. f. d. b. Gymn.' tom. XIV p. 308). Quae glossa non artius cohaeret cum Festo Pauli 24, 7 *aeruscare: aera undique, id est pecunias colligere.* 6) Plac. *ambronem: perditae improbitatis a gente Gallorum, qui cum Cimbris Teutonisque grassantes periere.* Fest. Pauli 17, 2 *Ambrones fuerunt gens quaedam Gallica, qui subita inundatione maris cum amisissent sedes suas, rapinis et praedationibus se suosque alere coeperunt. Eos et Cimbros Teutonosque C. Marius delevit. Ex quo tractum est, ut turpis vitae homines ambrones dicerentur.* 7) Plac. *bellicam columnam: ante aedem Bellonae, quae Pyrrhi temporibus constituta dicitur, ut exeuntes in bellum superiacerent eam hasta, velut in conspectu hostis essent.* Fest. Pauli 33, 8 *Bellona dicebatur dea bellorum, ante cuius templum erat columella, quae bellica vocabatur, super quam hastam iaciebant, cum bellum indicebatur.* 8) Plac. *cossos: vermiculos qui in materia nascuntur.* Fest. Pauli 41, 9 *cossi ab antiquis dicebantur natura rugosi corporis homines, a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur.*

1) corr. Deuerling, *augures* codd.
2) suppl. W. Heraeus Arch. VI, p. 273.

9) Plac. *canterios: equos castratos.* Fest. Pauli 46, 8 *cantherius hoc distat ab equo, quod maialis a verre, capo a gallo, berbix ab ariete. Est enim cantherius equus, cui testiculi amputantur.* 10) Plac. *calpar: vinum, quod primum libatur e dulio.* Fest. Pauli 65, 13 *calpar: vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Iovi enim prius sua vina libabant, quae appellabant festa Vinalia.* 11) Plac. *conlocare: deputare.* Fest. Pauli 37, 12 *conlucare dicebant, cum profanae silvae rami deciderentur officientes lumini.* Fest. 348, 16 *sublucare arbores est ramos earum supputare, et veluti suptus lucem mittere; conlucare autem, succisis arboribus, locum inplere luce.* Cum neutra Festi glossarum Placidea artius cohaeret; accedit, ut hic habeat *conlocare* per *o*, ille *conlucare* per *u*. 12) Plac. *clunaculum: pugionem dictum ab eo, quod ad clunes religatur, id est spata.* Fest. Pauli 50, 6 *clunaclum: cultrum sanguinarium dictum, vel quia clunes hostiarum dividit, vel quia ad clunes dependet.* 13) Plac. *coculis: aereis vasis ad coquendum vel assulis aridis.* Fest. Pauli 39, 3 *cocula: vasa aenea, coctionibus apta. Alii cocula dicunt ligna minuta, quibus facile decoquantur obsonia* (cf. Loewius Gl. N. p. 95 sq.). 14) Plac. *cicendela: scarabaeorum genus est eo quod gradiens vel volans lucet.* Fest. Pauli 42, 13 *cicindela: genus muscarum, quod noctu lucet, videlicet a candela* e. q. s. 15) Plac. *carisa: vetus lena percallida, unde et in mimo fallaces ancillae cata carisia*[1]) *appellabantur.* Fest. Pauli 44, 3 *carissam apud Lucilium vafrum significat;* ubi *vafram* exhibet cod. Monac., ut videtur, *vafrum* reliqui, quos secutus est Muellerus (*vafram* enim in ipso contextu positum mendum typographi esse ex adnotatione elucet). Sed cum Placideae aliarumque glossarum interpretamenta planissime ad 'lenam callidam' spectent, Loewio (Prodr. p. 306) videtur apud Paulum quoque *vafram* scribendum esse, haud scio an iure. Quod autem ad rationem attinet, quae Placido cum Festo intercedit, miror, quod Muellerus adnotat: quae habeat Placidus ex ipso Verrio Festove hausta esse eo credibilius esse, quod is etiam alias [Fest. 313, 23] mimica verba explicare haud dedignatus sit. Cui argumento nihil tribuerim; at contra Placido cum Festo nihil est commune, nisi quod eandem rem uterque suis verbis explicat, atque ille quidem accuratius. Accedit, ut hic habeat *carissam* per geminatam litteram s, ille *carisam* per unam, quae scribendi ratio omnibus aliis glossis a Goetzio

1) *cata carisiae* G *cata carisula* Ribbeck *catae carisae* Hildebrand.

collectis commendatur. 16) Plac. *curriculo: cursu veloci.* Fest. Pauli 49, 6 *curriculo pro cursim ponebant.* 17) Plac. *effafillatus: exerto humero, id est extra fil[i]um manum [id est extra]*[1]) *proferens;* cf. Plac. *exfabillavero: exeruero.* Fest. Pauli 83, 6 *effafilatum: exertum, quod scilicet omnes exerto bracchio sint exfilati, id est extra vestimentum filo contextum* (cf. Loewius Prodr. p. 270, adn. ad Mil. gl. 1180 ed. mai.) 18) Plac. *genis [et]: ea parte vultus quae inter malas et auriculas est; ideo genae dictae eo quod infans in utero caput inclinatum inter genua tenet.* Quis est qui credat ita glossographum reddidisse verba Festi, cum apud Fest. Pauli 94, 6 s. v. *genas* haec legantur: *alii eas partes putant genas dici, quae sunt sub oculis*? Tres vocis, quae est *genae,* notiones commemorat Festus, neque tamen etymon, quod habet Placidus neque aliud profert. 19) Plac. *habitior: plenioris habitus.* Festus Pauli 102, 1 *habitior: pinguior.* 20) Plac. *murrinam: vinum murra conditum.* Fest. Pauli 144, 9 s. v. *murrina: quidam murratum vinum.* 21) Plac. *manducum: ligneam hominis figuram ingentem, quae solet circensibus malas movere quasi manducando*[2]). Fest. Pauli 128, 12 *manduci effigies in pompa antiquorum inter ceteras ridiculas formidolosasque ire solebat magnis malis ac late dehiscens et ingentem dentibus sonitum faciens, de qua Plautus ait: "Quid si ad ludos me pro manduco locem? Quapropter? claro crepito dentibus.* Placidi glossa ad alium locum spectat, ac quem Paulus affert (Rud. 535). 22) Plac. *nefrendem: infantem, nondum dentatum, qui frendere cibum non queat, id est frangere.* Fest. 162, 12 *⟨nefrendes dictos asserit Qu. Muci⟩us Scaevola ⟨arietes, quod dentibus frendere non pos⟩sint. Ateius ⟨Capito infantes esse nondum fre⟩ndentes, id est ⟨frangentes: Livius . . .⟩ri; Quem ego ne⟨frendem alui lacteam immulgen⟩s opem* e. q. s. Placidi igitur glossa uberior ac Livii versui, ad quem spectare videtur, magis accommodata est quam Festina. 23) Plac. *obstrudulenta: adpetenda.* Miror quod O. Muellerus adnotat hanc glossam ex ipso Festo ductam esse, cum apud hunc nihil nisi haec legatur p. 193, 14 *'obstrudant, obsatullent' ab avide trudendo in gulam, non sumendo cibum. Unde et obstrudulentum . . . dixit Titinius: "Obstrudulenti aliquid, quod pectam sedens, aut luculentaster aut formaster frigidus."* Unde quomodo Placidi glossa derivari possit nescio. 24) Plac. *offu-*

1) sic Goetz. *manum exerens, id est proferens* Deuerling. *dextram* pro *id est extra* Buecheler.

2) *ad quasi manducandum* Deuerling ex cod. Hamburg.

ciarum: fallacium[1]) *aut rerum ad decipiendum speciose comparatarum, dictum ab offucando, quod est furtim collocare*[2]). Fest. Pauli 192, 8 *offucias*[3]): *fallacias.* 25) Plac. *papillas: summa nuclea mammarum.* Fest. Pauli 220, 12 *papillae: capitula mammarum dictae, quod papularum sint similes.* 26) Plac. *pedo: fuste pastorali capite incurvo.* Quis est qui credat hanc glossam repetendam esse ex Festo p. 210, 23 *pedum: baculi genus incurvum, ut Vir. in Buc. quom ait: "At tu sume pedum, quod me cum saepe rogaret"* aut p. 249, 24 *pedum est quidem baculum incurvum, quo pastores utuntur ad comprehendendas oves, aut capras a pedibus* e. q. s.?

His glossis subiungo nonnullas, in quarum interpretamento uterque eadem quidem voce utitur, cui tamen consensui haud multum momenti tribuendum esse putem, cum multa non possint non similiter explicari; dico autem huius modi glossas: 1) Plac. *adoria: gloria vel bona fama.* Fest. Pauli 3, 12 *adoriam laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret.* Uterque igitur in interpretamento voce, quae est *gloria,* utitur, neque vero hic habet illud *bona fama* neque ille illud *laudem.* 2) Plac. *crepero: dubio, incerto: unde et crepusculum* et *creperae res: incertae dubiaeque, unde et crepusculum.* Fest. Pauli 52, 18 *creperum: dubium, unde increpitare dicimus, quia maledicta fere incerta et dubia sunt.* Alter igitur aliam vocem a *crepero* ductam esse exponit. 3) Plac. *ergo: causa vel opera.* Fest. Pauli 82, 22 *ergo correptum significat idem, quod apud Graecos οὐκοῦν; producte idem, quod χάριν, hoc est gratia, cum scilicet gratia intellegitur pro causa* e. q. s. De *ergo* vocabulo pro *opera* usurpato apud Festum nihil legitur. 4) Plac. *hiras: intima intestina, quorum nunc diminutio hillae dicuntur.* Fest. Pauli 101, 6 *hira, quae diminutive dicitur hilla, quam Graeci dicunt νῆστιν, intestinum est, quod ieiunum vocant.* 5) Plac. *igitur: tum, deinde.* Fest. Pauli 105, 2 *igitur nunc quidem pro completionis significatione valet, quae est ergo. Sed apud antiquos ponebatur pro inde et postea et tum.* Apud hunc *igitur* triplici, apud illum duplici modo explicatur, tamen alteri cum altero unum illud *tum* commune est. 6) Plac. *laudare: nominare vel referre.* Fest. Pauli 118, 3 *laudare ponebatur apud antiquos pro nominare.* 7) Plac. *oreae: freni et habenae, ab ore dicuntur.*

1) *fa laciarum* Kettner, quod opus non est.
2) *colorare* corr. cod. Palat (G). 3) corr. Scaliger, *offudas* cod.

Fest. 182, 23 *oreae: freni, quod ori inseruntur* e. q. s. Uterque igitur in interpretamento voce *freni* utitur, sed apud hunc non exstat illud *habenae,* neque intellegitur, qua re glossographus, ut verba *quod ori inseruntur* in verba minus definita *ab ore dicuntur* commutaret, commotus sit. 8) Plac. *portum: domum vel ianuam interdum petitum*[1]). Minus plena est Festi memoria p. 233, 28 *portum in XII pro domo positum omnes fere consentiunt: "cui testimonium defuerit, is* (*his* cod.) *tertiis diebus ob portum obvagulatum ito."*

His glossis, quae a Festi reliquiis aut prorsus abhorrent aut magis minusve recedunt, adiungo eas, quae Festinis similiores sunt. Harum autem numerus pro copia illarum minor est quam a quibus profecto cui affirmare liceat Placidum ex Festo aut Verrio pendere. Immo aliter hanc similitudinem quae alteri cum altero intercedit explicandam esse supra iam exposui. Breviores igitur glossas, de quibus agimus, ex duabus partibus diversis compositas esse demonstravisse mihi videor, quarum partium altera ad codices interpretamentis ornatos, altera ad glossematorum scriptorum copias referenda est. Tales autem fontes etiam Verrium adhibuisse non est, cur negemus. Ac quod ad glossematorum quidem scriptores attinet, ipsius Festi certo testimonio niti licet p. 166, 6 *naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis. Cincius, quod oleae nucisque (in oleae nucis quod* cod.) *intus sit. Aelius Stilo omnium rerum putamen. Glossematorum autem scriptores fabae grani quod haereat in fabulo. Quidam nucis iuglandis, quam Verrius* e. q. s. Ex glossematorum scriptorum copiis etiam Varronem non pauca hausisse constat (cf. de l. l. VII 10 *quod addit templa ut sint Tesca, aiunt sancta esse qui glossas scripserunt. Id est falsum;* e. q. s. ibd. 34 *camillam qui glossemata interpretati dixerunt administram* e. q. s.). Qui autem fuerint hi glossematorum scriptores, bene explicavit Goetzius Ind. Ien. 1886 p. X, quem locum supra iam laudavimus, cum dicit 'glossematorum scriptores certum scriptorum genus esse, singulos vero homines aut non notos fuisse aut nomina consulto non posita' (cf. Deuerlingium praef. p. XV). Alterum breviorum Placidi glossarum genus a codicibus inter-

1) sic R, *adpetitum* P *porticum* G, quod Deuerlingius in contextum recepit. Sane *porticum*, quae notio ab ea, quam Placidus primo loco commemorat, *domum* dico, haud ita recedit, ferri potest; minus placet Heraei coniectura, qui *posticum* proposuit. Aliam viam ingressus est Goetzius Ind. Jen. 1889 p. VII qui a lectione cod. Paris. profectus coni. *aditum*. Res est dubia.

pretamentis ornatis repetendum esse demonstravimus. Verrium autem ipsos codices adisse consentaneum est (quod ad Plautum quidem attinet, cf. Leidolph l. c. p. 204), neque habemus, cur ipsum quoque codicibus adnotationibus instructis usum esse negemus. Sed utut res se habet, id certum puto, si quae Placidi glossae Festinis similes sunt, eas non ex Festo aut Verrio repetendas, sed ex eisdem fontibus et in Verrii opus et in Placidi glossarium fluxisse existimandas esse, sive ex illis ipsis, sive per varios rivos.

Age nunc has glossas ipsas enumeremus; atque initium quidem capio a duabus glossis apud Placidum et Festum similiter explicatis, quas, etsi earum consensui non multum momenti tribuerim, tamen huc rettuli, quod lemmata rarissime occurrunt: 1) Plac. *cracentes: graciles, tabidos.* Fest. Pauli 53, 7 *cracentes: graciles. Ennius: Succincti gladiis media regione cracentes.* Num ipsius Verrii interpretamentum copiosius fuerit, valde dubito; potius haec glossa earum mihi videtur esse, quibus prisca vocis forma sola recentiore explicatur (cf. p. 119) neque omnino Verrium lemma compluribus vocibus magis usitatis, quibus idem fere significatur, explicare solere apparet etiam ex exemplis p. 115 sq. compositis. Eiusdem generis haec glossa esse mihi videtur: 2) Fest. Pauli 7, 14 *alterplicem: duplicem.* Plac. *altriplicem: duplicem, dolosum.* Accedit, quod ratio scribendi diversa est. — Accurate ne hae quidem glossae consentiunt, quas et ipsas huc refero, quod lemma apud solos Placidum et Festum occurrit: 3) Plac. *flagratores qui se flagris conducti caedunt.* Fest. Pauli 89, 5 *flagratores dicebantur genus hominum, quod mercede flagris caedebantur;* ubi *caedebantur* corruptum esse arbitratus O. Muellerus cum Dacerio *caedebant* scribendum esse censet, num iure valde dubito. — Dein lemmatis scriptura hae glossae inter se differunt: 4) Plac. *capedulum: vestimentum capitis.* Fest. Pauli 48, 13 *capidulum: genus vestimenti, quo caput tegebatur.* 5) Plac. *calbae: armillae quibus milites ob virtutem donantur.* cf. C. G. L. II 95, 43 *calbae: κόσμια.* Aliam vocis formam exhibet Fest. Pauli 46, 19 *calbeos: armillas dicebant, quibus triumphantes utebantur, et quibus ob virtutes milites donabantur.* De diversis huius vocis formis vide Loewium Gl. N. p. 29. 6) Plac. *flaxare: vigilias circumire.* Fest. Pauli 91, 9 *fraxare: vigiliam circuire* (cf. Buggium Fleckeis. ann. vol. 105 p. 98). 7) Plac. *massucum: edacem.* Fest. Pauli 139, 1 *masucium: edacem a mandendo scilicet. Massucum* formam unice veram esse probavit Buggius l. c. p. 101 sq. His glossis adiungo, quae ut cum Festinis congruunt, ita simpliciores sunt, quam quibus multum momenti

tribui liceat: 8) Plac. *armillum: vas vinarium, unde anus ad armillum.* Fest. Pauli 2, 5 *armillum: vas vinarium in sacris dictum, quod armo, id est humero deportetur.* 9) Plac. *apua: piscis minutus.* Fest. Pauli 22, 18 *apua: genus minimi pisciculi.* 10) Plac. *ausculatus: osculatus.* Fest. Pauli 28, 9 *ausculari dicebant antiqui pro osculari, quod est os cum ore conferre.* 11) Plac. *amb⟨act⟩i*[1]*: servi.* Fest. Pauli 4, 13 *ambactus apud Ennium lingua Gallica servus appellatur.* 12) Plac. *batos: herbae genus.* Fest. Pauli 30, 15 *batus: genus herbae.* 13) Plac. *cancros: cancellos.* Fest. Pauli 46, 2 *cancri dicebantur ab antiquis, qui nunc per diminutionem cancelli* e. q. s. 14) Plac. *dice: dicam.* Fest. Pauli 72, 6 *dice pro dicam antiqui posuere.* 15) Plac. *enumquam: ecquando.* Fest. Pauli 76, 7 *enunquam: ecquando.* 16) Plac. *escit: erit.* Fest. Pauli 77, 13 *escit: erit.* 17) Plac. *facul: facile.* Fest. Pauli 87, 1 *facul antiqui dicebant et faculter pro facile;* e. q. s. 18) Plac. *fratria: fratris uxor.* Fest. Pauli 90, 5 *fratria: uxor fratris.* 19) Plac. *festram: fenestram.* Fest. Pauli 91, 5 *festram antiqui dicebant, quam nos fenestram.* 20) Plac. *habitudine: habitu.* Fest. Pauli 101, 17 *habitudo: habitus corporum.* 21) Plac. *nasiterna: vas aquarium.* Fest. 169, 11 *nassiterna est genus vasi aquari.* — Quas Placidi glossas omnes ex eodem cum Verrianis fonte repetamus necesse non est, cum tam simplices sint, ut similitudo .certe casui tribui possit. Plus harum consensui tribuendum est: 22) Plac. *ancras: convalles aut arborum intervalla.* Fest. Pauli 11, 3 *antras* † *convalles vel arborum intervalla.* Apud Festum procul dubio cum O. Muellero *ancras* restituendum est, quae forma comprobatur et Placidi glossa et Pseudo-Philoxeni C. G. L. II 17, 19 *ancrae: ἄγκεα, αὐλῶνες* (cf. Dammann, De Festo Pseudophiloxeni auctore, diss. Ien. p. 41); cf. etiam alteram Placidi glossam: *angrae: intervalla arborum.* 23) Plac. *bulga: saccus scorteus.*[2]) Fest. Pauli 35, 1 *bulgas Galli sacculos scorteos appellant.* 24) Plac. *caesariati: comati a caesarie dicti.* Fest. Pauli 45, 6 *caesariati: comati.* 25) Plac. *crumina: sacculus.* Fest. Pauli 60, 10 *crumina: sacculi genus* e. q. s. 26) Plac. *capronas: iubas equorum.* Fest. Pauli 48, 12 *capronae: equorum iubae in frontem devexae, dictae quasi a capite pronae.* Quas glossas ad Lucil. v. 288 ed. Marx. *iactari caput atque comas, fluitare capronas* spectare probavit Loewius Prodr. p. 322 (cf. Gl. N.

1) suppl. Koch.
2) *corteus* G *coreus* R corr. Klotz ex Festo.

p. 96). Placidi igitur lemma integrum Lucilii fragmentum est, cum apud Festum in simpliciorem formam sit redactum. 27) Plac. *casnari: seni Oscorum lingua* et *casnar: senex.* Fest. Pauli 47, 12 *casnar: senex Oscorum lingua.* 28) Plac. *catillo: gulosus, a catelli appetentia.* Fest. Pauli 44, 12 *catillones appellabant antiqui gulosos;* cf. 90, 2 s. v. *fiscellus: ut catillones catillorum liguritores.* 29) Plac. *cassiculo: reticulo ⟨a⟩*[1]*) cassibus.* Fest. Pauli 48, 1 *cassiculum: reticulum a cassibus per deminutionem dictum.* 30) Plac. *damium: sacrificium, quod in operto fit, quod Bonae deae mulieres faciunt* et *damium: Bonae deae sacrum.* Fest. Pauli 68, 8 *damium sacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonae Deae, dictum a contrarietate, quod minime esset δαμόσιον, id est publicum* e. q. s. (cf. Dammann l. c. p. 40). 31) Plac. *eccere: ecce vel iureiurando per Cererem.* Fest. Pauli 78, 5 *eccere iurisiurandi est, ac si dicatur per Cererem, ut ecastor, edepol. Alii eccere pro ecce positum accipiunt.* 32) Plac. *flatores: tibicines a flando.* Fest. Pauli 89, 7 *flator: tibicen;* cf. C. G. L. II 72, 36 *flator: αὐλητής* et Dammann l. c. p. 42. 33) Plac. *fartori: nomenclatori.* Fest. Pauli 88, 15 *fartores: nomenclatores, qui clam velut infercirent nomina salutatorum*[2]*) in aurem candidati.* 34) Plac. *imploratis: invocatis.* Fest. Pauli 109, 3 *implorare: inclamare, ad auxilium invocare.* — Restat, ut de paucis glossis agam, in quibus idem mendum apud Placidum et Festum viri docti deprehendisse sibi visi sunt: 35) Plac. *futavit: fuit* et *futavere: fuere.* Fest. Pauli 89, 3 *futare arguere est, unde et confutare. Sed Cato hoc pro saepius fuisse posuit.* Quibus in glossis pro *fuit, fuerunt, fuisse* — *fudit, fuderunt, fudisse* scribendum esse probare studet Corssenius (Philol. XX p. 731), quippe qui persuadere sibi non possit verbo, quod est *futare,* a radice *fu* —, quae significat *esse,* ducto vim verbi *arguendi* subici posse. Sed in tres illas glossas idem mendum irrepsisse quis est qui credat? O. Muellerus quidem duas illas Placidi glossas a Festina petitas esse affirmavit neque tamen explicavit, cur duobus locis intervallo quodam disiunctis positae sint. Immo Placidi lemmata ex diversis auctoris cuiusdam, haud scio an Catonis, locis ducta esse putandum est. Quae cum ita sint, Corssenii coniectura reicienda est; apud Festam igitur *fūtare* a fundendo et *fŭtare* a prisco verbo, quod est fuere et esse significat, ductum confunduntur. 36) Plac. *fulsit: feriit vel per-*

1) add. Deuerling ex Festo.
2) *salutandorum* Hildebrand ad Gloss. Paris p. 220 a.

cussit; fulgere enim ferire est, unde quoque fulmen dictum est. Fest. Pauli 92, 21 *fulcere prisci pro ferire dicebant, unde fulgus dictum est.* Apud Festum pro *fulgere,* quod traditum est, *fulcere* i. e. verbi, quod est *fulcire,* formam secundum tertiam coniugationem fictam scribendam esse censet O. Muellerus, cum inter fulgendum et feriendum nulla notionis affinitas sit. Neque vero inde fulgus derivatum esse Verrium docuisse credibile est. Thewrewkius igitur in contextu retinuit *fulgere,* quod comprobatur Placidi glossa. Glossographus autem et copiosius interpretamentum profert et aliam vocem a fulgendo ductam esse exponit. 37) Plac. *fratellis: sordium glomusculis.* Fest. Pauli 90, 10 *fratilli: villi sordidi in tapetis.* Apud Festum *fracilli* et apud Placidum *fracellis* scribendum esse arbitratur Buggius (Fleckeis. ann. vol. 105 p. 97 sq.), qui ad glossam, quae proxima apud Festum Pauli 90, 11 sequitur, revocat: *fracebunt: displicebunt* et Plac. *fracebunt: sordebunt, displicebunt. dictum a fratribus*[1]) *qui sunt stillicidia sterquilinii.* Mihi quidem res admodum dubia videtur; nam, cum interpretamenta non tanta similitudine coniuncta sint, ut duas illas glossas ex uno eodemque fonte petitas esse putari liceat, mendum utrique commune unde in eas irrepere potuerit, omnino non scio, nisi forte glossas a diversis auctoribus compositas ad unum eundemque locum corruptum spectare putas, quae sententia non ita probabilis videtur. Quod autem ad alteram Placidi glossam attinet, sane *fracibus* unice verum videtur, quod habet b². 38) Plac. *bubinare: sanguine inquinare.*[2]) *bubinarium autem est sanguis qui mulieribus menstruus venit* et *bubino: menstruo, id est fluore sanguinis* ⟨*inquino*⟩[3]). Fest. Pauli 32, 1 *bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinari.*[4]) *Lucilius* (v. 1186 ed. Marx.): *„Haec", inquit, „te imbubinat, at contra te imbulbitat". Imbulbitare est puerili stercore inquinare, dictum ex fimo, quod Graeci appellant βόλβιτον.* Quibus in glossis aut *inquinari,* quod traditum est, aut *bubinare* corruptum esse ipse Lucilii versus docet, ac mirum est Placidum et Festum in eadem re peccasse. O. Muellerus igitur Placidum sua ex Festo hausisse statuit. Neque vero apud Festum quidem Pauli *bubinarium* explicatur et accedit alia res, quae Muelleri sententiae repugnare videtur: et hanc Placidi glossam ad Lucilium spectare et quae

1) *fracibus* b².
2) ita Deuerling ex aliquot exemplaribus libri gloss. pro *inquinari.*
3) suppl. Goetz.
4) *inquinare* aut *bubinari* scribendum esse exponit O. Mueller.

sequuntur, *bova* et *bovinator*, eodem referendas esse demonstravit Loewius Prodr. p. 312 sq. 317, quas glossas omnes ex eodem fonte haustas esse verisimillimum est; neque vero *bovinator* apud Festum quidem Pauli explicatur neque glossam *bova* ex Festo aut Verrio sumptam esse posse p. 112 sq. demonstravisse mihi videor. Vel inde apparere videtur ne glossam quidem *bubinare* ex Festo aut Verrio repetendam esse. — Denique unam glossam tractemus, quam, etsi in earum numero est, quarum non parvam partem a Placido abiudicandam esse p. 88 sq. exposui, genuinam tamen esse, propterea verisimile mihi videtur, quod ad Lucilium v. 1222 ed. Marx. sine dubio spectat: 39) C. G. L. V 87, 5 *noctipugam: obscenum, quod quasi noctibus compungatur.* Fest. 174, 8 ⟨*noctipugam*[1]) *cum dixit Lucilius*⟩ *L. II. obscae*⟨*num significat* . . .⟩ Quibus de glossis fusius egerunt Loewius (Prodr. p. 309 sq.), qui Salmasium secutus *noctipugam* de virili fascino dictum esse putat ac cum eodem apud Placidum *compungatur* in *compungat* correxit, et Marxius ad v. 1222, qui hanc vocem mulieris pudenda intellegit, recte, ut mihi videtur. At I. N. Ott. (Fleckeis. annal. vol. 117 p. 424) proposuit *natipugam*, cui voci graecarum vocum *κατάπρωκτος* vel *καταπύγων* vim tribuit; quem si sequeris, etiam in interpretamento pro *noctibus natibus* scribes. Cui coniecturae haud scio an ipsum interpretamentum obstet, quod non genuinum et ad posteriorem aetatem referendum esse non utique viro illi docto crediderim.

IV.

De amplioribus Placidi glossis cum Festi reliquiis comparatis.

Inter ampliores Placidi glossas paucas esse, quibus similitudo quaedam cum Festinis intercedat, supra iam exposui; quas glossas nunc cum Festo comparo non tam ideo ut demonstrem eas non artiore vinculo cum Festo cohaerere — id quod luce clarius est — quam ut appareat longe aliam rationem iis cum Festinis intercedere ac brevioribus. — Ac primum quidem quattuor Placidi glossas affero, quae ad posteriora tempora spectant: 1) Plac. *aedituus qui aedis est custos et scribimus cum diptongo, editissima vero loca monoptonga.* Certe quae de orthographia exponit glossographus ad posteriorem aetatem spectant; cf. Fest. Pauli 13, 6 *aedituus: aedis*

1) sic Muellerus cum Salmasio, *noctilugam* Paulus teste Muellero, *noctiiugam* teste Thewrewkio.

sacrae tuitor, id est curam agens. 2) Plac. *comesationes: convivia et scribimus uno m et uno s.* Fest. Pauli 41, 3 *commissatio a vicis, quos Graeci κώμας dicunt, appellatur. In his enim habitabant, priusquam oppida conderentur, quibus in locis alii alios convictus causa invitabant.* — *Comesatio*, quam formam Placidus et alii posterioris aetatis scriptores usurpant, inde orta est, quod vox falso a verbo *comedo* ducebatur (cf. Brambach, Lat. Orthogr. p. 275, Hilfsb. p. 31). 3) Plac. *auctrix ab augendo dicta est. auctor ab auctoritate, generis est communis, ut hic et haec auctor.* Fest. Pauli 29, 1 *auctor communis erat generis apud antiquos.* — *Auctrix*, quippe quae vox sit posterioris aetatis, vix Festo, nedum Verrio notum fuisse posse adnotat O. Muellerus; quare verba *erat apud antiquos* soli Paulo deberi existimat. 4) Plac. *procos id est pronubos.* Fest. 249, 1 s. v. *procum: nam proci dicuntur, qui poscunt aliquam in matrimonium, Graece μνηστῆρες* e. q. s. *Pronubus*, quod apud Placidum exstat, est vox posterioris aetatis (cf. Deuerlingius praef. Plac. p. VIII).

Pergo ad eas Placidi glossas, quae cum aliis auctoribus accuratius quam cum Festo congruunt: 1) Plac. *spiris: nodis* = Serv. in Aen. II 217 *spiris: nodis. unde et bases columnarum spirulas dicunt* e. q. s. Fest. 330, 15 *spira dicitur, et basis columnae unius tori, aut duorum, et genus operis pistori et funis nauticus in orbem convolutus, ab eadem omnes similitudine* e. q. s.: *Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat* e. q. s. 2) Plac. *tonsae: remi* = Serv. in Aen. VII 28 *tonsae remi dicti a decutiendis fluctibus, sicut tonsores a tondendis et decutiendis capillis.* Fest. 356, 34 *tonsam Ennius significat remum, quod quasi tondeatur ferro* e. q. s. Quas Placidi glossas ad eundem cum Servianis fontem referendas esse exposuit Deuerlingius 'Bl. f. d. b. Gymn.' tom. XIV p. 304. Cum Servio accuratius quam cum Festo etiam haec glossa consentit: 3) Plac. *pronuba est quae nuptis praeest quaeque nubentem viro coniungit, quod officium ad Iunonem pertinet, deam coniunctionis* = Serv. in Aen. IV 166 *et Pronuba Iuno quae nubentibus praeest.* Fest. 242, 29 *pronubae adhibentur nuptis, quae semel nupserunt, ut matrimonii perpetuitatem auspicantes.* Cum Festo conferendus est Serv. pl. in Aen. IV 166 *Varro pronubam dicit, quae ante nupsit et quae uni tantum nupta est: ideoque auspices deliguntur ad nuptias.* Neque Festus ac Varro de Iunone pronuba neque Placidus, quid portendant pronubae, dicit. Addo unam glossam solo libro gl. traditam: 4) Plac. *bucina erit tuba qua signum dat bucinator, bucinus ipse canor* = Velius Longus de orthogr. G R. L. VII 99, 16.

Quae uterque habet, ad eundem fontem referenda sunt. Cf. Fest. Pauli 32, 9 *bucina quam nos appellamus, Graeci βυκάνην a similitudine soni dicunt.*

Diverso modo apud Placidum et Festum explicantur hae glossae: 1) Plac. *hirpices: tribula.* Aliam lemmatis formam aliamque explicationem proferunt Fest. Pauli 105, 16 *irpices: genus rastrorum ferreorum, quod plures habet dentes ad exstirpandas herbas in agris* ac Varro de l. l. V 136 *irpices regula compluribus dentibus, quam item ut plaustrum boves trahunt, ut eruant, quae in terra serpunt.* 2) Plac. *iubar: splendor solis vel lunae vel stellarum, quod in modum iubarum radii ipsorum extenduntur,* quacum glossa conferendus est Serv. plen. in Aen. IV 130 *alii iubar solem; alii splendorem siderum dicunt.* Quibus ab explicationibus abhorrent quae habent Fest. Pauli 104, 2 *iubar stella, quam Graeci appellant φωσφόρον vel ἕσπερον, hoc est lucifer, quod splendor eius diffunditur in modum iubae leonis* ac Varro de l. l. VII 76 *iubar dicitur stella lucifer, quae in summo quod habet lumen diffusum, ut leo in capite iubam* e. q. s. 3) Plac. *secus et aliter et aequaliter ponitur.* Fest. 297, 1 s. v. *secus: significat enim aperte aliter, exemplis omnium fere, qui eam vocem usurpant* et 334, 19 *secus aliter significat.* 4) Plac. *nothus dicitur qui de patre nobili et matre ignobili gignitur, cui contrarius est spurius qui de matre nobili et patre ignobili generatur.* At apud Festum haec duo vocabula confunduntur p. 174, 14 *nothum Graeci natum ex uxore non legitima vocant, qui apud nos spurio patre natus dicitur* e. q. s. Veriloquiis hae glossae inter se discrepant: 1) Plac. *incaestum puto a litteram debere retinere, ab eo quod est incastum venit* e. q. s. Fest. Pauli 107, 13 *incestus a Graeco trahitur. Nam illi facinus dicunt ἀνήκεστον.* 2) Plac. *perduelliones: rebelliones per quos bella oriuntur. duellum enim dicitur quasi duorum bellum.* Fest. Pauli 66, 17 *duellum: bellum, videlicet quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur. Inde et perduellio, qui pertinaciter retinet bellum.* Uterque igitur aliam praepositioni *per* vim subicit. Huc refero etiam has glossas: 3) Plac. *postumus dicitur puer qui mortuo patre nascitur quasi post humum patris, id est post sepulturam. postuma puella similiter dicta,* qua cum glossa conferendus est Serv. in Aen. VI 763 *postumus est post humationem parentis creatus.* Quod Placidi et Servii veriloquium neque apud Festum neque apud Varronem, qui cum illo accurate congruit, exstat: Fest. 238, 2 *postumus cognominatur post patris mortem natus* e. q. s. Varro de l. l. IX 60 *qui post patris mortem (*sc. *natus diceretur) postumus.*

Transeo ad eas glossas, quibus vox inusitata pluribus vocibus magis usitatis quaeque similem vim habent, explicatur, quarum tamen nulla Placido et Festo communis est: 1) Plac. *alliciendos: inliciendos vel persuadendos.* Fest. Pauli 27, 16 *allicit est perducit aliquem in rem, dictum a verbo lacit, id est decipit* e. q. s. 2) Plac. *abrogant: detrahunt vel deducunt.* Fest. Pauli 12, 14 *abrogare: infirmare.* 3) Plac. *blatterare: corrupte et perperam [rem] loqui, ut non magis fari siccus quam ebrius delirare credatur.* Fest. Pauli 34, 2 *blaterare est stulte et praecupide loqui* e. q. s. 4) Plac. *cieretur: vocaretur vel evocaretur.* Fest. Pauli 66, 10 *ciere: nominare.* 5) Plac. *concinunt: consonant, consentiunt* et *concinis: consentis.* Fest. Pauli 38, 1 s. v. *concinnare: concinere enim convenire est.* 6) Plac. *examussim: integre, sine fraude, ⟨a⟩mussis enim dicitur regula vel mensura fabrilis.* Fest. Pauli 80, 19 *examussim: regulariter: amussis enim regula fabrorum est: vel, ut alii volunt, ferramentum, quo in poliendo utuntur.* 7) Plac. *incessunt: accusant.* Fest. Pauli 107, 22 *incessere: immittere ac iactu vel verbis petere.* 8) Plac. *indoles: nobilitas generis.* Fest. Pauli 106, 9 *indoles: incrementum, industria.* 9) Plac. *indepisci*[1]) *est aliquid incipere et perficere ac potiri.* Fest. Pauli 106, 14 *indepisci: assequi, adipisci.* 10) Plac. *in propatulo est in aperto. patula enim et propatula dicuntur loca diffusa et dilatata.* Fest. 229, 4 *propatulum: late patens atque apertum* e. q. s. 11) Plac. *obstinatus est qui aliquid praecipitanter et sine revocatione facere festinat.* Fest. 193, 7 *obstinato: obfirmato, perseveranti, ut tenere possit.* — 12) Plac. *anquirens pro adquirens vel inquirens magis.* Fest. Pauli 22, 7 *anquirere est circumquaerere.* 13) Plac. *dispescite: separate vel seiungite.* Fest. Pauli 72, 11 *dispescere est proprie pecus a pastione deducere, ut compescere una pascere et in uno loco continere.* His duabus glossis, *anquirere* et *dispexere*, Verrii interfuisse videmus demonstrare, unde voces ductae essent, cui rei glossographus non studet. Idem valet de his glossis: 14) Plac. *cumba: locus navis.* Fest. Pauli 51, 6 *cumbam Graeci κύμβην appellant.* 15) Plac. *censores sunt patrimoniorum et morum iudices.* Fest. Pauli 58, 8 *censores dicti, quod rem suam quisque tanti aestimare solitus sit, quantum illi censuerint.* 16) Plac. *ingluvies: gula vel voracitas.* Fest. Pauli 112, 2 *ingluvies a gula dicta* e. q. s. 17) Plac. *protelata: dilatata* et *protelata: in longum missa.* Fest. 234, 24

1) *indepiscere* R *indepiscis* G *indepiscere* Loewe Gl. N. p. 93.

prote⟩lare dr̃ longe pro⟨pellere ex Graeco videlicet, quod est⟩ τῆλε et signi⟨ficat longe⟩. Etiam hac glossa Festus id unum demonstrari vult, unde vox ducta sit, cum glossographi magis intersit vocem accuratius interpretari: 18) Plac. *tabe: morbo, macie, aegritudine: tabescunt enim qui nimio languore ad maciem veniunt.* Fest. 359, 2 *tabem eam, quae faceret tabescere, apud antiquos usurpatum* e. q. s. — Diverso consilio etiam hae glossae compositae sunt: 1) Plac. *pueras pro puellis et item puellos pro pueris legimus. Nam sexum pro sexu non ponimus* e. q. s. Fest. 249, 15 *puelli per diminutionem a pueris dicti sunt* e. q. s. Festus igitur demonstrare studet, unde *puelli* sint dicti, Placidus praeter *puerum*. masculini generis etiam *pueram* feminini generis et praeter *puellam* etiam *puellum* inveuiri exponit. 2) Plac. *promulgatum est foras prolatum vel constitutum, ut lex dicitur promulgata. promulgatum*[1]) *autem in omnium notitiam et totius vulgi intimatum.* Fest. Pauli 224, 11 *promulgari leges dicuntur, cum primum in vulgus eduntur, quasi provulgari.* Apud Placidum alterum *promulgatum* corruptum videtur. Deuerlingius igitur *provulgatum* coniecit, quod per se bene quadrat. Sed accedit alia glossa ex hac repetita, ut videtur: *permulgatum: in omnium notitiam et totius vulgi intimatum,* ubi Goetzius proposuit *pervulgatum. Provulgatum* igitur aut *pervulgatum* in utraque glossa scribendum erit; atque illud quidem in priore glossa voci, quae est *promulgatum* melius opponitur, ex *pervulgatum* autem *permulgatum* facilius derivari potest. Sed utut res se habet, certe Placidus differentiam inter duo verba intercedentem tractat; aliter se habet Festi glossa. — Cum Festo hae quoque Placidi glossae comparari possunt: 3) Plac. *condictum absolute dicendum, condictus vero aut dies aut locus.* Fest. Pauli 39, 1 *condictum est, quod in commune est dictum.* 4) Plac. *crepido: saxi extremitas rimata*[2]) *et cuiuslibet rei alterius.* Fest. Pauli 55, 7 *crepidines: saxa prominentia.* 5) Plac. *osor dicitur qui alium odio habet et est nomen generis communis hic et haec osor. osrix enim dici non potest nisi a stultis.* 6) Plac. *pellexeris: persuaseris, pelliciens persuadens dicitur.* Fest. Pauli 207, 1 *pellexit: in fraudem induxit.* 7) Plac. *residuus: quasi tardus.* Fest. 281, 18 *⟨reses et residuus dicitur ignavus quia⟩ residet* e. q. s.

Similitudo quaedam cum Festinis intercedit his solis Placidi

1) *permulgatum* P.

2) *riparum summitas* coni. Goetzius aliis glossis collatis; *rimata* idem valere atque *abrupta* censet Deuerlingius.

glossis: 1) Plac. *acipenser: genus piscis est raro inventum, id est nobile.* Fest. Pauli 22, 13 *aquipenser: genus piscis,* quam lemmatis formam apud ipsum Festum exstitisse apparet ex hac simili glossa Pseudo-Philoxeni C. G. L. II 18, 44 *aquipenser: εἶδος ἰχθύος* (cf. Dammann p. 35). 2) Plac. *age adverbium hortantis est, accipit autem 'dum' et fit una pars 'agedum'. est ergo 'dum' hortativa particula. vel pro 'cito' aut 'modo'.* Fest. Pauli 23, 12 *agedum significat age modo. Est enim adhortantis sermo.* 3) Plac. *barrire elephantorum est.* Fest. Pauli 30, 7 *barrire elephanti dicuntur,* e. q. s. 4) Plac. *camuram: curvam.* Fest. Pauli 43, 17 *camara et camuri boves a curvatione ex Graeco κάμπη dicuntur.* 5) Plac. *comptissimus: ornatissimus.* Fest. Pauli 63, 13 *comptus, id est ornatus, a Graeco descendit.* 6) Plac. *caespites: frutices et scribimus diptongum.* Fest. Pauli 45, 2 *caespes est terra in modum lateris caesa cum herba, sive frutex recisus et truncus.* 7) Plac. *decrepiti: non qui a senectute avulsi sunt, sed iam qui crepare desierint, id est loqui cessaverint.* Fest. Pauli 71, 12 *decrepitus est desperatus crepera iam vita, ut crepusculum extremum diei tempus. Sive decrepitus dictus, quia propter senectutem nec movere se nec ullum facere potest crepitum.* 8) Plac. *exanclare: exhaurire ex graeco veniens, quod quidem verbum Plautus, saecularis poeta comicus, posuit ita in Sticho: ne iste edepol vini poculo pauxillulo saepe exanclavi⟨t⟩.* Fest. Pauli 80, 13 *exanclare: exhaurire;* cf. 11, 10 *anclare: haurire a Graeco descendit* e. q. s. 9) Plac. *facessite est frequentativum facite: dicimus et facessite recedite.* Fest. Pauli 86, 18 *facessere significat interdum facere, ut est: "Iussa facessunt". Interdum vero pro abeat ponitur. Pacuvius: "Facessite omnes hinc", id est abite.* 10) Plac. *faenero et faeneror dicimus habetque quatuor participia* e. q. s. Fest. Pauli 92, 4 *fenero et feneror dici potest.* 11) Plac. *infit: incipit fari.* Fest. Pauli 112, 9 *infit: incipit* e. q. s. Quam ad Festi glossam refert Dammann l. c. p. 43 hanc Pseudo-Philoxeni C. G. L. II 90, 49 *infit: incipit: ἄρχεται;* sed etiam alia glossa Placideae similior apud hunc exstat: C. G. L. II 82, 45 *infit: ἄρχει λέγειν.* 12) Plac. *insignit: insigne facit vel signum imponit, translatum ab animalibus quae nota signantur.* Fest. Pauli 114, 7 *insignes appellantur boves, qui in femine et in pede album habent, quasi insigniti.* 13) Plac. *resultant: resiliunt.* Fest. 281, 14 *⟨re⟩sulta⟨re: saepe resilire⟩.* 14) Plac. *temetum: vinum quod temptet mentes et faciat titubare.* Fest. 364, 30 *temetum vinum;* e. q. s. Apud Festum veriloquium deest.

DE BELLO PERSICO AB ANASTASIO GESTO

SCRIPSIT

E. MERTEN
SONDERSHVSANVS

Anastasius, imperator Romanorum, inde ab anno duodecimo imperii sui per quattuor annos cum Cavade, rege Persarum, in Armenia Maiore atque in Mesopotamia atrociter ac strenue conflixit.

Scriptis quae ab aequalibus de hoc bello Persico relicta aetatem tulerunt eo plus tribuendum esse in universum monuerim, quod alius aequalium alium non modo non collaudat, sed ne spectat quidem ad alium; quamquam concedendum est omnes et aequalium et posteriorum narrationes a Romanis conscriptas esse praeter illa perpauca verba, quae chronico Tabari[1]) traduntur.

Inter aequales, qui de bello Persico ab Anastasio gesto scripserunt, primum locum et ubertatis et fidei obtinet Iosua Stylites qui dicitur, gente Syrus, patria Edessenus, monachus monasterii illius prope ab Amida, urbe Mesopotamiae, siti, cui nomen est Zuqnin. Iosuae nomen per totam hanc dissertatiunculam brevitatis causa retinebitur, quamquam fictum esse a viris doctis comprobatum est: videlicet chronicon Iosuae plane transcriptum extat in tertia parte chronici illius, quod perperam Dionysio Telmaharensi tributum erat.[2]) Chronicon Iosuae inscriptum est: 'narratio aerumnarum in Edessenos Amidenosque et omnes Mesopotamitas divinitus missarum'. Quemadmodum ad nostram pervenerit aetatem illud chronicon, exposuit W. Wright in praefatione (p. VIII) editionis, quam in universum sequimur. Medio aevo notum illud chronicon non erat nisi Barhebraeo. Recentiore aetate Assemanus in bibliothecae orientalis tomo primo (p. 260—283) ex illo uno libro manu scripto noni vel decimi saeculi, qui nunc in bibliotheca Vaticana asservatur, quae ei graviora esse videbantur, latine vertit atque commentario sagaci instruxit. Totius vero chronici contextum syriacum edidit vertitque primus adnotationibus additis P. Martin.[3]) Deinde in enucleandas elocutionem, fidem, auctoritatem

1) ed. Th. Nöldeke p. 146.

2) Th. Nöldeke, Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes X, 1896, p. 160—170. F. Nau, Journal asiatique VIII, 1896, p. 346—358.

3) Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes VI, No. 1.

illius chronici studia converterunt viri doctissimi A. de Gutschmid[1]), Th. Nöldeke[2]), H. Gelzer[3]), idem Th. Nöldeke iterum[4]).

Sed iam est in eo, ut de fide atque auctoritate Iosuae disseratur (cuius nomen per totum chronicon nusquam commemoratur, sed ex praefationis <cap. 7. ed. Martin> parte a librario quodam adiecta sumitur). Atque ita quidem instituemus quaestionem, ut primum de auctoritate Iosuae eiusque fontibus agamus, deinde, quanti chronicon in ceteris fontibus recensendis aestimandum sit, complura argumenta comparando inquiramus, tum, quid de verbis fini chronici subnexis iudicandum sit, denique, quinam quanamque ratione postera aetate ex Iosuae chronico hauserint. Ac primum quidem nullum aliud Iosuae vitae argumentum indagari potest, quantum video, nisi quod Perozem, regem Persarum, propter bella Hunnorum pecunias, sicut antiquitus convenerat, a Zenone, imperatore Romanorum, — nimirum quindecim vel viginti annis ante bellum Persicum ab Anastasio gestum — saepe sua aetate accepisse Iosua (9) expressis verbis testatur; itaque, cum ad maturitatis saltem pervenisset aetatem, illud chronicon conscripsisse Iosua putandus est. — Iosua igitur, cuius de persona nemo tradidit nisi ipse, a Sergio[5]), presbytero et abbate, per litteras (1) se admonitum esse affirmat, ut enarret, quae facta sint ea aetate, qua locustae irruperint, sol defecerit, terrae motus fuerint, fames ac pestis acciderint, bellum gestum sit inter Romanos et Persas. Ideo se scripturum esse veritati, quantum possit, addictum pollicetur (nimirum eo consilio, ut quiqui legerint peccata meminerint digna, quae illo bello acerrimo solvenda fuerint); nam (3) ipse suis oculis conspexerat, suis auribus acceperat aerumnas illas, miserabiles voces, terrae motus, eversiones urbium, famem ac diram luem, bellum et perturbationes, captivitatem ac deportationem pagorum, destructionem et incendium ecclesiarum. Testes insuper nihil se traditurum esse nisi verum invocat Iosua, quicunque ea aetate in illis regionibus fuerunt (4); quin etiam affirmat prae multitudine ingentium miseriarum non omnia, quae digna essent memoratu, tradere se potuisse (86).

1) Literarisches Zentralblatt 1876, coll. 1417—1422 = Kleine Schriften II, p. 559—567. 2) ZDMG 1876, p. 351—358.

3) Byzantinische Zeitschrift 1892, p. 37—49.

4) Literarisches Zentralblatt 1898, col. 190.

5) Qui monasterio Resaïnensi praefuisse sane potuisse, non debuisse putandus est, ut Antonius Baumstark in primo capite commentationis coniecit, quae lucubrationes Syro-Graecae (annal. Fleckeisen. suppl. XXI) inscribitur.

Ac fontium quidem, quibus usus est in enarranda historia, tria genera ipse nominat (25): primo antiquos collaudat libros, ex quibus quae exponantur de intestina Persarum et Romanorum antiqua historia hausisse sane putandus est. Sed libris Romanorum sermone conscriptis Iosuam non usum esse vel inde cognosci potest, quod nomen imperatoris Ioviani (7), ut est mos scriptorum Syrorum, perperam affert Iovinianum; accedit, quod Agathias in historia Persarum regum intestinorumque bellorum breviter enarranda (lib. IV 24—29) de gravioribus quidem rebus cum Iosua consentit (Zamasphes: Iosua 24 = Agathias p. 268, 8). Agathias vero, Procopii narrationem falsam esse docens, testimonio antiquos quosdam Persarum libros affert, quibus ipse per Sergium interpretem (p. 274) utebatur. Deinde, quod quidem summi momenti aestimandum est, nonnulla sese comperisse ex ore eorum, qui amborum regnorum mutuo commercio ut legati aliquamdiu interfuissent, Iosua ipse aliqua vi affert. Huc referenda esse coniecerim, quae de Constantini, qui Theodosiopolim Cavadi prodidit, variis casibus accurate (74) narrat. Denique vero illo loco (25) laudantur auctores historiae, qui forte rebus quibusdam adfuerant. Illuc in primis spectant, quae de Amida bis oppugnata diligentissime exponuntur.

Summa vero auctoritate ipse est Iosua, patria Edessenus, qui, quid Edessae, quod caput regionis Osroënes Romanis bellantibus summi momenti erat, evenerit, spectator ac testis refert (27, 30, 46, 47, 52, 58—63, 87, 95, 96, 100). Quid? totius chronici fides nonne vel ideo fulcitur, quod scriptum est ad Sergium illum abbatem, qui illas res per Mesopotamiam gestas vidit ac pernovit, ut excogitari non possit, quonam tandem consilio Iosua res ipsas corruperit ac depravaverit? Quamquam ad Romanorum sententiam Iosuam conscribere consentaneum est: verecunda facit verba de Anastasio pacis amantissimo, detestabilia de Cavade caedis avidissimo. Neque tamen ullus inveniri potest locus, quo Cavadem consilio vel invidia a Iosua detrectari vel calumniis cumulari appareat.

Iosua priusquam res sua aetate gestas refert, belli, quod est descripturus, causas repetit ab aetate Diocletianea; ad suam aetatem cum in exponendis belli Persici causis pervenerit, inter quas quae res Armeniae paulo ante bellum ipsum fuerint, accuratissime tractatur, uberius reliquis fontibus de Illo et Leontio sub finem imperii Zenonis in Syria rebellantibus narrat. Inde ab anno 494/95 per tredecim annos historiam persequitur ea ratione, ut quae quoque anno facta sint, ordini annorum inserat. Quodsi quis

vere aestimaverit Iosuam accuratissime adnotare, velut quanti quoque anno inopiae, famis, pestis frumenta et vinum (26, 41, 43, 45, 46) constiterint, coniciet commentariis, ut ita dicam, quos vel ipse vel alius quis per illa tempora habuerat, in his describendis usum esse. Sed Iosuam minime angustis cancellis chronici oppidani, ut ita dicam, Edessae circumscripsisse historiam testimonio est, quod peregre nuntios per litteras certos affert de terrae motibus[1]) Arsamosatae (35) et Nicopoleos (34)[2]), de pestilentia, quae ab Antiochia ad Nisibin incessit (44), de Nicomedia, urbe Bithyniae, Beryto, Tyro, Sidone, Ptolemaïde, Hierosolymis vexatis (47). Atque extat locus, quo fidem suam Iosua litteris ipsis transcriptis fulcit (67, 68); quam quidem rem commemoro nimirum non propter illud miraculum, sed potius propterea, quod Iosua per litteras commercio usus est eorum, quibuscum vel amicitia vel eadem monasterii (34) regula coniunctus fuisse putandus est. Sed iam restat in hac parte, ut de erroribus, qui quidem sane minimi sunt momenti, repetantur verba, quae A. de Gutschmid in recensione editionis Martineae (opp. II p. 560, 564) fecit. — Hoc loco id potissimum, quod iam supra (p. 142) attigimus, affirmatum volumus Iosuam (86) monere ea, quae omiserit, plura esse quam quae attulerit; huc refero quod nomina complurium virorum (velut Cyri, Romanorum, Glonis, Persarum Amidae praefecti, quos Zacharias nominat) vel res gestae non afferuntur, ut ex eo sane, quod factum quoddam a Iosua non narratur, minime concludi possit factum illud ipsum addubitandum esse. Velut quae de Arabibus Scenitis qui dicuntur, praecipitibus incursionibus Syriam, Phoenicen, Palaestinam invadentibus Euagrius (III 36) narrat, minime digna sunt, quae in dubium vocentur. — Eodem referes quod defectio ex parte perfecta quae dicitur solis diei vicesimi tertii mensis Octobris anni 499, quae accuratissime (37) describitur, quamquam tabulis astronomorum optimo iure non comprobatur, tamen etiam propter singula, quae de pulvere minutissimo per aëra et aethera solem obscurante explicantur, nequaquam reicienda est; difficultas aliqua

1) Testimonia sunt illorum terrae motuum verba quae Victoris Tonnennensis episcopi chronicis adnotata extant ad annum 502 (chron. min. ed. Th. Mommsen II p. 193): „ingens terrae motus cum coruscationibus et tonitruis magnis atque grandine et totius caeli ac terrae commotione factus est.“ Addas quae verba Marcellinus Comes anno 499 subnexuit: „hoc anno ingens terrae motus Ponticam concussit provinciam.“ De Neocaesarea vexata cf. Theodori Lectoris II 54 = Theophanes p. 144, 6.

2) Quae urbs Armeniae Minoris aetate demum Iustinianea restituta est (Procop. de aedif. p. 253, 18).

sane remanet, sed persto in mea sententia, praesertim cum traditum sit revera diem illum Saturni fuisse.

Sed nunc videamus, quasnam partes ecclesiasticas Iosua sequatur. Ac primum quidem magnam vim habet, quod per totum chronicon nullo verbo de contentionibus illius aetatis per imperium Romanum vehementissimis agitur: Iosua, ut miti utitur iudicio, quid senserit, nonnisi in collaudando Flaviano, patriarcha Antiocheno (498—512), cognosci potest: mediam ingressus est viam et partes mitiores, ut ita dicam, monophysitarum potius secutus esse putandus est. Sanctarum litterarum peritissimum, ut monachus, se praebet exempla hominum rerumque comparando cum aerumnis suae aetatis; quamquam eo quoque hominem quodammodo doctum se praestat ac non prorsus superstitiosum, quod terrae motibus fractionibusque subicit causas in ipsa natura positas (34). — Sed quam modesto ac circumspecto Iosua usus sit iudicio, ex narratione ducum Romanorum — Areobindum potissimum dico — vel ignavia vel inertia fugatorum cognosci potest; sed satis habeo hoc unum exemplum accuratius tractare: Iosua (58) et Procopius (de bell. Pers. II 13 p. 210, 24—211, 14) narrant Cavadem Amida capta Constantinam urbem minime opulentam, sed a Romanis magnopere neglectam ne vi expugnaret a sancto Barhadade castra Persarum rite ingresso magnis precibus rogatum esse; etenim revera Cavadem oppugnatione destitisse in utroque fonte refertur. Iosua vero, quamquam illum sanctum collaudat, tamen de vera causa non tacet, nimirum Cavadem et victu commeatuque plane caruisse regione pervastata, et duces Romanorum ne cunctis viribus collectis se aggrederentur metuisse.

Nonnulli extant in Iosuae chronico loci, unde res gestas quasdam ordini annorum aliter atque ceteris fit fontibus inserendas esse intellegitur. Ac primum quidem lux affunditur intestinis regum Persarum pugnis, quanam ratione ordinandae sint; nam antequam res gestas per singulos annos exponere Iosua aggreditur, de regibus Persarum vel expulsis vel regnum recuperantibus quamquam non unicuique anno adnotationes inseruit, tamen eo, quod, quae per eandem ferme aetatem in imperio Romanorum facta sunt, comparat, ratio temporum accuratius redintegrari potest: refert Iosua (19) Cavadem paulo ante quam Anastasius purpuram induit, Blase excaecato regno potitum esse; dein Iosua teste (23) idem Cavades Isaurorum in Anastasium seditionibus usus Romanis bellum se illaturum esse ultro minitatus est. Porro: anno 497/8 illud gravissimum vectigal a Constantino Magno institutum, cui nomen

erat χρυσάργυρον, ingenti gaudio omnium Romanorum, anno 498/9 ludos venationesque Anastasium abolevisse Iosua (31, 34) narrat, cum Theophanes (p. 143, 17), qui Theodori Lectoris (II 53) verba ipsa transcribit, temere anno 500 subnectat, reliqui auctores (Euagrius III 39, Cedrenus I p. 626, Zonaras XIV, 3 p. 54 c), quo anno chrysargyrum sit abolitum, non tradant[1]. — Etiam de immunitate, quam Anastasius illis regionibus Mesopotamiae fame ac peste, terrae motibus, atrocissimo bello assidue vexatis iterum atque iterum dedit, Iosua solus accurate et diligenter refert (39, 78, 92, 99); sed quod Zacharias (p. 115, 13) et Procopius (p. 36, 10) narrant bello confecto Anastasium Amidam quippe duabus diuturnis obsidionibus pervastatam tributis ac vectigalibus in septem annos levasse, Iosua vero de hac graviore re tacet, ita explicandum esse coniecerim ut statuam illud folium, quo etiam de immunitate Amidae data narrandum fuit, amissum esse, quod in enarranda anni 505/6 historia excidisse A. de Gutschmid (opp. II p. 560) comprobavit.

Quod iam, ut tertiam partem huius capitis pertractemus, ad illa mira verba sub fine chronici addita (101) pertinet, quibus, quid de Anastasio extrema senectute ab anno 512 alteras partes ecclesiasticas secuto monophysitae senserint, elucet, illa verba post mortem Anastasii adiecta totumque chronicon publici iuris factum esse a viris doctis comprobatum est[2]; chronicon tamen ipsum perbrevi tempore post bellum confectum esse conscriptum vel inde intellegi potest, quod inter alias minoris momenti res afferuntur singula quaeque de superbia Gothorum (93—96), qui cum mercenarii Romanorum in Persas pugnaturi missi essent et compluribus mensibus per regionem Edessae in vicis atque etiam monasteriis collocarentur, sub fine belli ipsius cum in omnes tum in Romanum ducem saeviebant. Accedit ad sententiam, quam supra proposui, comprobandam aliud argumentum: Iustinus, qui post Anastasium purpuram induit, contra Persas comes missus esse commemoratur a Iosua, qui nullo usquam verbo significat certiorem se factum esse Iustinum postea adeptum esse imperium.

Sed nunc hoc unum restat, ut, qui postera aetate chronico Iosuae usi sint, breviter attingamus. Atque in universum quidem

1) Sane dolendum est, quod Timothei, qui Anastasio imperante floruit, Gazaei grammatici tragoedia vel monodia de chrysargyro composita, quam Cedrenus (p. 630) commemorat, periit (Suidas II p. 1142, 2); cf. Pauly-Wissowa s. v. chrysargyrum.

2) H. Gelzer, Byzant. Zeitschrift 1892, p. 46, 47.

delegaverim ad ea, quae Ludovicus Hallier[1]) perscrutatus est (p. 27—38) de ratione, quae intercedat inter Iosuae chronicon et qui alia alio modo in suum verterunt: auctor chronici Edesseni (LXXIV—LXXXI), Barhebraeus. Illa pauca verba a posteris transcripta, quandoquidem Iosuae chronicon incolume aetatem tulit, minime digna esse quae maioris habeantur momenti manifestum est; nimirum nonnisi ut curas Iosuae absolvamus ac perficiamus, illa verba a nobis adiecta sunt.

Ad narrationes Amidae bis oppugnatae captaeque et Darae communitae multa afferuntur in Zachariae Rhetoris, qui fere annis 470—536 vixisse putandus est, historia ecclesiastica, quae dicitur, quam quidem ipsam amissam in versione syriaca extare et in Euagrii historiam ecclesiasticam ex parte transcriptam esse a viris doctis comprobatum est. Ille vero monachus syriacus ad verbum vertisse sub fine imperii Iustiniani putandus est; historiam belli Persici, praecipue Amidae, qua in urbe vixit, traditione Amidena, quam ex antiquis libris monasteriorum hausisse se testatur, instruxit. Hoc unum adnotetur Cavadem ante Amidam metu hiemis, ne Persae obsidentes perirent, iam obsidione destiturum fuisse; tum vero, quemadmodum monachi Amidam prodidisse dicantur, explicatur (p. 107, edd. Ahrens-Krüger). Quae de fame Amidenorum iterum obsessorum narrantur (p. 114), auctoritate Iosuae (77) stabiliuntur. Sed ad rumores volgares redire videntur, quae de componenda pace (p. 115, 5—11) proferuntur. De Dara urbe post bellum confectum aedificata atque communita Zacharias longe accuratissime refert. Sed chronicon ab Amideno quodam conscriptum Zachariam uno tenore transcripsisse vel inde consequitur, quod illa ipsa verba istius Amideni „quem se ipsum novissè“ (p. 113, 10) profitetur, accurate transcribuntur. Accedit quod nonnulli incolae Amidae nominantur vel honoribus designantur vel describuntur: Leontius, Cyrus, Paulus: p. 107, 1, 2; Petrus p. 109, 7; Isaac p. 110, 11; Ioannes, Sergius p. 111, 26; Zeora p. 112, 3; Cyrus, Addo, Eutychianus, Paphnutius, Sergius, Ioannes p. 117, 19, 20; Ioannes p. 118, 33. Atque quoniam inter viros doctos constat, certas quasdam necessitudines inter Zachariae Procopiique narrationes intercedere, iam hoc loco de Procopio nobis verba sunt facienda.

Procopius[2]), priusquam bella Persica a Iustiniano gesta

1) Untersuchungen über die edessenische Chronik. Leipzig 1892 (= Texte und Untersuchungen zur Gesch. d. altchristl. Literatur IX 1).

2) Locos numeris tantum exornatos velut p. 40, 2 referas, quaeso, ad primum de bello Persico librum (ed. J. Haury).

enarrat, de rebus Romanorum ac Persarum inde ab aetate Arcadii, imperatoris Romanorum, breviter refert. In explicandis intestinis regum Persarum pugnis narrationes sane fabulosas (p. 17, 11—14) Persarum testimonii causa affert, quae quidem ab Agathia (p. 264, 18 sqq.) impugnantur; praeterea historiam Armeniae[1]) in antiquis bellis Armeniorum ac Persarum describendis usui sibi fuisse Procopius (p. 27, 3) testatur. Paulo accuratius deinde bellum Persicum ab Anastasio gestum enarrat; quo in tractando Procopium partes Persarum quam Romanorum sequi maluisse a viris doctis comprobatur: Cavades nimirum per totum fere bellum ipse victor celebrandus fuit, ut, quae Iustiniano imperante Romani perfecerunt, eo illustriora fierent. Etenim quanta virtute atque humanitate in hostes devictos fuerit Cavades, nonnullis locis[2]) laudibus nimis effertur. Quae si comprobaveris, iam assentieris coniecturae meae Cavadis celebrandi causa si non prorsus fictam attamen certe verbis nimis adauctam exornatamve esse illam copiosam narratiunculam sancti Iacobi (p. 31, 7—32, 13), cui Cavades miraculo commotus permisisse dicitur, ut, qui per totum bellum ad eum confugissent, sacrosancti essent.

Sed sane reiciendum est, quod Maximilianus Brückner[3]) cognovisse sibi visus est Procopium narrationes confinxisse, nimirum eo consilio, ut copiam verborum ex Herodoti et Thucydidis libris collectorum temere proferret.[4]) Iacobus Haury[5]) recte monuit cum Procopii narrationibus conferenda esse, quae quaque de re tradiderunt aequales Syri, qui profecto libris Herodoti Thucydidisve non imbuti sunt. Sed quod Iacobus Haury dixit pendere a Zacharia Procopium, hoc quamquam in universum probare non dubito, tamen aliqua ex parte impugno, cum singulae res ad amussim examinentur. Atque grave quidem exemplum proferre hoc mihi videor: anno

1) Cf. Proc. I. ed. Haury, prolegomena p. XX.

2) Perpendas, quaeso, ut exemplum afferam, quam copiose ornateque narret Procopius de Cavade Martyropolitanos in gratiam recipiente vel Amidam captam rite ingrediente; praeterea id moneo ea, quae Procopius ex illo fonte ad sententiam Persarum redacto integra recepit, nescio quo pacto redire ad magos, quorum facta vix memoratu digna admodum copiose et explicantur et efferuntur.

3) Zur Beurteilung des Geschichtschreibers Prokopius von Caesarea. Programm d. k. humanist. Gymnasiums in Ansbach 1896, p. 11.

4) Ab hac quaestione videlicet alienum est, quod Procopius et verba et compositionem elocutioni Herodoti et Thucydidis accommodavit, qua de re viri docti iam pridem inter se consentiunt.

5) Zur Beurteilung des Geschichtschreibers Prokopius von Caesarea. Programm d. k. Wilhelms-Gymnasiums in München 1896, p. 5.

belli Persici altero, cum Romani non procul ab Amida castra posuissent, ut Persas commeatu reque frumentaria intercluderent, Persis, qui Amidae praesidio erant, callidissima fraude insidiae paratae sunt. Sed utrum Iosuae an Zachariae Procopioque plus tribuendum sit, alia quaestio est, quae, quantum video, diiudicari non prorsus potest: talis enim est illa narratio Iosuae (56), quam ad alias quasvis insidias illic paratas referre possis, ut sententia mea et comprobari et improbari posse videatur. — Atque totam Procopii Zachariae Iosuae narrationem proferimus, ut singula quaeque rerum et rationis scribendi Procopii persequamur et id potissimum enucleemus, quomodo illae narrationes inter se cohaereant.

Procopius p. 41, 15 sqq.

Οὔπω μὲν στρατοπεδευσαμένων ἐνταῦθα Ῥωμαίων, Ἀμίδης δὲ πόλεως ὄντων οὐ μακρὰν ἄποθεν,

τῶν τις ἀγροίκων, ὥσπερ εἰώθει ἐς τὴν πόλιν ἐσιὼν λάθρα ὄρνις τε καὶ ἄρτους καὶ τῶν ὡραίων πολλὰ τῶι Γλώνηι τούτωι ἀποδίδοσθαι χρημάτων μεγάλων, Πατρικίωι τῶι στρατηγῶι ἐς ὄψιν ἐλθὼν Γλώνην οἱ ἐς χεῖρας παραδώσειν ξὺν Πέρσαις διακοσίοις ὑπέσχετο, ἤν τινος ἀμοιβῆς ἐλπίδα λαβὼν παρ' αὐτοῦ εἴη. ὁ δὲ αὐτῶι ἅπαντα ὅσα ἦν βουλομένωι ὑποσχόμενος ἔσε-

Zacharias p. 113, 1 sqq.

Pharesmanes solus nonnumquam prospere bellans gloriam peperit Persarumque in metu fuit: nomine ipso terrebantur ita, ut ignavi fugerent. Ille cum quingentis equitibus ante Amidam pervenit, Persas, qui per vicos pabulabantur, speculatus partim occidit partim gregibus equisque privavit. Pharesmanem igitur agricola quidam, nomine Gaddana, homo callidus quem ipse novi adiit et cum eo pactionem fecit, ut dolo per simulationem cuiusvis rei Glonem, ducem Persarum, cum trecentis vel quadringentis equitibus ex urbe eliceret. Illi Gaddanae, ut erat clarus venator ferarum, perdicum, piscium aditus Glonis patebat, quem munere venationis donabat. Tum

Iosua 56.

(Patricius et Hypatius, cum Persas ab Areobindo fugatos esse audivissent, subsequebantur:)

Procopius	Zacharias	Iosua
σθαι τὸν ἄνθρωπον ἀπεπέμψατο. ⟨*καὶ ὃς τά τε ἱμάτια δεινῶς διαρρήξας καὶ δεδακρυμένωι ἐοικὼς ἐς τὴν πόλιν εἰσῆλθε. παρά τε τὸν Γλώνην ἥκων τάς τε τρίχας τίλλων, ‘ἐτυγχανον’ κτλ.* queritur agricolas a Romanis, qui dispersi omnia pervastant, vexari.⟩ p. 42, 15 *ἀναπεισθεὶς δὲ ὁ Γλώνης τοῦ ἀνθρώπου ἀνεπυνθάνετο πόσους ποτὲ Πέρσας οἴεταί οἱ ἐς τὴν πρᾶξιν ἱκανοὺς ἔσεσθαι.* ⟨agricola ille manu idonea ut erumperet suasit Gloni⟩	panem apud eum comedere et res pretio doni pares urbanas accipere. Denique Gloni narravit Romanorum pedites fere centum et iumenta quingenta septem ferme milliariis ab urbe loco quodam pasci, cui nomen est ʿEpp^{e}thâ; ideo ei ut amico suasit, ut erumperet, armenta arriperet, Romanos trucidaret, quo facto in gloriam summam veniret.	
	Ille speculatores emisit, qui cum Romanorum paucos et iumenta vidissent, reversi Glonem certiorem fecerunt.	
p. 42,24: *Γλώνης μὲν οὖν ἱππέας διακοσίους ἀπολεξάμενος τὸν ἄνθρωπον σφίσιν ἐξηγεῖσθαι ἐκέλευεν. ὁ δὲ ἄμεινον ἰσχυρίζετο εἶναι αὐτὸν ἐπὶ κατασκοπῆι στέλλεσθαι πρότερον, καὶ ἢν ἔτι ἐν χωρίοις τοῖς αὐτοῖς περιιόντας Ῥωμαίους ἰδὼν ἀπαγγείληι, οὕτω δὴ ἐν δέοντι ποιεῖσθαι τὴν ἔξοδον Πέρσας. εὖ τε οὖν*		

Procopius (p. 43, 5)

εἰπεῖν ἔδοξε τῶι Γλώνηι καὶ αὐτοῦ ἀφιέντος ἐστέλλετο. παρά τε τὸν στρατηγὸν Πατρίκιον ἥκων ἅπαντα ἔφραζε· καὶ ὃς τῶν δορυφόρων τῶν αὐτοῦ δύο καὶ στρατιώτας χιλίους ξὺν αὐτῶι ἔπεμψεν. οὓς δὴ ἀμφὶ κώμην Θιλασάμων σταδίους τεσσαράκοντα Ἀμίδης διέχουσαν ἐν νάπαις τε καὶ χωρίοις ὑλώδεσιν ἔκρυψε, καὶ αὐτοῦ μένειν ἐν ταύταις δὴ ταῖς ἐνέδραις ἐπέστελλεν, ἔς τε τὴν πόλιν δρόμωι ἐχώρει. καὶ τῶι Γλώνηι ἕτοιμον εἰπὼν τὸ θήραμα εἶναι, αὐτῶι τε καὶ τοῖς διακοσίοις ἐξηγήσατο ἐπὶ τὴν τῶν πολεμίων ἐνέδραν. ἐπειδή τε διέβησαν τὸν χῶρον, οὗ προλοχίζοντες Ῥωμαῖοι ἐκάθηντο, Γλώνην τε καὶ Πέρσας λαθὼν ἅπαντας, ἔκ τε τῆς ἐνέδρας τοὺς Ῥωμαίους ἀνέστησε καὶ αὐτοῖς τοὺς πολεμίους ἐπέδειξεν. κτλ. opprimuntur Persae p. 43, 25 . . . καὶ ξὺν τῶι Γλώνηι ἅπαντες διεφθάρησαν. ὅπερ ἐπειδὴ ὁ τοῦ Γλώνου υἱὸς ἔμαθε, περιαλγήσας τε καὶ τῶι θυμῶι ζέων, ὅτι δὴ τῶι πατρὶ ἀμύνειν οὐκ εἶχε κτλ.

Zacharias

Tum Glones armatus cum quadringentis equitibus profectus est; Gaddana in mulo equitans medias in insidias Romanorum Persas perduxit, ut illi Romani Persas interimerent; caput Glonis Constantinam asportatum est.

Tum luctu iraque filius Glonis et marchiones affecti sunt.

Iosua

. . . .

Sed unus ex ducibus nomine Pharesmanes et alius, nomine Theodorus, dum ipsi una cum copiis in insidiis sunt, gregem ovium praeteragi iusserunt; quo conspecto Persarum fere quadringenti electi eruperunt, ut oves corriperent. Sed Romani ex insidiis prorumpentes Persas trucidarunt eorumque ducem vivum ceperunt. Cum ille Amidam Romanis se proditurum esse promisisset, Patricius et Hypatius statim eo reverterunt. Sed Persarum dux, cum promissum persolvere non posset, quia, qui in urbe erant, fidem ei habere nolebant, a ducibus Romanorum inclusus est.

Zachariam igitur chronicon quoddam Amidenum ipsum in suum vertisse vel inde colligere licet, quod chronici verba „Gaddana, quem ipse novi" transcripta sunt (cf. p. 147). Procopium vero etiam ad libellum Amideni cuiusdam redire nemo est qui neget; nam locus insidiarum ab utroque auctore accurate depingitur. Sed Procopius, ut est artibus rhetoricis imbutus, illam narratiunculam longa oratione agricolae ac minime rudi exornasse putandus est. In libello illo, unde Procopius hausit, nomen ducis Romanorum (Zacharias et Iosua Pharesmanem nominant) non extitisse coniecerim: Patricii nomen ex contextu illarum rerum gestarum inseruit narrationi; ille enim, quippe qui a Cavade una cum Hypatio pulsus trans Euphratem confugisset, in illa regione Amidae plane non fuit. — Sed hoc quidem certum est agricolam quendam cum Romanis pactionem fecisse, ut Persas cum duce Glone per insidias Romanis proderet; quae si quis comprobaverit, narrationem sequetur Zachariae, quae quidem simpliciter conscripta et exposita est. Contra: quam infacete dolum institutum refert Procopius! Agricola ille quidem apud Glonem accuratissime enarrat a parva manu Romanorum per agros dispersorum agricolas misellos vapulare idque luculentissime; quamobrem necesse esse erumpat, ut Romanos Glones ulciscatur; tum agricola ipse solus Amida egreditur exploratum, etiamne tum Romani pervagentur; ad ducem Romanorum cum pervenerit, cuncta enarrat, ipse insidias parat statimque in urbem propere redit (Zacharias Glonem ipsum speculatores emisisse dicit!). Tum vero agricola ille, id quod convenerat, Persas in insidias deducit, ut cuncti cum Glone intereant. — Occisum esse Glonem in insidiis, de quo Zacharias et Procopius inter se consentiunt, gravissimum in tota hac narratiuncula est. Unde recedens Iosua narrat ducem Persarum captum esse: res memoratu est digna Iosuae nomen Glonis plane ignotum esse (cf. p. 144). In universum igitur iudicaverim Zachariam et Procopium, quamquam de iisdem referunt insidiis, tamen ad diversos fontes redire, quorum utrumque ab Amidenis aequalibus, qui loca pernoverant, conscriptum esse consentaneum est; nimirum numeris equitum Romanorum Persarumque qui proferuntur inter se nimis discrepantibus haud multum tribuendum est.

Procopium chronicis orientalibus uti potuisse minime improbabile est; etenim Belisarii cum Persis bellantis comitem et consiliarium se fuisse Procopius (p. 59, 9—11) ipse testatur. Sed in enumerandis ducibus Romanorum, quos Anastasius contra Persas misit, nuntios Romanorum publicos sane adhibuit. Quod iam ad

Areobindum pertinet, haud satis iuste de eo iudicatum esse a Procopio viri docti comprobaverunt. Procopius enim non commemorat Areobindum usque ad moenia urbis Nisibis Persas reppulisse, non commemorat Areobindum inter Daram et Ammudiam castra posuisse; nonnisi de fugatis Areobindo et Patricio verba facit. Sed Areobindum revera initio quidem belli prospere bellasse ex Iosuae narratione (55) concludi potest: Patricius et Hypatius Amidam oppugnantes, cum Persas ab Areobindo repulsos esse cognovissent, Amida oppugnanda destiterunt, ut Persas persequerentur. — Quod Areobindus eiusque facta tantopere a Procopio detrectata vel depravata sunt, fortasse hoc modo explicari potest[1]: Areobindus postea per seditionem Cpoli ortam, quamvis invitus, purpuram induit neque vero quicquam perfecit. Iustinus, imperator Romanorum, qui ipse bello Persico ab Anastasio gesto interfuerat, infenso in Areobindum animo Appionem et Vitalianum, postea Hypatium quoque in gratiam recepit et promovit. Areobindi igitur memoria, quippe quae Iustiniano quidem odiosa esset, a Procopio ita corrumpi potuit. Sed reliquum est, ut absolvamus, quae Procopius alias res exponens de bello Persico ab Anastasio gesto enarravit in libris, quos de bellis a Iustiniano gestis conscripsit, vel in libro, qui de aedificiis inscriptus est; ita tamen narrationes ad bellum Persicum ab Anastasio gestum spectantes illis libris inseruit, ut cum rebus a Chosroe, rege Persarum, gestis conferret, quae illius pater Cavades effecit. Atque singula quidem de Martyropoli (de aedif. p. 248, 23—250, 4) de Edessa (de bell. Pers. p. 210, 15—22), de Constantina (de bell. Pers. p. 210, 23—211, 14), de Dara (de aedif. p. 210, 3—211, 5 et pagg. seqq. usque ad p. 220; p. 256) per alios libros ita exposuit, ut delegaret ad ea, quae de bello Persico ab Anastasio gesto uno tenore iam antea exposuerat.

Haec quidem de Procopio; haud minus iniustum profert iudicium de Areobindo Ioannes Lydus. Ioannes Lydus qui dicitur vel potius Philadelphenus, qui unum et vicesimum annum agentem anno 511 Cpolim se pervenisse et quomodo primum philosophiae, deinde rei publicae et militari gerendae Anastasio, Iustino, Iustiniano imperantibus varie se dederit, copiose neque sine quodam studio sui et amore (de magist. ed R. Wuensch III, c. 26—30) enarravit, cum militia se abdicasset et totus incubuisset in litteras, a Iustiniano admonitus est, ut historiam belli Persici nuperrime prospere con-

1) Kirchner, Bemerkungen zu Prokops Darstellung der Perserkriege des Anastasios, Iustin und Iustinian von 502 bis 532; Beigabe zum Michaelis-Programm der Großen Stadtschule zu Wismar 1887. p. 6 adn.

fecti perscriberet. Quo in bello Persico exponendo causas accuratius repetisse ex Anastasii aetate putandus est; nam belli ab Anastasio gesti Persici eiusque causarum perbrevem narrationem (de magist. III 53) tradidit, quam ex ipsius opere illo maiore Ioannem excerpsisse veri admodum simile est. Quinam illi scriptores Romani fuerint, quibus in hoc bello enarrando se usum esse dicit, incertum est. Neque tamen dubitaverim, quin Ioannes Cavadem, quo tempore cum Anastasio decertaturus erat, senem vocaverit (p. 142, 1) ad aetatem Iustinianeam spectans; nimirum annum octogesimum alterum agens Cavades anno 531 mortuus est (Malal. p. 471, 9). Sed ad Areobindum redeamus: cuius ducis memoriam turpissime ac sordidissime detrectare et calumniis cumulare non veretur Ioannes (p. 142, 3—5); neque minus praeter Patricium Hypatio, Anastasii nepoti, maledicit, quippe qui illa seditione initio Iustiniani imperii Cpoli orta imperium perbrevi adeptus cum fratre Pompeio trucidatus est.

Multo plus quam Ioannis Lydi valent verba Marcellini Comitis, de quo cuiusque scriptis quae indagari possunt Theodorus Mommsen (chron. min. II p. 39 sqq.) exposuit. Marcellinus Comes res in Persas annis 502, 503, 504 gestas certis et astrictis verbis refert. Atque publicas quidem partes enarrando secutum esse inde intellegi potest, quod publicum volgatumque nuntium de Amida a Persis per proditionem monachorum capta affert (502), deinde Celerem usque ad pontem Ferreum progressum celebrat (504). Porro: ad aestimandam copiarum multitudinem, quas Anastasius in Persas misit, Marcellini Comitis solius verbis ansa data est. Altero belli Persici anno Patricius et Hypatius cum quadraginta milibus militum, Areobindus cum duodecim milibus profecti sunt, ut Iosua (54) refert, cum Marcellinus Comes (503) quindecim milia militum illis tribus ducibus universis tributos esse narret. Insequenti anno Celer cum exercitu, quo maior parari non potuit, in Persas missus est, ut Iosua (64) et Theophanes (p. 147, 31) iterum atque iterum affirmant: numerum parvum duorum milium militum Marcellinus Comes (503) affert. Si consideraveris Iosuam ut monachum numeros copiarum ad normam quandam redactos proferre, Anastasium vero a Bulgaris Slavisque ipsum tum paene oppressum esse, fidem habebis eis publicis nuntiis, qui apud Marcellinum Comitem tunc Cpoli versatum extant: etenim in propatulo est numeros copiarum tunc potissimum nimis augeri solere ab eis, qui ipsis rebus agendis — Iosuam dico — intersunt. Accedit quod magis fides habenda est narrationi affirmantium Persas tam facile quindecim milia militum

fudisse ac fugasse quam eis, qui quinquaginta duo volunt. — Sed Marcellinum Comitem nuntium Amidae a Romanis recuperatae anno 503 perperam inseruisse vel inde perspicitur, quod eodem tempore, quo Celer regnum Persarum invasit, Amidam a Romanis obsessam teneri constat.

Iam restat, ut de Darae amplificatione et munitione quae Marcellinus Comes exponit agamus. Uno codice Sanctomerensi tradita ac perperam quidem anno 518 subnexa extat accurata huius facti narratio, quae summi momenti habenda est. Atque necesse est illum nuntium, qui a solita Marcellini Comitis brevitate dicendi valde alienus est, ad testem quendam spectatoremque redire. Nam accuratissime de illo fluvio Cordisso partim sub terra fluente agitur, id quod fulcitur auctoritate Procopii (de bell. Goth. IV, 7). Deinde ab Herculea turri Darae urbis nuperrime munitae „in editiori loco constructa“ Nisibin conspici posse nemo nisi, qui ipse aderat, affirmare potuit, cum adiceret, quantum distaret Dara ab Amida et Nisibi. Inde, quod Dara non modo non iam novo Anastasiopoleos cognomine appellatur, quod post duos vel tres annos Darae exaedificatae inditum esse ex Zachariae narratione (p. 117, 35; 118, 24) apparet, sed quod „pristinum nomen villae“ relictum esse Marcellinus Comes refert, colligo hunc nuntium paulo post quam Dara muniri coepta est, ad Marcellinum Comitem esse perlatum. Accedit ad hanc coniecturam stabiliendam, quod ne Iosua quidem, utpote qui chronicon perpaulo post bellum confectum scripserit, quicquam de Darae nominis publica mutatione comperisse videtur.

Sed haec hactenus; iam accedamus ad Ioannem Malalam, de quo nihil constat nisi sub fine imperii Iustiniani chronicon eum conscripsisse; iam inde ab aetate Anastasii aequalium testimonia se adhibuisse significat. Illis igitur paucis verbis, quae de bello Persico ab Anastasio gesto facit, quamquam singula quaedam refutari possunt, tamen aliqua fides non haberi nequit (p. 398, 11—399, 12). Ex Eustathii Epiphaniensis historia publicam enumerationem singulorum ducum Romanorum, qui in Persas missi sunt, deprompsisse Ioannem Malalam veri admodum simile est. Ioannes Malalas iam solus refert Hypatium, Anastasii nepotem, a bello gerendo Cpolim revocatum esse, id quod ex reliquis fontibus concludi tantum poterat.

De Dara exaedificata quae Ioannis Malalae chronicon (p. 399, 13—21) exhibet, fere iisdem verbis a posteris transcripta sunt: Euagrio (III 37), auctore chronici paschalis, Theophane[1]), Cedreno.

1) Karl Hofmann, Zur Kritik der byzantinischen Quellen für die

Apud Malalam primum fabulosa illa et pervolgata narratiuncula occurrit affirmantium Dareum, regem Persarum, illic ab Alexandro Magno devictum vel captum esse: Malalam scriptores rerum posteriores admodum creduli secuti sunt.

Iam agamus de Eustathii fide, cuius historia in excerptis tantum extat apud Euagrium[1]). Euagrius, qui circa annum 536 Epiphaniae, in urbe Syriae, natus est et usque ad finem saeculi sexti vixit, historiam ecclesiasticam inde a concilio Ephesio usque ad annum 593 sex libris conscripsit. In tractandis rebus, quae ad historiam reipublicae spectant, praeter Ioannem Rhetorem [: i. e. Malalam] et Zachariam Rhetorem, quantum ad propositum pertinet, usui fuit Eustathii eadem in urbe atque Euagrius nati chronographia, quam duobus voluminibus exaravisse Euagrius narrat (V, 24), quorum secundo historia deducitur usque ad annum duodecimum imperii Anastasii. Finitum erat totum Eustathii opus, quod venuste ac sapienter conscriptum esse compluribus locis (I 19, III 26, 27, 37) Euagrius laudat, narratione captae Amidae, quam urbem a Persis captam esse imperante Anastasio initio anni 503 constat. Belli autem Persici historiam ne ad exitum perduceret, morte impeditus est, ut Ioannes Malalas (p. 399, 3—5) testatur. Quoniam Eustathius aequalis de hoc bello scripsit et Euagrius ex Eustathii opere se hausisse illo loco (III 37) testatur, fidem huic narrationi, quae quidem nisi in perpaucis verbis Euagrii non extat, tribuendam esse manifestum est. Deinde quae de Dara munita afferuntur, ex Ioannis Malalae chronico deprompta esse viri docti ostenderunt.

Iam restat, ut de Theophanis Confessoris chronographiae parte agatur illa, quae quidem ad propositum pertinet. Theophanem praecipuo fonte Theodori Lectoris qui dicitur tripartita historia vel epitoma illius operis usum esse Victor Sarrazin[2]) demonstravit. Theodori Lectoris historiae restituendae copia facta est excerptis illis Valesianis, Cramerianis, Millerianis, quae varia ratione ac via conscripta extant. Quicunque loci apud Theophanem transcripti extant, Carolus de Boor in margine editionis, quam in universum sequimur, ascripsit, sic ut singula quaeque enumerare supersedeam. De Theodoro Lectore fere nihil traditum est nisi quod comperimus aetate

Römerkriege Kobads I. Programm der k. bayr. Studienanstalt Schweinfurt 1877, p. 15, 16.

1) Cf. Ludwig Jeep: Quellenuntersuchungen zu den griechischen Kirchenhistorikern, annal. Fleckeisen. suppl. XIV, 1885, p. 159 sqq.

2) De Theodoro Lectore Theophanis fonte praecipuo in commentat. philol. Ienens. I.

Anastasii Iustini Iustiniani eum viguisse: eodem tempore Ioannes Diacrinomenus historiam conscripsit ecclesiasticam; fragmenta vero libri VIII quae extant[1]) minimi momenti sunt ad illustrandum bellum Persicum. Theophanes vero totus ex Theodoro Lectore pendet vel potius ex epitoma ecclesiastica[2]) quam fere ad verbum exscripsit. Quamobrem Theophanis verba fere idem valent atque aequalium. Etenim singula quaedam si examinantur, elucet Theodori auctoritatem neque cum Procopio neque Marcellino Comite neque Ioanne Malala consentire, verumtamen in rebus quibusdam enarrandis auctoritate Iosuae solius fulciri:

Theoph. 147, 5; 147, 6; 148, 5; 148, 13; 148, 25 sqq.;
Iosua: 59; 58; 70; 75; 80.

Inde quod Anastasio ipso imperante Theodorus Lector scripsit, sequitur memoriam cum illorum ducum tum Areobindi laude eum extulisse, cuius de victoriis nonnulla haud parvi momenti refert (Theoph. p. 146, 13 sqq.). Quae Theophanes et Theophylactus (IV, 6, 6—11), ut de illo perpauca faciam verba, de rebus a Peroze et Cavade in Hunnos gestis tradunt, ex Procopio hauserunt; ita tamen, ut Theophanes (p. 121, 31 sqq.) astrictis et iisdem fere verbis ac Procopius, qui multus copiosusque in his narratiunculis exponendis est, Theophylactus vero tumido ut solet sermone eadem referret.

Haec quidem de fontibus[3]) belli Persici ab Anastasio gesti; saltem verbo liceat attingere collaudationes, — quibus cave multum tribueris! — Procopii Gazaei (panegyr. 7) et Prisciani (panegyr. v. 149—170, 218—227, 254—260), rhetorum aequalium, quibus virtutes Anastasii in devincendis orientalibus barbaris et chrysargyro venationibusque abolendis comprobatae adulatorie ad sidera tolluntur.

Sed porro huic parti dissertatiunculae addamus ansam, ut ita dicam, datam esse ad illos indagandos fontes, unde, qui tradiderint, hauserint: nimirum formam nominum regum Persarum Cavadis et Blasis. Apud scriptores orientales, Iosuam Zachariam Tabari chro-

1) Fragments inédits de Théodore le Lecteur et de Jean d'Égée .... (par) E. Miller: Revue Archéologique 33, Paris 1876, p. 402.

2) Qua epitoma septimo fere saeculo conscripta sola scriptorum quorundam ecclesiasticorum excerpta memoriae tradita sunt. De rebus singulis illius epitomae cfr. C. de Boor 'Neue Fragmente des Papias, Hegesippus etc., in Texte u. Untersuchungen zur Gesch. der altchristl. Lit.' V 2, p. 168. Id. Byzant. Zeitschrift V, p. 23.

3) Historia Agapii Hierapolitani nuperrime inventa, quoniam nondum publici iuris facta est, quanam auctoritate et fide sit, quantum ad propositum pertineat, diiudicari nequit.

nicon[1]) invenies nomen Cavadis: Ḳawâdh vel Ḳawâd, vernacule traditum, quo usi sunt Procopius et qui eum est secutus Agathias et Euagrius [haec quidem forma mirum in modum extat etiam apud Victorem Tonnennensem (508): Cavvades]. Quod apud Ioannem Lydum, Marcellinum Comitem (Choades), Ioannem Malalam, Theophanem eiusque fontes extat: Coades, volgari pronuntiationi accommodatum esse nomen videtur. Sed quod Theophanes praeter Coadem vel Cuadem exhibet Cavadem, ex Procopio hausisse putaverim, quo in enarranda intestina regum Persarum bellorum historia usum esse constat. Item duplici forma apud Theophanem extat nomen Blasis: *Οὐαλᾶς* et *Βλάσης*; nimirum Balas apud Iosuam, Agathiam, qui Persarum fontibus se usum esse iterum atque iterum affirmat, Theophanem. Romanorum sermone mutatum illud *Βλάσης* extat apud Procopium et Theophanem. Atque mediam quandam inter illas formam praebet Theodori Lectoris illud *Βλάασος* (II 51; vel *Βλάσσος* anecd. Cram. II p. 109).

II.

Causas — quae breviter ita exponantur, ut quae Iosua solus tradit examinentur — causas, dico, belli Persici ab Anastasio gesti quod est descripturus repetit Iosua (7) ab aetate Diocletianea. Iuliano vero cum Persis adverso Marte bellante mortuo Iovianus ea condicione pacem statim composuit, ut Persis urbs munitissima in confinio sita Nisibis traderetur, quae per sexaginta quinque annos sub Romanorum potestate fuerat; sed quod Iosua solus refert Nisibin ita tamen Persis traditam esse, ut post centum viginti annos Romanis redderetur, id a Romanis fictum est[2]), ut Persis tunc temporis graviter afflictis a Zenone, imperatore Romanorum, iure optimo bellum inferri videretur (Iosua 20).

Praeterea inter Romanos et Persas convenerat (Iosua 8), ut alteri alteris bellantibus succurrerent. Cuius foederis auctoritate Cavades nisus est, cum ad Iustinianum haec scriberet (Malal. p. 449, 20—450, 1): *ηὕραμεν ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀρχαίοις* (scr. *ἀρχείοις*) *ἀναγεγραμμένα ἀδελφοὺς ἡμᾶς ἀλλήλων εἶναι, καὶ ἐάν τις ἐπιδεηθῆι σωμάτων ἢ χρημάτων, παρέχειν τὸν ἕτερον.* — Huc etiam spectat, quod Ioannus Lydus (III 52) et Priscus Panites (C. Mueller FHG IV p. 105, 107) referunt de portis Caspiis quae dicuntur communi utriusque imperii sumptu firmandis, ne porro

1) ed. Th. Nöldeke, p. 135, adn. 1.
2) A. de Gutschmid, opp. II p. 564.

ab Hunnis per illas portas irrumpentibus Persae ut propiores opprimerentur: castellum sermone Persarum Biraparach[1]) dictum erat.

Persarum reges, quippe qui ab Hunnis invadentibus gravissime vexarentur, secundum illud pactum saepe a Romanis aurum acceperunt. Perozes, rex Persarum, pater Cavadis, auro Romanorum Hunnis victis multa loca regno suo adiecit; postremo vero ab eis captus est. Quod cum audisset Zeno, imperator Romanorum, sua pecunia Perozem redemit, id quod Iosua (10) solus narrat, utpote qui ingenue referat, quid Romani illius aetatis per illas Orientis regiones de intestinis regni Persarum rebus senserint. At Perozes, quamquam iuraverat numquam fines Hunnorum se esse invasurum, cum in regnum revertisset, tamen periurus factus iterum irrupit vivusque ab Hunnis cunctis copiis perditis disiectisque correptus est, quod quidem Procopius Persarum fontibus usus silentio praeteriit.

Perozes, ut erat superbus, pignus vitae sese esse daturum triginta argenteis drachmis onustos mulos pollicitus, cum e regni aerario viginti colligere vix posset, pro reliquis decem filium Cavadem Hunnis obsidem tradidit. Postea vero pretio integro soluto filioque recepto bellum renovavit, quo totus periit exercitus una cum Peroze, cuius corpus non repertum est. Quod Procopius (p. 20, 10—14) addit Persas barbaris per biennium Peroze mortuo tributum dare coactos fuisse, manifestum est eo illustriorem Cavadem celebrari, nimirum Cavadem unum natu minimum ex tot filiis a Peroze contra Hunnos bellaturo relictum. Quod Procopius Peroze interfecto unicum filium Cavadem relictum, Iosua vero Blasem fratrem Perozis regem factum esse tradit, ita explicandum esse videtur, ut Blasem pro minimo natu filio Perozis curavisse tutelam statuamus. Blases vero, ut erat animo submisso et pacis amantissimus, cum auro ad copias parandas careret, a Romanis quippe per Illi et Leontii seditiones perturbatis nihil adiutus cum a nobilibus contemnebatur tum apud sacerdotes in odio erat, quia leges Persarum abolere balneaque in Perside aedificare conabatur: itaque post regnum quattuor annorum correptus et excaecatus est. In Blasis locum Cavades substituitur vel potius ipse regnum occupavit, ut Theodorus Lector (II 51) recte narrat. Cavades, ubi primum rerum potitus est, ab Anastasio, qui eodem ferme tempore Zenoni in imperio successerat, pecuniam quae solvi soleret per nuntios exegit: aliter Romanis bellum sese esse illaturum. Anastasius renuit, etiam

1) Cf. Tomaschek: Pauly-Wissowa III 489 s. v. Birap.

ideo, quod, ut Iosua (20) addit, Cavadem diram magi Mazdaci sectam restituisse et Armeniis Christianis sub eius potestatem redactis magnam iniuriam attulisse compererat.

At Armenii Persis subditi, cum repulsam Cavadis audivissent, templa ignis Persarum incenderunt magosque trucidarunt; Cavadis exercitu, qui eos coerceret, devicto Armenii legatos ad Anastasium miserunt, qui se ultro Romanis obsecuturos esse offerrent. Anastasius ne Persis causam belli daret, renuit. Sed ne tum Romanorum imperio bellum inferret, Cavades impeditus est: nobiles Persarum coniuraverunt regem ob immundas leges moresque (Iosua 22, Procop. p. 20, 16 sqq., Theod. Lect. II 56, Tabari p. 455) se expulsuros esse. Cavades e custodia elapsus ad Hunnorum regem fugit, cuius in aula obses antea educatus erat. Pro Cavade frater eius Zamasphes quattuor annos regnavit (Theoph. p. 138, 29). Interea Cavades regis Hunnorum suaeque sororis filia in matrimonium ducta, a socero adiutus regnum Persarum recuperavit caedemque nobilium fecit. Frater vero Zamasphes iam antea regno se abdicaverat.

Sed iam in eo est, ut ratio annorum perpendatur: si quis vere aestimaverit primum inter devictos Isauros ac belli Persici initium octo annos intermissos esse, deinde ex Isauris superatis per quattuor annos Cavadem fugitivum fuisse, concludet per tres vel quattuor annos Cavadem regnum et a proceribus et sacerdotibus et gentibus barbaris perturbatum constituisse. Etenim tum quidem a gentibus ferocissimis, Arabibus, Tamurais, aliis gravissime afflictus erat, quarum in numero Cadusii iam anteaquam erat expulsus Nisibin oppugnabant, qua in urbe regem suum constituerent. Quibus gentibus se Romanorum divitias daturum esse Cavades pollicitus est, dum se ipsum contra illos adiuvissent, neque inviti obsecuti sunt. Haec sunt quae bello Persico ab Anastasio gesto antecedunt; sed quaenam causa illius belli vel potius quod praetextum fuerit, in hanc quaestionem iam inquiramus.

Ac primum quidem Iosuae (23) fides ceterorum auctorum consensu confirmatur, qui haec fere referunt: Zenone imperatore Romanorum mortuo cum Isauri, qui ex suis imperatorem constitui concupiscebant, in Anastasium rebellarent, Cavadem Romanorum pericula in suum commodum convertentem secundum illud priscum pactum inter Romanos ac Persas commissum ab Anastasio pecunias postulasse; Cavadi autem Anastasium respondisse mutuas, non obligatas se dare velle illas pecunias (de insequentibus cf. p. 159). Iam vero Procopius (p. 30, 7—18) narrat Cavadem regi Hunnorum

pecuniam debuisse, nimirum quia ab illo in reguum erat restitutus; sed cum non haberet, unde solveret, ab Anastasio pecuniam mutuam petisse; Anastasium vero hanc rem cum consilio amicorum detulisset, monitum esse, ne sua pecunia Persas et Hunnos inter se reconciliando sibi ipsi maxime noceret. Qua repulsa incensum Cavadem cum Romanis bellare statuisse. Huc spectant, quae Zacharias (p. 104, 22—25) de causis belli refert: Cavadem Persarumque nobiles infensis fuisse animis in Romanos, quorum pecunia incitati Hunni Persida depopulati sint; quin etiam duplex stipendium, si cum Persis non iam fecissent, imperatorem Romanorum sibi daturum esse promisisse Zacharias Hunnos supra (p. 103, 22) dicentes facit. Manifestum esse videtur has narrationes Persarum partes sequi, quorum intererat ostendi Cavadem Romanorum fines invasisse, quia ab eis in iram incitatus erat.

Paulum ab his recedere videntur quae Theophanes (p. 144, 21) refert: Cavadi pecuniam flagitanti Anastasium respondisse, si mutuam accipere vellet, cautionem scriberet; sin minus, se non daturum esse. Addit haec Cavadem recusasse proptereaque pace cum Theodosio olim facta violata Romanis bellum intulisse. Quae omnia a Romanis industria conficta esse putaverim.

Omnia haec si recte consideraveris, intelleges ab utraque parte pacem aliquatenus violatam esse; sed facio cum Iosua, qui solus recte narrat propter afflictas suas res regem tam feris barbarisque gentibus magnopere gravatum ac paene oppressum ultro belli initium fecisse, ut praeda Romana barbaris satisfaceret et, quod maximum erat, prospere bellans regnum confirmaret.

Atque in universum praemittam, siquidem licet certas quasdam in historia discernere periodos, e re esse totius belli ipsius narrationem in has tres partes distribui:

primam, qua Cavades Armeniam invasit et Amidam diu oppugnatam cepit,

alteram, qua Romanorum duces ab Anastasio missi vel inertia vel ignavia vel discordia sunt fugati,

tertiam, qua Celer arma Romanorum restituit et pax cum Persis convenit.

Sub fine denique tractandum erit, quomodo urbs Dara ab Anastasio exaedificata et munita sit.

Sed accedamus ad primam partem belli pertractandam. Atque consentiunt omnes qui extant fontes Cavadem a septentrionali parte in Romanorum fines irrupisse; nam nihil antiquius habuisse

putandus est quam ut Armenii domarentur; illi enim concessa religionis libertate, cum Cavades promisisset se neque ulturum eos esse, qui pyrea incenderant, neque coacturum, dum regis imperata facerent, ignem adorare, metu perterriti in Cavadis potestatem se permiserant (Iosua 24). Iam eodem die, quo ille ignis mirus caelestis (Iosua 47) apparuit, nimirum die vicesimo altero mensis Augusti anni 502 (Iosua 48), Cavades, filius Perozis, rex Persarum, toto Persarum exercitu coacto (= *Κωάδου . . . ὅλην Περσίδα κατὰ Ῥωμαίων ἄγοντος* Ioannes Lydus de magist. p. 142, 1) in regiones septentrionales profectus una cum Hunnorum copiis in imperium Romanorum, scilicet Armeniam Maiorem („*αὐτάγγελος*" Procop. p. 30, 18) irrupit. Postea (Iosua 57) Armenii et Arabes imperii Romani in Cavadis exercitu esse a Iosua traduntur. Ac primum quidem Cavades Theodosiopolim, caput Armeniae, adortus, quod *πολίχνιον* recte (cf. Procop. de aedif. p. 255) Euagrius (III 37) dicit, paucis diebus obsessam cepit; nam Constantinus, vir ordine senatorio et dux legionum Illyricarum, Theodosiopolis praefectus, cum Anastasio imperatori infensus esset, oppidum Cavadi prodidit ac proiecit, qui Constantinum illum in numerum ducum copiarum suarum recepit. Ioannem Malalam erravisse sane manifestum est, cum referret una cum multis aliis Constantinum captum abductumque in Perside mortuum esse. Nam insequentis anni mense Iulio idem Constantinus praeerat exercitui Persarum cum Hunnis Arabibusque coniuncto (Iosua 55); sed etiam tertio anno (mense Iunio anni 504) Constantinus, cum Persas prospere rem non gesturos esse intellexisset, una cum paucis familiaribus et cum duabus feminis Amidenis, quae quidem ei a Cavade dono datae erant, — fortasse ex Nisibi — dies noctesque per deserta fugiens ab Arabibus, qui sub potestate Romanorum erant, in castellum, quod Sura (Procop. de aedif. p. 234, 17) dictum erat, ad Euphratem situm asportatus indeque Edessam transmissus est; quem cum in potestatem Romanorum redactum esse accepisset, Anastasius rursus in gratiam recepit et presbyterum factum Nicaeae tranquille otioseque vitam degere iussit (Iosua 74). — Cavades expugnatam Theodosiopolim populatus evertit et incendit; destructis omnibus in parte septentrionali vicis incolae captivi in Persida abducti sunt, ubi diem suum omnes obisse Ioannes Malalas dicit; sed quod Zacharias (p. 104, 27) refert Cavadem in incolas Theodosiopoleos mitem fuisse, quippe cui ab illis maledictum non esset, hoc consilio confictum esse Cavadis celebrandi causa putaverim.

Quod igitur Iosua de rebus a Cavade per totum mensem

Septembrem* gestis, nimirum a Theodosiopoli capta usque ad Amidam oppugnatam, plane tacet, oritur hoc loco quaestio subdifficilis, Procopione de Martyropoli capta referenti fides habenda sit necne: Procopius (de aedif. p. 248, 23 sqq.) enim solus de Martyropoli a Cavade ex itinere capta refert haec: incolae Martyropoleos, utpote cuius urbis moenia minime integra essent, cum Cavadem appropinquare audivissent, cum Theodoro, praefecto Sophanenes, se urbemque et publica biennii tributa ultro Cavadi obtulerunt; ille laetus in gratiam recepit Martyropolitanos Theodorumque satrapam constituit. — Sed quod Iosua (50), quamquam Rufinum, legatum Anastasii, facit audientem Cavadem iam oppidum Angilenen et regionem Sophanenen occupavisse, tamen Martyropolim omittit, hoc quidem aliquid offensionis habere videtur; sed id unum, quod Iosua primo loco „Agel", secundo totam regionem „Suph" vocat, prolabitur, cum Iosua Cavadem a septentrionali parte invasisse plane commemoret. Ideo Cavades, ut erat intentus Armeniae primae satis tutae provinciae sub potestatem suam redigendae, Martyropolim, quae quamvis parum munita esset, — etenim revera a civibus ultro est tradita — tamen in tergo relinquere noluisse putandus est; qua de causa putaverim Cavadem a Theodosiopoli capta profectum primum ad regionem in meridiem spectantem contendisse, ut Martyropolim expugnaret, inde ad occidentem versum in oppidum Angilenen se coniecisse, unde sub Amidam pervenerit; qua re fieri non potuisse videtur, quin a septentrionibus, id quod Iosua expressis verbis testatur, sub Amidam adveniret Cavades.

Etenim Cavades cum ex septentrionibus sabbato quinto die mensis Octobris (Iosua 50; Zacharias p. 104, 30) sub Amidam improvisus advenisset, castra sibi totique exercitui Amidae per hiemem oppugnandae fecit. — Procopius refert (p. 31, 1—6) Amidenos, quamquam propter pacem militibus atque rerum copia carebant, tamen noluisse Persis se dedere, — immo in aerumnis periclitantes praeter opinionem perseveravisse. Quomodo ancipiti Marte Amida per tres menses oppugnata sit, Iosua, Zacharias, Procopius ita perscribunt, ut ne de singulis quidem rebus inter illos valde discrepet; ita tamen, ut Iosuam narrationem non a Zacharia, qui longe plurimus est in singulis illius oppugnationis rebus exponendis, deprompsisse, verumtamen ad narrationem cuiusdam Amideni qui aderat se applicuisse statuamus.

Sed priusquam ad singula pertractanda transgredimur, pauca dicenda sunt de Rufino. Quod Iosua (50) solus de legatione Rufini ab Anastasio ad Cavadem missi refert, non a Romanis consilio

fictum esse apparet, immo testimonio est, quod Anastasius vel aliis quoque in causis pacis amantissimus praedicabatur; addas quod Iustiniano imperante Rufinum quippe Persis spectatum saepe legationis ad Cavadem munere functum esse Zacharias (p. 176, 10 sqq.) dicit. Iosua (50) vero solus refert Anastasium, cum audivisset Cavadem copias collegisse, acie confligere cum Cavade noluisse, ne utrimque sanguis effunderetur; sed Cavadi per Rufinum magnam obtulisse pecuniam, quam ille Cavadi fines imperii Romani nondum transgresso traderet commoturus eum, ut domum rediret. Rufinus cum Caesaream Cappadociae venisset et Cavadem regionem Armeniae septentrionalem et Arabum fines diripuisse accepisset, pecunia Caesareae relicta ad Cavadem profectus petiit, ut oblata pecunia contentus e finibus Romanorum recederet; reiecta vero pecunia Cavades Rufinum comprehendi custodirique iussit. Amida demum expugnata Cavades Rufinum dimisit (Iosua 54), qui Anastasio nuntiaret quae facta essent.

Sed iam est in eo, ut quae quisque auctorum tradit de Amida obsessa, accurate exponantur; illa facta distribuantur in has tres partes:

primam, qua Amideni aggerem a Persis congestum suffoderunt, ut corrueret;

secundam, qua Cavades infecta re pacem frustra obtulit, sed ne Amida recederet, somnio impeditus est;

tertiam, qua Amida forte capta est.

Iam vero exponamus quae quisque illorum trium auctorum de oppugnatione ipsa protulerit (cf. J. Haury, l. c. p. 6, qui alia vero ratione nonnulla quaedam tractavit):

Zacharias p. 104, 30—106, 3.	Procopius p. 32, 14—33, 8.	Iosua 50.
Cavades Amidam quamquam magno impetu acerrimis sagittis et arietibus, quibus moenia prosternere enixe nitebatur, et mulo, qui dicitur agger, cum muro coaequato per tres menses cotidie oppugnabat, tamen capere non potuit milite quippe permagnis laboribus defatigato. Summopere of-	*Καβάδης δὲ Ἄμιδαν πολιορκῶν κριὸν τὴν μηχανὴν πανταχόσε τοῦ περιβόλου προσέβαλε. ..... 21: Καβάδης . . . λόφον τινὰ χειροποίητον ἐπιτείχισμα τῆι πόλει ἐποίει μέτρωι πολλῶι ὑπεραίροντα τοῦ τείχους τὸ μῆκος,*	Cavades cunctis copiis omni genere bellandi dies noctesque Amidam oppugnans vallum exstruxit, cui nomen est mulus.[1] 1) quippe cui aggeri vel tumulo similitudo

Zacharias.

fendebatur, utpote cui ultro ab Amidenis, qui in muro constiterant, malediceretur. In universum Persae nihil proficiebant, cum muri arietibus non modo non everterentur, sed ne quaterentur quidem, quia Amideni stragulis per catenas conexis vim ferientium arietum imminuebant, ne moenia diffinderentur. Amideni ab interiore parte ad eum locum, supra quem machina collocata erat, murum perforantes humum suffossum foras retrahebant et subcavatum paulatim subter trabibus cameraverunt.

Deinde cum quingenti fere Persarum delecti cum armis machinam inscendissent et trabes in moenia protenderent, ut per eas transgrederentur, rege ipso cum exercitu adhortante et adiuvante, tum Amideni pelles bubulas nuper detractas et ervum cum stacte coctum de muro trabibus superiectas aqua ervo decocto ferventi, ut lubricae fierent, perfundebant; simul ignis cavamini muli est subiectus. Itaque

Procopius.

οἵ τε πολιορκούμενοι ἐντὸς τοῦ περιβόλου ἀρξάμενοι κατώρυχα μέχρι ἐς τὸν λόφον ἐποίουν, καὶ λάθρα ἐνθένδε τὸν χοῦν ἐκφοροῦντες κενὰ ἐπὶ πλεῖστον τὰ ἐντὸς τοῦ λόφου εἰργάσαντο. τὰ μέντοι ἐκτὸς ἐφ' οὗπερ ἐγεγόνει σχήματος ἔμενεν, οὐδενὶ αἴσθησιν παρεχόμενα τοῦ πρασσομένου. πολλοὶ μὲν οὖν Πέρσαι ὥσπερ ἐπ' ἀσφαλοῦς ἀναβαίνοντες ἔν τε τῆι ἄκραι ἐγένοντο καὶ βάλλειν ἐνθένδε κατὰ κορυφὴν τοὺς ἐν τῶι περιβόλωι διενοοῦντο.

Iosua 50.

Sed Amideni sua munimenta contra adaugebant, quod vallum alte constructum Persae ariete, quod nondum consederat, facile prostraverunt. Amideni sub fossa provecti cavamine sub aggere Persarum suffosso clam humum in urbem retro retraxerunt, ita ut vallum corrueret.

---

quaedam sit cum muli dorso.

Zacharias.	Procopius.	Iosua 50.
cum sex fere horas dimicassent, ne Persae Amidam invaderent, trabes cavaminis combustae sunt statimque reliqua materia flammis absumpta est, ut mulus corrueret. Hoc modo Persae, qui in illa machina constiterant, concremati lapidibusque eorum, qui in muro erant, contriti sunt.	τοῦ δὲ ὁμίλου δρόμωι ἐπιρρέοντος ἐμπεσὼν ὁ λόφος ἐκ τοῦ αἰφνιδίου σχεδόν τι ἅπαντας ἔκτεινε.	

Reliquum est, ut, quae Iosua (53) de machina contundente narrat, exponamus: Cavades murum, qui plane corruerat, lapidibus trabibusque et saccis vestimentisque resartis humoque oppletis cum Amidae moenibus denuo coaequari iussit. At Amideni machinam exstruxerunt, quam Persae contundentem vocarunt, quia omnia opera evertebat hominesque conterebat. Namque Amideni hac machina permagnos lapides coniciebant, quorum quisque maiore erat pondere quam trecentarum librarum; tantis saxis testudo, sub qua Persae proficere enixe operam navabant, discissa est et qui suberant contusi sunt. Sed quamquam testudo neque sagittis neque igni Persis aquam infundentibus subverti poterat, tamen Persae oppugnatione desistere in animo habebant, quippe quorum quinquaginta milia (numerus haud dubie fabulosus) perisse dicantur.

II. Tum vero cum nihil se profecturum esse intellexisset, Cavadem irrisum recessisse Zacharias Procopius Iosua in universum inter se consentiunt:

Zacharias p. 106, 4—8.	Procopius p. 33, 8—13.	Iosua 53.
Tum Cavades pudibundus et maestus recessit, quippe cui ultro magis magisque malediceretur ab hominibus audacibus superbis nimis elatis, quia in urbe episcopus non aderat, qui eorum te-	Καβάδης δὲ τοῖς παροῦσιν ἀπορούμενος τὴν προσεδρείαν διαλύειν ἔγνω, καὶ τῶι στρατοπέδωι ἀναχωρεῖν ἐς τὴν ὑστεραίαν ἐπήγγειλε. τότε δὴ οἱ πολιορκούμενοι, ἅτε τοῦ κινδύνου ἀφροντιστήσαντες, πολλὰ τοὺς βαρβάρους ξὺν	Hoc modo Persae dispersi vallum vi adoriri destiterunt; itaque Amideni neglegenter vallum custodientes victoria elati sunt.

Zacharias p. 106,4—8.	Procopius p. 33, 8—15.	Iosua 53.
meritatem compesceret.	γέλωτι ἀπὸ τοῦ περιβόλου ἐτώθαζον.	

Quod igitur Procopius (p. 33, 13—21) porro narrat Cavadem remansisse admonitum a magis, qui, inde quod meretriculae Amidenae Persis „arcana" sua monstrassent, collegissent Amidenos regi interiora urbis mox ostentaturos esse, certe haec narratiuncula ex eventu ficta esse videtur et in fabulis eiusdem generis habenda atque quam de liberalitate Cavadis Amidam expugnatam ingredientis comprobata Procopius (p. 35, 13—21) tradit (cf. p. 148 adn. 2). Cavadem, cum intellexisset vi et armis Amidam se non capturum esse, si ab Amidenis summam argenti quandam accepisset, abscessurum fuisse Zacharias (p. 106, 30—107, 6) solus refert: post tot impetus multis militibus frigore vel morbo absumptis (Zacharias p. 105, 8) Cavades a spe alienus petiit, ut sibi parva argenti summa daretur; qua accepta ab urbe sese esse recessurum. Sed Leontius, filius Papi, princeps nobilitatis et Cyrus praefectus et Paulus, filius Zenobii, oeconomus per eos, qui legationis ad Cavadem missae munere fungebantur, postulaverunt, ut pretium solveretur fructuum, quos Persarum exercitus absumpserat, et reliqui frumenti et vini quaecunque ex vicis contraxerant.

Sed quanam de causa Cavades ante Amidam remanserit, a Procopio et Zacharia diversa ratione explicatur. Procopii quidem narratiunculam admodum ridiculam esse supra ostendimus. Zacharias (p. 107, 8—12; p. 110, 7—9) vero refert Cavadi, cum ab Amida iam regressurus esset, per noctem Christum ipsum visum promisisse intra triduum se urbem, quippe cuius cives in Cavadem magnopere peccassent, traditurum esse, quae narratiuncula piam sapit sacerdotum fraudem: nam quantuli Cavades fidem aestimaverit Christianam, inde apparet, quod Amidae expugnatae fana Christiana diripuit polluitque atque Christum ipsum urbis Edessae patronum pro nihilo habuit.

III. Cavades igitur ante Amidam perseveravit, quam urbem paucis diebus post praeter opinionem cepit. Sed quonam tandem modo urbs illa sit capta, iam inter aequales multum discrepavit: ac Iosua quidem percauto utitur iudicio: sive neglegentia, sive aliquo modo proditionis, sive poena Dei Persae moenia Amidae ceperunt per scalas portis non apertis valloque infracto. Enimvero Iosuae notum erat varios circumlatos esse rumores, quomodo urbs capta esset; incolae enim proditione, ipse socordia eorum qui defenderunt urbem expugnatam esse censuerunt.

In re publica autem hanc famam pervolgatam fuisse et Marcellinus Comes (502) et Theophanes (p. 145, 8) auctores sunt; quamquam operae pretium est adnotare Euagrii, Ioannis Malalae, Tabari chronici perpaucis illis verbis, quae de Amida capta exhibent, nihil de proditionis suspicione inesse; atque elucet e narratione Zachariae monachos urbem non prodidisse, immo vero illam fabulam inde ortam esse, quod supra illam fossam, per quam Persae in urbem ingressi sunt, monasterium fuit, cuius abbas natione Persa erat. Sed iam ad singula, quae de expugnatione ipsa Amidae Zacharias accuratius Procopio refert, accedamus:

Iosua 53.	Zacharias p. 107, 12—109, 20.	Procopius p. 33, 22—35, 13.
	In occidentali parte urbis prope a Tripyrgia monachi custodiebant, qui ex Ioannis monasterio Ortaeorum arcessiti erant et quorum archimandrita natione Persa fuit. Ante illam turrim castra posuerat marchio nomine Chanaranges claudus, qui dies noctesque vigilans dolo et astutia id unum spectabat, ut urbem caperet. — Erat enim quidam turbulentus et fur, qui omni modo audacter in Persas se gerens pecudem et omnis generis res rapere conabatur, ut etiam illi eodem nomine quo a custodientibus vocari audiebant, Cotrangam appellarent. Quem Chanaranges conspexerat ex cloacis cum Tripyrgia coniunctis exeuntem atque rapto rursus evanescentem; Persae tamen facultatem dabant praedandi, ipsi intenti, quid moliretur; postea persecuti copiam ex-	Ἡμέραις δὲ τῶν τις Περσῶν οὐ πολλαῖς ὕστερον ἄγχιστα τῶν πύργων τινὸς ἐκβολὴν ὑπονόμου παλαιοῦ εἶδεν οὐ ξὺν τῶι ἀσφαλεῖ κεκαλυμμένην, ἀλλὰ χάλιξι σμικραῖς τε καὶ οὐ λίαν συχναῖς. νύκτωρ τε μόνος ἐνταῦθα ἥκων καὶ τῆς εἰσόδου ἀποπειρασάμενος ἐντὸς τοῦ περιβόλου ἐγένετο. ἅμα δὲ ἡμέραι τὸν πάντα λόγον Καβάδηι ἀπήγγειλε. καὶ ὃς τῆι ἐπιγινομένηι νυκτὶ κλίμακας ἐν παρασκευῆι ποιησάμενος ξὺν ὀλίγοις τισὶν ἐνταῦθα ἦλθε. καί τις αὐτῶι δεξιὰ ξυνηνέχθη τύχη τρόπωι τοιῶιδε. τὸν πύργον, ὃς δὴ τοῦ ὑπονόμου ἀγχοτάτω ἐτύγχανεν

Iosua (haec perpauca affert verba):

Decimo Ianuarii die custodes multitudine vini ob frigus absumpta, ubi nox advenit, alii obdormiverunt, alii relictis custodiis suam quisque domum cum plueret, abierunt.

Zacharias.

eundi ac revertendi ad amussim experiebantur. Ea vero nocte qua urbs peritura erat, evenit, ut magnae essent tenebrae nube, unde leniter pluebat. Illis monachis Tripyrgia custodientibus quidam cenam familiariter paraverat vino multa nocte addito: quare somno oppressi non eadem diligentia, qua mos eorum erat, vigilabant.

Tum Chanaranges ille cum Cotrangam persecutus parva exercitus manu moenia accessisset, monachi neque clamarunt neque lapides coniecerunt, ut Persae monachos dormire cognoscerent. Statim scalas et milites accivit et qui cum eo erant, cloacis invasis turrim monachorum cum conscendissent, trucidare eos, turrim pedaturamque occupare, scalas ad moenia applicare, ad regem mittere.. Sed qui proximam turrim custodiebant clamore audito monachis interfectis frustra succurrebant; non-

Procopius.

ῶν, φυλάσσειν τῶν Χριστιανῶν οἱ σωφρονέστατοι ἔλαχον. . . . τούτους ἑορτήν τινα τῶι θεῶι ἄγειν ἐνιαύσιον ἐκείνηι τῆι ἡμέραι τετύχηκεν. ἐπεί τε ἡ νὺξ ἐπεγένετο, ἅπαντες, ἅτε κόπωι μὲν πολλῶι διὰ τὴν πανήγυριν ὁμιλήσαντες, μᾶλλον δὲ τοῦ εἰθισμένου σιτίων τε καὶ ποτοῦ ἐς κόρον ἐλθόντες ὕπνον τινὰ ἡδύν τε καὶ πρᾶιον ἐκάθευδον καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ ὡς ἥκιστα τῶν ποιουμένων ἠισθάνοντο. Πέρσαι γοῦν διὰ τοῦ ὑπονόμου ἐντὸς τοῦ περιβόλου κατ᾽ ὀλίγους γενόμενοι ἐς τὸν πύργον ἀνέβαινον, καὶ τοὺς μοναχοὺς καθεύδοντας ἔτι εὑρόντες ἔκτειναν ἅπαντας.

ὅπερ ἐπεὶ Καβάδης ἔγνω, τὰς κλίμακας τῶι τείχει τούτου δὴ ἄγχιστα τοῦ πύργου προσῆγεν. . . . καὶ τῶν Ἀμιδηνῶν οἳ ἐν

Zacharias.	Procopius.
nulli eorum sagittis Persarum icti emortui sunt.	πύργωι τῶι ἐχομένωι ἐφύλασσον, αἰσθόμενοι τοῦ κακοῦ κατὰ τάχος ἐβοήθουν ἐνταῦθα.
Quo audito Cyrus praefectus, cum taedae apportatae haud procul adessent, a Persis quippe per tenebras tectis, ut a sagittariis ipsi laedi non possent, sagitta vulneratus (cf. p. 110, 34) abiit.	
Prima luce cum rex cum exercitu supervenisset, scalis moenibus applicatis ascendi iussit. Sed multi ascendentium sagittis lapidibusque icti et hastis repulsi perierunt;. ei vero, qui metu perterriti scalis descenderant, iussu regis ut ignavi et fugitivi occisi sunt. Quamobrem Persae animis receptis in extremum venerunt discrimen, ut aut victores et urbis expugnatores triumpharent aut pugna vulnerati a rege, qui ipse spectator aderat certaminis, ne vituperarentur interimerenturve.	. . . καὶ τὸ πλέον ἤδη Ἀμιδηνοὶ ἔχοντες τῶν τε ἀναβεβηκότων πολλοὺς ἔκτεινον καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν κλιμάκων ἀνέστελλον καὶ τοῦ ἀπεῶσθαι τὸν κίνδυνον οὐ μακράν που ἐγένοντο. ἀλλὰ Καβάδης αὐτὸς τὸν ἀκινάκην σπασάμενος καὶ αὐτῶι ἀεὶ δεδισσόμενος ἐς τὰς κλίμακας ὁρμῶν οὐκ ἀνίει τοὺς Πέρσας, θάνατός τε ἦν ἡ ζημία τοῖς ἐνθένδε ἀναστρέφειν τολμῶσι. διὸ δὴ πλήθει πολλῶι οἱ Πέρσαι καθυπέρτεροι τῶν ἐναντίων γενόμενοι ἐνίκησάν τε αὐτοὺς τῆι μάχηι καὶ . . .

Zacharias.

Incolae vero urbis cameram turris, quam tenebant Persae, subvertere studebant iamque laquearia tecti dissolvebant. Dum haec geruntur, altera occupata est turris et mox alia et qui murum defendebant, sunt trucidati. — Petrus autem, illustris Amidae incola, ferratus pedaturam alterius partis solus defendit a Persis; quicumque ab exteriore parte et interiore aggrediebantur, hasta fortissime reppulit, donec ab altera parte quinque vel sex turres caperentur; denique ipse quoque certam fugit mortem. Sed antea Persae totum murum capere, occupare, per duas noctes unumque diem custodes trucidare. Denique cum descendissent, portas aperuerunt, ut exercitus irrumperet iussus a rege homines cuiusvis aetatis, viros ac feminas, per tres dies noctesque occidere.

Procopius.

. . . καὶ κατὰ κράτος ἡ πόλις ἥλω ὀγδοηκοστῇ[1]) ἀπὸ τῆς πολιορκίας ἡμέραι. φόνος τε Ἀμιδηνῶν πολὺς ἐγεγόνει . . .

Amida igitur capta adversus cunctos ingenti crudelitate per tres dies saevitum est. Quamquam de hoc facto omnes fontes in uni-

1) Cf. p. 174.

versum consentiunt, tamen singula proferantur, propterea quod nonnulla separatim ex ordine examinanda putamus. Ac primum quidem Zachariae verba audiamus (p. 109, 21—28): Regulus quidam Christianus e regione Carrarum a Cavade petiit, ut ecclesia, cui nomen erat magna quadraginta martyrum, hominibus referta servaretur. Post triduum iussu regis Persae trucidare destiterunt; et immittebantur, qui opes ecclesiae et procerum urbis regi servarent. — Simili ratione Iosua narrat: Persae urbem diruebant omnesque opes rapiebant, sacram cenam conculcabant eiusque munus irridebant et ecclesias diripiebant. De arte ut ita dicam praedandi Persarum nonnulla Zacharias (p. 110, 24—32) profert: ex procerum aedibus argentum et aurum et vestes pretiosae collecta et praefectis aerarii regii tradita sunt; etiam cunctae urbis statuae detractae et horologia marmorea, aes et quaecunque placebant, collecta ratibus, quae trabibus parabantur, imposita per flumen Tigrim, qui partem urbis orientalem praeterfluit, in Persida delata sunt.

Sed rex priusquam ipse urbem ingrederetur, cadavera asportari iussit:

Zacharias p. 109, 28—110, 2.	Iosua 53 (sub fine).
Rex iussit cadavera occisorum quae in palatio erant, et cruci affixorum colligi et in partem urbis septentrionalem efferri, ut ipse a meridionali, qua substiterat, ingredi posset. Corpora igitur conquisita, cum efferrentur, numerata sunt octoginta milia praeter illa, quae in tabernis mercatoriis deposita vel in cloacis coniecta vel in cavaediis relicta erant.	Persae, ne foedo cadaverum odore obtunderentur, illa efferebant duobus acervis per septentrionalem portam, qui numerus maior octoginta milibus erat; praeterea multos vivos abducebant et extra urbem lapidibus cooperiebant, alios vallo deiciebant, alios in Tigrim coniciebant, alii alio vario modo interimebantur.[1])

Cadaveribus igitur per portam septentrionalem elatis Cavades post tertium diem elephanto Amidam rite ingressus est et divitias ingentes arripuit (Theoph. p. 145, 11).

De ingrediente rege, cuius liberalitatem atque clementiam celebraret, Procopius ridiculam fabulam enarrando legentes fatigat

1) huc spectat Zachariae (p. 111, 13—21) narratio accurate describentis decimum quemque Persis Amidenorum ulciscendi gratia traditum esse.

(p. 35, 13—21): *φόνος τε Ἀμιδηνῶν πολὺς ἐγεγόνει, ἕως ἐσελαύνοντι ἐς τὴν πόλιν Καβάδηι τῶν τις Ἀμιδηνῶν γέρων τε καὶ ἱερεὺς προσελθὼν εἶπεν ὡς οὐ βασιλικὸν τὸ φονεύειν τοὺς ἡλικιώτας εἴη. Καβάδης μὲν οὖν θυμῶι ἔτι ἐχόμενος ἀπεκρίνατο „διὰ τί γάρ μοι πολεμεῖν ἔγνωτε“; ὁ δὲ ὑπολαβὼν αὐτίκα ἔφη „ὅτι δὴ ὁ θεὸς οὐχ ἡμετέραι γνώμηι, ἀλλὰ σῆι ἀρετῆι παραδιδόναι σοι Ἄμιδαν ἤθελε“. τούτωι τῶι λόγωι Καβάδης ἡσθεὶς κτείνειν οὐδένα τὸ λοιπὸν εἴασεν*... Immo, clementer ille rex ingenuus minime se gessit, nisi quod illius caedis superstites servos in Persida abduci iussit! Rex igitur nobiles omnes Amidenos, inter quos Leontius et Cyrus praefectus vulneratus erant, et alios proceres et magistratus summos et opifices coactos sibi ipsi destinatos deduci imperavit (cf. Proc. p. 35, 23). Praeterea Persae reliquos incolas Amidae captivos abduxerunt exceptis senibus et claudis et qui semet ipsos abscondebant.

Quod Cavadem regia in captivos (cf. Tabari p. 146) clementia usum paulo post domum dimisisse Procopius narrat, pro Persis dictum esse videtur; Procopium hoc loco similia legisse vestigia ac Zachariam, qui Cavadem mitem fuisse in Theodosiopoleos incolas (p. 104, 27) laudat, eo evincitur, quod Ioannes Malalas narrat omnes captivos in Persarum regno mortuos esse. Quonam quidem modo illi captivi, qui bello confecto non restituebantur (Zach. p. 115, 15 sqq.), a Persis habiti sint, de hac quaestione Zacharias (p. 254, 4—12) memorabilem ac conspicuam profert narrationem, quae ad aetatem Iustinianeam pertinet: captivi quidam, cum in Persida pervenissent, ad Hunnos venditi in fines ultra portas Caspias deportati sunt, ubi plus quam triginta annos retenti uxores in matrimonium ducebant infantesque procreabant. — Iam restat, ut, quid praeter illa alia, quae supra pertractavimus, in urbe capta Cavadi obvenerit, breviter exponamus. Iosua et Zacharias narrant Cavadem ordinem et morem, commodum et emolumentum balneorum publicorum valde comprobasse. Lautus igitur est rex in balneis oeconomi Pauli, filii Zenobii (p. 111, 21), quem Persae ut ditissimum opibus ac vita privaverant (p. 111, 1—3). Multo infra forte inseruit Iosua chronico (75), Cavadem, utpote cui commodum balneorum publicorum placuisset, balnea per cunctas regni Persarum urbes aedificari iussisse, id quod Blasem, qui Cavadi antecesserat, in summum discrimen adduxerat (Iosua 19): nimirum etiam hac re probatur regem, dum prospere bellaverit, res populo antea odiosas impune instituere posse.

Sed huic demum loco inseratur, quomodo ratio temporum or-

dinanda sit: Amidam a quinto die mensis Octobris anni 502 usque ad decimum Ianuarii anni 503 obsessam esse Iosua refert, quocum congruit, quod chronicon illud Edessenum[1]) Amidam nonaginta septem dies obsessam esse adnotat; qui numerus sane recte sese habet, sed ex Iosuae verbis reputatus est. Theophanes Amidam plus quam per tres menses a barbaris oppugnatam esse recte tradit, cum Marcellinus Comes Amidam quinto mense captam esse narrans volgarem proferat rumorem.

Sed hieme peracta (Zach. p. 111, 22) Cavades recedens Amidae Glonem praefecit cum duobus marchionibus, tribus fere milibus Persarum urbi custodiendae relictis et divitibus quibusdam, Ioanne, filio Iaballahae et Sergio, filio Zabdoni, qui Amidam administrarent; praeterea Amidenos paucos misellos reliquit, qui Persis victum compararent (Proc. p. 36, 2). Deinde Procopius errat narrans Cavadem domum revertisse: immo Nisibin se recepit (Theoph. p. 145, 13), vel in montem Singaram (Iosua 53) exercitu inter Amidam et Constantinam collocato (Theoph. p. 145, 14).

Sed quoniam res Amidae gestas pertractavimus, reliquum est in hac parte dissertatiunculae, ut res aliis Mesopotamiae locis per idem tempus factas, quas Iosua (51, 52) et Theophanes (p. 145, 3 sqq.) tradunt, exponamus. Cavadem, dum ante Amidam iam est, statim porro in occidentem meridiemque copias praemisisse per se conspicuum est, ut, si possent, more maiorum praecipiti ingressu usque trans Euphratem penetrantes Romanos plane interciperent. Theophanes perpaucis rem adumbrat: dum Amida oppugnatur, compluribus proeliis a Romanis ac Persis pro varia loci opportunitate ancipiti Marte dimicatum est. Accuratius vero Iosua solus refert Persas ultra Constantinam usque ad Edessam et Carras equitasse. Atque Arabum ferocissimorum ac rapacissimorum Hirensium regulus Namanus a Cavade praemissus infesto agmine per Mesopotamiam ad Carrarum regionem pervenit (Iosua 51). Singula vero insequenti capite Iosua refert: die vicesimo sexto mensis Novembris Namanus ille quidem a meridie Carrarum finibus intratis omnia diripere, vastare, homines pecudemque et praedium totius regionis capere; inde omnes vicos depopulatus sub Edessam festinavit. Numerus captivorum ad duodeviginti milia quingentosque crevisse a Iosua dicitur; praeterea addas interfectos, armenta, praedia, iacturam omnis generis; etenim illo anni tempore erat vindemia, ita ut non modo pagani, verum etiam multi Carreni Edessenique in hoc

1) l. c. p. 120. LXXX.

negotio interciperentur. Quapropter Edessa portis clausis custodita, fossae ductae sunt murusque refectus. Ac portae quidem neglegentia collapsae molibus lapideis refertae sunt; claustra flumini Scirto opposita sunt, ne quis per alveum introiret; sed cum ad hoc opus perficiendum satis ferri inveniri non posset, imperatum est, ut domus unaquaeque civium decem ferri libras praeberet. Quo facto Edessa satis munita visa est.

Interim alio loco inter Persas ac Romanos hoc modo pugnatum est: inter duces Romanorum Alypius, dux Constantinae, et Eugenius, dux Melitenes, nominantur (Theoph. p. 141, 3). Atque Eugenius quidem, qui strenue Euphratesiam provinciam contra Arabas Scenitas defenderat, cum manus cum Persis vastantibus comminus conserturum sese non esse intellexisset, copiis, quaecunque ei relictae erant, coactis profectus praesidio Persarum conciso Theodosiopolim recuperavit (Iosua 52). — Sed Alypius[1]) qui cum propter alias causas tum propter philosophiae amorem eximia laude ornabatur, omnem curam in defendendas urbes et comparandos commeatus contulit. Ac pars quidem Persarum sub Constantinam progressa depopulari, rapere, vastare totam regionem. Undecimo die mensis Novembris Alypius et Eugenius (quorum alterum illis proeliis porro interfuisse Iosua non testatur), qui tunc fere temporis descenderant, profecti Persas vicos regionis Constantinae depopulantes oppresserunt. Romani, ut Constantinam iam redituri erant, cum per quosdam non procul in saltu quingentos hostium esse comperissent, in illos impetum facere parati erant; sed cum essent dispersi, ut occisos despoliarent et quia nox advenerat, Alypius imperavit, ut ignes accenderentur in summo monte et tuba canerent, ut dispersi colligerentur. Persarum vero duces circum vicum „Tel-Besme" versabantur, qui ab oppido Mardîn ad occidentem versus quadraginta quinque circiter milliariis distat; qui cum ignes conspexissent et sonum tubarum audivissent, cunctis copiis coactis profecti sunt. Romanorum equites, Persarum numerum maiorem esse cognoscentes, terga verterunt; pedites autem cum effugere non possent, aciem instruxerunt; vinea quae dicitur facta diu atrociter decertarunt. Sed cum Persae ab Hunnis Arabibusque adiuti numero Romanos longe superarent, acies Romanorum perturbata et perrupta est. Milites ab equitibus prostrati et ungulis equorum Arabum contusi sunt. Quo factum est, ut multi Romani interficerentur vel cape-

1) Olympius apud Iosuam quae nominis forma cum vera propter syriarum litterarum notas saepissime confunditur.

rentur, inter quos Alypius ipse erat, quem apud Persas captivum mortuum esse constat (Iosua 80, Theoph. p. 148, 26).

En hoc modo Persae in universum vincentes Romanos et Amida, opulentissima urbe, diuturna oppugnatione et magna Mesopotamiae parte praecipiti ingressu privaverunt, priusquam illi succurrerent.

II 2.

Age vero iam ad alteram belli partem transeamus tractandam, in qua Anastasius magno misso exercitu arma restituere frustra conatus est.

Cavades igitur, cum ex Amida capta[1]) recederet, Rufinum per diuturnam Amidae obsidionem retentum dimisit, qui Anastasium certiorem faceret, quae facta essent. Ubique igitur itineris de insatiabili Persarum crudelitate rettulit, ita ut illis nuntiis sollicitati multi Romanorum trans Euphratem aufugere pararent. Sed illustrissimus episcopus Batnarum Iacobus Sarugensis, qui multos libros ad illustrandam Sanctam Scripturam et carmina hymnosque de locustis et fame composuit (Iosua 54, Zacharias p. 103, 3), officio minime deerat; immo per litteras omnes Romanos adhortatus est, ne Deum se esse liberaturum desperantes ex Mesopotamia fugerent. — Quibus rebus cognitis Anastasius magnum exercitum misit, qui hiemando bellum continuaret.

Cum Iosua (54) Cavadem denuo ad Anastasium misisse narret, ut pecuniam quam ille deberet exigeret (id quod Anastasius sane tum renuit), inde intelleges priore belli tempore id tantum egisse Persarum regem ut confinia Romana vastarentur. Quin etiam cum Edessam obsideret et turmae Persarum regiones Syriae ipsas depopularentur, Areobindo pacem obtulit, si pecuniae solverentur (Theoph. p. 147, 4). Iam vero illam Cavadis legationem fictam esse minime putandum esse inde manifestum est, quod recte rationi temporum inserta est: nimirum mense Aprili anni 503 legationem missam esse Iosua refert. Sed Anastasius pecuniam ne solveret recusavit; immo Persis bellum paravit, ut, quiqui Romanorum perierant, ulcisceretur. Itaque mense Maio[2]) Anastasius magnum exercitum misit, cui tres summi duces Areobindus, Patricius, Hypatius, viri praeclarissimi, praeerant. A r e o b i n d u s, qui tum magister militum per orientem erat, clarissima gente oriundus fuit: pater

1) Procopius errasse putandus est, cum scriberet (p. 36, 15): . . *Ἀναστάσιος πολιορκεῖσθαι μαθὼν Ἄμιδαν στράτευμα . . . ἔπεμψεν.*

2) Aestate advenisse Romanos recte igitur Zacharias (p. 111, 28) refert.

erat Dagalaiphus, mater Godisthea, filia Ardaburii, qui filius erat Asparis; avus Areobindus ille vir praestantissimus, qui Theodosio Minore imperante cum Persis prospere bellarat; ipse gener Olybrii, qui imperium occidentis obtinuerat. Patricius, natione Phryx, bello spectatissimus, magister militum in praesenti fuit. Eodem ordine fuit Hypatius, filius Secundini et sororis Anastasii imperatoris. Praeter hos, qui soli summam imperii obtinuisse a Iosua (54) Marcellino Comite (503) Ioanne Malala (p. 398, 18) dicuntur, complures duces nominantur: Iustinus comes, qui post Anastasium purpuram induit (Iosua 81; Zacharias p. 111, 32; 138, 13; Procopius p. 37, 1), Patriciolus cum Vitaliano filio (Proc. p. 37, 2), qui autumno secuti esse a Iosua (60) narrantur, Pharesmanes, natione Colchus, Romanus, qui exercitui ab Euphratesia subsequebatur, Zemarchus, Theodorus, Nonnosus (Iosua 80), Petrus comes.

Sed Celer, magister officiorum, iam tum contra Persas missus sane perperam a Zacharia Procopioque dicitur: nam cum Procopius ipse (p. 38, 19) eo tempore, quo illi tres summi duces sua quisque castra posuerant, Celerem nondum advenisse, tum Iosua et Theophanes Celerem anno demum insequenti, nimirum hieme anni 503/4 ineunte, ab Anastasio missum esse plane testantur; quibus minime repugnat, quod Marcellinus Comes sub fine anni 503 narrat iam Celerem „in subsidium destinatum“ esse: nimirum Hypatium, quippe qui Areobindo (Theoph. p. 148, 3) infensus esset, ab Anastasio Cpolim revocatum esse, cuius in locum Celer suffectus est, ut Ioannes Malalas testatur. Etenim revera Iosua (57) Hypatium inde ab aestate anni 503 non iam una cum Patricio, qui solus fusus et fugatus est, bellantem dicit. Sed quo munere Celer per illum annum, quo iam destinatus esse dicitur, functus sit, enucleari non potest. — Haec autem hactenus; commeatui parando totius exercitus Appio hyparchus, natione Aegyptius, praefectus est, qui vir praestantissimus ordinis patricii, ab Anastasio per litteras consors imperii nominatus erat (Procopius p. 37, 18; Ioannes Lydus p. 104, 18); Appio Edessae munere fungens, cum panum militarium abundans copia a panificis coqui nequiret, omnibus incolis triticum distribui iussit, ut suo sumptu paxamenta efficerent. Iosua (54, 77, 87) solus numeris buccellatorum additis de re frumentaria compluribus locis refert, quae hoc loco complecti velim. Insequenti anno Appio (Theoph. p. 148, 2) Cpolim revocatus est; sed falso Theophanes nuntiat revocatum esse, quia Areobindo infensus esset; proximo enim anno Areobindum amicum aegre impedivit, quominus ira commotus Cpolim rediret, quod Patricius et Hypatius collegae

praesto non fuerunt (Theoph. p. 146, 22). Appionis igitur in locum Calliopius Beroeaeus hyparchus mense Maio anni 504 praefectus annonae et quaestor suffectus est (Iosua 70). Quin etiam Alexandrea subsidia commeatus attulit. Deinde Iosua (77) de Amida iterum obsessa referens nonnulla profert de ratione ac modo commeatus, qui Romanis large per totam Mesopotamiam parabatur. Porro (99) narratur, quibus condicionibus ab hyparcho, assentiente summo duce Celere, per litteras Anastasii admonitis, remissiones datae sint vectigalium. — Sed redeamus eo, unde huc sumus digressi: illi igitur tres duces exercitui magno[1]) peditum atque equitum praeerant, qui etiam ex nonnullis barbaris gentibus constabat, Thracibus, Bessis, Gothis (Theoph. p. 145, 17; Iosua 86, 93—96) sub Godidisclo et Bessa[2]), qui Theodoricum in Italiam ex Thracia profectum non secuti erant. Tantus igitur ac tam praeclarus exercitus ille a Procopio (p. 37, 10) laudatur, quo neque antea neque postea in Persas a Romanis maior coactus esse dicitur. Sed cum alii alia via in hostes lentius progrediebantur, tum duces summi discordia et invidia disiuncti cum Persis conflixerunt qui more maiorum praecipiti impetu ingressi audito nuntio Romanos progredi praeda onusti celerrime recesserunt. Quocirca Areobindus in confinio, Patricius et Hypatius non procul ab Amida castra posuerunt; quorum quae quisque effecerit separatim exponantur.

Atque Areobindi[3]) primum facta varia ratione ita recensita sunt, prout ipse ab auctoribus iudicatus est. Areobindus, qui in finibus inter Daram et Ammudiam (Iosua 54) adversus Nisibin cum Romano duce et Asuade, regulo Arabum (Theoph. p. 146, 9), vel apud „Arzam“ (Proc. p. 38, 16; Zach. p. 112, 31) ad quadragesimum fere milliarium a Dara vico ad occidentem sitam, castra posuerat, exercitum, qui viginti milium Persarum fuisse dicitur, perturbatum sub Nisibin reppulit, ut multi fugientium in portis ipsis coacervati perirent (Iosua 55). Quamvis Nisibeni cum Romanis congruerent, illa urbs capi tamen non potuit (Zacharias p. 112, 26). Areobindi quidem victoriae testimonium affert Theophanes (p. 146, 14) gladium et armillam principis Persarum a Scytha, qui illum trucidarat, Areobindo tradita ad imperatorem missa esse ut victoriae signum. Sed Romanos, quamquam Nisibin expugnare non poterant, tamen in Persarum regnum longe irrupisse reiciendum est

1) Cf. supra p. 154. 2) Pauly-Wissowa s. v. Bessas.

3) Illis verbis, quae Iacobus Haury (l. l. p. 24—26) de Areobindo fecit, quamquam in universum comprobo, adduci tamen nequeo quin arbitrer de Areobindo a Procopio haud satis iuste iudicatum esse.

iam ea de causa, quod et mense Maio ab Anastasio exercitum missum et mense Iulio Persas una cum Hunnis Arabibusque duce Constantino in Romanos profectos esse constat. — Per exploratores certior factus Areobindus Calliopium Beroeaeum ad Patricium et Hypatium misit, qui celerrime e regione Amidae succurrerent. Illi vero cum invidia renuissent, Areobindus, cum Persas se non repulsurum esse intellexisset, quin Cpolim rediret, vix ab Appione impeditus est. Discordia igitur ducum Romanorum usus Cavades, cum Nisibin pervenisset, in fines Romanorum copiis divisis iterum irrupit (Theoph. p. 147, 1). Areobindus, cum Persis resistere non posset, e castris fugit vixque Constantinam et Edessam elapsus est (Iosua 55).

Interea Patricius et Hypatius contra Amidam castra[1]) posuerant, quae urbs segniter oppugnabatur. Iosua (56) et Zacharias (p. 111, 33 sqq.) narrant Romanos turribus et cuniculis variisque machinis urbem capere conatos esse; etiam urbis portam, quae domus Zeorae dicitur, incenderunt, per quam ingrederentur; sed Romani certiores facti de eis quae in confinio evenerunt, turres recens exstructas incenderunt et inde ab Amida profecti sunt. Verum interea Areobindus a Cavade ipso fugatus ad occidentem fugerat, id quod Patricius comperire nondum potuit. — Hypatius, de quo ab hoc tempore nondum agitur, tunc ipsum Cpolim revocatus esse putandus est. — Patricius igitur ab Amida ad regionem inter ortum brumalem et meridiem spectantem adversus Persas profectus est. In regione Apadnae[2]) proelium initum est, de quo duae extant narrationes, quae quidem non ad idem tempus referendae sunt. Atque Procopii (p. 39, 2—40, 2) quidem narrationem breviter exponamus: Romani primum agmen Persarum, octingentos Hunnos, conciderunt; neque suspicati Persas in propinquo esse Romani remissi, quippe victores, quieti se dabant. Cavades clade Hunnorum accepta, cum ex aqua rivi praeterfluentis cruenta cognovisset Romanos carnes recentes, quas comesuri essent, purgare, inopinantes vehementer aggressus est; quantum quisque poterat, Romani fugerunt: alii trucidati, alii de monte imminente quo evaserant detrusi sunt. Iosua quidem de hac pugna verba haec facit: Romanorum, dum in itinere ipso aciem

1) In errorem incidisse Procopius videtur, qui inde quod apud castellum Siphrin illi duces sunt fugati, conclusisse videtur eos illic castra posuisse (p. 38, 18).

2) Opadna (Iosua 57) vel Apadna (Proc. de aed. p. 223, 11) in remotiore Amidae regione fuit; nostra aetate Tel 'Abad in monte Masio, id quod Georgius Hoffmann comprobavit.

instruunt, agmen primum a Persis fugatum est. Repulsi aciem Romanorum perturbarunt, ut cuncti primo impetu fugae se darent. Patricius inter primos fugientium erat, ut Iosua et Procopius inter se consentiunt. Tanta clade ille exercitus Romanorum affectus est, ut summus dux Patricius trans Euphratem Samosatam aufugeret. Sed unus e ducibus Romanorum, Petrus comes, ad castellum Siphrin (quod a Iosua „Aspharin", a Marcellino Comite „Syficum" vocatur) se recepit. Incolae metu perterriti, ne Persae se ulciscerentur, castellum tradiderunt: quo factum est, ut Petrus comes caperetur, quem paulo post ante Constantinam (Iosua 58) captivum et in Persarum potestate, donec de pace ageretur, retentum (Iosua 80) esse invenies. Persae igitur milites Romanos trucidarunt, incolis vero castelli pepercerunt.

Tum Cavades adversus Areobindum Edessam proficisci in animo habebat; sed a Namano, regulo Arabum Hirensium, impeditus est; nam monuit antea Arabas imperii Romanorum, nomine Thalabitas, Hiram profectos gregem camelorum res pretiosas eo apportantium cepisse; Hiram vero ipsam, cum in regione desertissima Arabiae sita longius distaret, adoriri non potuisse (Iosua 57). — Sed Namani cliens quidam, qui Christianam profitebatur fidem, Cavadem hortatus est, ne Edessam oppugnaret, utpote qua ab urbe Christus ipse hostes quosvis se defensurum esse Abgaro[1]), toparchae Edessae, rite promisisset. Quibus verbis inflammatus Christum Namanus ita irrisit, ut vulnere capitis recrudescente, sicut Iosua pie adnotat, post biduum moreretur; cuius in loco Cavades alium constituit regulum.

Edessam igitur profectus Cavades Constantinam ex itinere capere sibi proposuit. Atque Iudaei quidem illius urbis inter se coniuraverunt urbem sese Cavadi esse prodituros; sub turri synagogae, quam custodire iussi erant, cavamine suffosso Persas clam admonuerunt, ut ipsi quoque foris suffoderent et urbem intrarent. Quae perscrutatus Petrus comes captivus a custodibus impetravit, ut prope moenia adduceretur; vestimenta ac variae res, quas in urbe reliquisset, a Constantinensibus ut sibi redderentur, se petiturum esse. Quod cum impetrasset et muros prope accessisset, militibus Romanis, qui in vallo erant, imperavit, ut Leontium comitem, qui tum urbi praefectus erat, arcesserent. Qui ubi cum ducibus advenit, sermone Romano, quid Iudaei molirentur, Petrus aperuit. Ne Persis in suspicionem veniret neve de proditione Iu-

1) R. A. Lipsius, Die edessenische Abgar-Sage; p. 17, 19.

daeorum coniectarent, petivit, ut crepidas sibi darent. Ac primum quidem in Petrum se irasci simulabant; tum vero bracas de vallo deiecerunt, quandoquidem ei vestimentis opus erat. Quo facto Romani, cum vallo descendissent, tamquam si de proditione Iudaeorum nihil scirent neque locum novissent, totius valli fundamenta explorabant, num munitionis indigeret. Ita fecerunt, ne Persae suspicerent Petrum aperuisse neve peius eum tractarent. Postremo cum ad locum venissent, qui Iudaeis commissus erat, reppererunt suffossum esse et media in turri magnum cavum esse, sicuti certiores facti erant. Quae cum Romani vidissent, per totam urbem in Iudaeos crudelissime consuluerunt: quicunque Iudaeorum, viri ac feminae, senes atque infantes comprehensi erant, trucidabantur. Complures dies saeviebant atque vix destiterunt tandem permoti iussu Leontii comitis et precibus sancti Barhadadis.

Tum vero dies noctesque Romani urbem diligentissime custodiebant: sanctus Barhadades ipse excubias visebat eisque benedicebat et militibus ac moenibus aquam sacram aspergebat; etiam sacram cenam secum ferebat, ne stationibus cederent, cum communionis participes fieri cuperent. Is igitur strenuo animo ac fidenti Cavadem adiit, ut eum placaret. Cavades gravitate sancti commotus, cum vigilantiam Romanorum perspexisset, minime e re esse ante Constantinam segniter cum omni exercitu perseverare intellexit. Itaque cum victu regione pervastata careret, et Romanorum duces ne copiis collectis se aggrederentur, metueret, celeriter sub fine mensis Augusti Edessam versus profectus ad fluvium Gallab in viginti fere dies castra posuit (Iosua 58).

Nonnulli deinde fortiores Persarum regionem Edessenam pervagantes vastarunt. Abhinc Iosua (59 sqq.) solus — fuit enim testis oculatus — describit, quae Edesseni ad oppugnandam urbem parabant. — Die sexto mensis Septembris Edesseni omnia monasteria et deversoria, quae prope vallum erant, destruxerunt et vicum, cui nomen est Kĕphar Ṣĕlem vel Negbath, incenderunt; omnem sepem hortorum vepremque et nemora suburbana resecuerunt arboresque hortorum succiderunt. Ossa omnium martyrum Edessam detulerunt; moenibus machinas imposuerunt stragulaque capillata pinnis muri alligarunt. Die nono mensis Septembris Cavades nuntium ad Areobindum misit, ut aut in urbem ducem admitteret aut ad se ipse in planitiem descenderet, cum pactionem facere cuperet. Sed copiis clam Cavades imperavit, ut, si Areobindus urbis intrandae facultatem dedisset, porta potirentur, donec ipse sequeretur, aut, si Areobindus urbe exiret, ex insidiis erumperent captumque vivum

sibi adducerent. Areobindus vero, ne Persis aditum urbis permitteret, veritus ipse urbe egressus apud ecclesiam S. Sergii substitit. Tum Bàvi, qui magister militum[1]) Persarum erat, cum Areobindum adisset, quae Cavades mandarat, exposuit: si pacem vellet, decem milia librarum auri daret et foedere facto fidem et iusiurandum daret pecuniam, quae solvi soleret, singulis annis se soluturum esse. Cum Areobindus septem fere milia librarum se daturum esse promitteret, Persae renuerunt: inde a prima luce usque ad nonam horam inter se altercati sunt. Sed Persae, cum prae vigilantia Romanorum Areobindum ut caperent, id quod sibi perfide proposuerant, perficere non possent, Edessa digressi Carras profecti sunt. — Arabas omnes Sarugum Cavades praemisit, quos Rifita, qui Carris praefectus erat, cum clam urbe erupisset, adortus est et sexaginta equitibus occisis regulum Hunnorum cepit. Cavades, apud quem magno honore regulus ille florebat, Carrenis, si vivum ultro traderent, bellum se non illaturum esse promisit: timore belli perterriti Carreni ducem Hunnorum dediderunt et insuper mille quingentos arietes aliasque res pretiosas miserunt. Sed Arabes Persici porro usque ad Euphratem omnia diruendo, vastando, capiendo, quod poterant, pervagati sunt. Patriciolus, dux Romanorum, cum filio Vitaliano, qui tunc ipsum, ut bello gerendo interessent, ab occidente advenerunt, admodum certis animis et audacibus, utpote qui nondum rebus ipsis interfuissent, Euphratem transgressi cum duce quodam Persarum acie conflixerunt omnesque qui cum eo erant trucidarunt. Deinde cum Edessam profecturi urbem a Cavade oppugnari per fugitivos audivissent, Euphratem transgressi Samosatam se receperunt.

Tum Iosua (60) ad Edessae alteram oppugnationem transit, qua in enarranda quamquam ipse spectator ac testis oculatus accuratissime refert, tamen quaedam ad exempla formata esse videntur illius de Christo Abgaroque piae fabulae. —

Die septimo decimo mensis Septembris Cavades cum omnibus copiis ab Euphrate profectus ante Edessam amplissima castra posuit; nimirum Persarum castra ab ecclesia S. S. Cosmae et Damiani in parte fere septentrionali sita per omnes hortos et ecclesiam S. Sergii et vicum Bekîn usque ad ecclesiam confessorum, quae est in regione Edessae brumali ac meridionali, longe lateque distenta

1) sermone Persarum: spahpat, quod verbum sermoni Romanorum accommodatum Procopio: Ἀσπέβεδος, Theophani: Ἀσπέτιος fit. Syri commutaverunt in astabîd (Wright, adn. p. 50). Procopii formam Aspebedi, quae vocabulo Persico simillima esse videtur, recipio. Cfr. Th. Nöldeke Tabari p. 444.

erant usque ad vici Ṣerrin loca editiora. Ingens igitur exercitus planitiem ad orientem spectantem opplebat, praeterea stationes custodiaeque in montibus occidentalibus dispositae erant. Quamquam portae urbis patebant, tamen, ut Iosua pie refert, Persae ingredi non poterant propter Christi benedictionem. Post nonam demum horam pauci urbe egressi, nullo nimirum ipsorum amisso, multos Persas fundis lapidibusque occiderunt, ut Persae a vallo recederent et iuxta vicum Kubbê castra moverent!

Insequenti die Areobindus ipse e magna porta egressus militibus ex adverso positis nuntium ad Cavadem misit: num ipse expertus sit, urbem Edessam neque Cavadis neque Anastasii esse, sed Christi? Sed Cavades respondit, obsides Areobindus daret, ne, dum castra moverentur, Persas persequeretur; praeterea si reddidisset, qui die proximo capti essent, et aurum expenderet, quod quidem solvendum esse inter ipsos convenisset, ab urbe se recessurum esse.

Areobindus igitur obside Basilio comite (Iosua 61, Theoph. p. 147, 10) et illis captivis traditis pactionem fecit, ut post duodecimum abhinc diem duo milia auri librarum solveret. Tum recedens Cavades in vicum Dahbanâ Carras versus castra transtulit. Sed insequenti die Cavades pactionem rumpens Hormizdam ad Areobindum misit, qui trecentas libras auri statim afferret. Areobindus igitur nobiles Edessenos convocavit, ut deliberarent, quomodo illa summa colligenda esset. Sed Edesseni nimis confidenter pecuniam solvere Cavadi renuerunt, quod pactionem rupisset. Areobindus igitur, quid Edesseni de pecunia solvenda sentirent, Cavadi nuntiavit; quin etiam Basilium redderet ultroque liceret acerrime invehi in Edessam, cuius urbis patronus Christus ipse esset!

Quibus verbis auditis Cavades ira inflammatus elephantis, qui praesto erant, armatis die vicesimo quarto mensis Septembris cum omnibus copiis rursus ante Edessam castra posuit, quibus urbs plane circumdabatur. Sed Persae, cum urbem capere non possent, ecclesias suburbanas ac monasteria, quae quidem iam integra erant, incenderunt. Cavade igitur obsidione Edessae desistente Areobindus paganis quibusdam strenue pro urbe propugnantibus trecentos denarios donavit (Iosua 63).

Sed hic tandem aliquando subsistamus: nam tuo iure fortasse iam dudum aegre tulisti, quod illas de Edessa obsessa narratiunculas protuli; sed consilio id feci, nimirum et quia haec Iosua solus, ut erat spectator ac testis, uberrime refert, et quia, id quod gravius est, singulae narratiunculae tenui ut ita dicam fuco oblitae sunt. Etenim res ipsae haud difficiles sunt perspectu: Per-

sae usque ad Euphratem quoad longissime omnia vastarant, acie omnes exercitus Romanorum devicerant; nonnisi urbes munitissimae, velut Constantina, turmis Persarum restiterunt. Atque Edessa quidem, quippe quae urbs Osroenes Romanis bellantibus summi momenti esset, Persis imprimis expetenda visa est. Cavades tamen, cum urbem de improviso capere non posset neque haberet, unde regione pervastata rei frumentariae prospiceret ad diuturnam Edessae obsidionem, oppugnatione se destiturum esse promisit ea condicione, ut pecunia satis magna solveretur. Quae si consideraveris, intelleges, cur Cavades intra perpaucos dies ab exigendis decem milibus auri librarum ad duo milia, quin etiam ad trecentas libras quam celerrime solvendas descendere decreverit.

Areobindus igitur, cum Cavadem diu Edessam oppugnare non posse perspexisset, proelium cum Persarum ingenti exercitu minime iniit. Quae Iosua tamen ut monachus ad Christi illam benedictionem pie refert. Tamen adnotetur, quanti opinione volgi illud vaticinium sit aestimatum. Sed quod Cavades inde ab Edessa recessit, Theophanes (p. 147, 8) amplificat et auget Persas ab Areobindo fugatos esse, ita ut Cavades obsides Areobindo dederet; immo, edictum enim erat, ne quis cum Persis pugnaret; addas, quod Romani obsidibus traditis sane satis habebant, si Cavades Edessa digrederetur.

Sed iam est in eo, ut res ipsas gestas exponere pergamus: Cavades igitur inde ab Edessa Euphratem versus profectus Anastasio se mox esse venturum Cpolim nuntiavit, ut Iosua (63) salse adnotat. Atque Arabes quidem transgressi Euphratem regiones Syriae pervastarunt. Pars equitum Persarum Batnas, quod oppidum itinere unius diei (Procopius p. 208, 24) occidentem versus Edessa distat, moenibus ruina prolapsis facile ceperunt.

Tunc quidem ab Anastasio missus Celer, magister officiorum, cum exercitu, quantus parari poterat, rebus gerendis ipsis intervenit; una cum Areobindo summam imperii suscepit (Theoph. p. 148, 1). Quae cum audivisset Cavades secundo Euphrate flumine iter faciens in provinciam Aramaeam regni sui contendit; cum Callinico[1]) oppido appropinquasset, unum ex ducibus misit, qui oppidum adoreretur. Sed dux Timostratus, vir fortissimus, qui iam proxima aestate Arabas Persicos usque ad fluvium Chaboram invadentes fugaverat (Iosua 57), Callinico egressus cuncta manu occisa ducem Persarum vivum cepit. Cavades, cum ante moenia copias

1) Cf. etiam Marcellinum Comitem ad. ann. 504.

instruxisset, nisi captivus restitueretur, urbem funditus se eversurum esse cunctosque sub corona venditurum minitatus est: tantus timor pavorque Romanos invasit, ut statim ille dux redderetur.

Sed Celer, cum Hierapolim pervenisset, nuntio accepto Cavadem castra movisse neque iam peti posse, ducum convocatorum ignaviam invidiamque increpuit; praeterea praecepit, qua cuique ducum in urbe hiemandum esset, ita ut duces in diversas urbes Euphratesiae, Osroenes, Mesopotamiae, Syriae, Armeniae distribuerentur (Iosua 65; Theoph. p. 147, 14 sqq.).

Die vicesimo quinto mensis Decembris edictum Anastasii publici iuris factum est, ut per totam Mesopotamiam pervastatam vectigalia remitterentur (Iosua 66).

Sed haec hactenus: hucusque in bello exponendo quandoquidem pervenimus, quaenam tandem perfecta sint, respicientibus comprobatur anno belli etiam altero Romanos, nisi quod urbes obtinuerunt, secundo Marte non bellasse. Verum enimvero concedendum est res praecipue ea de causa prospere a Romanis gestas non esse, quod summa imperii non penes unum erat; atque extiterunt qui[1]) putarent Anastasium consilio summam imperii non uni commisisse, nimirum metu perterritus, ne ille summus dux, si vicisset, nimis valeret, ita ut imperator ipse in discrimen vocari posset. Quae sententia quamquam fontium auctoritate non firmatur, tamen eo stabiliri potest, quod etiam insequenti anno Celer et Areobindus summam imperii in promiscuo habuisse dicuntur; sed revera Celerem rectorem ac gubernatorem belli fuisse rebus ipsis explicandis elucebit. (Manifestum igitur est Procopium errasse, cum Areobindum Cpolim revocatum esse ⟨p. 40, 18⟩ scriberet). At dixerit quispiam Theophanem Areobindum nimis collaudasse; sane — sed Iosua nuntiat (75) Areobindum insequenti anno Armeniam Persis subditam populando invasisse, tum (87) Antiochiae hiemasse. Neque vero Areobindum, sed Hypatium Cpolim revocatum esse iam supra (p. 177; 179) demonstravimus; cuius in locum Pharesmanem bello spectatissimum anno 505 successisse Iosua (88) refert.

1) G. F. Hertzberg, Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer III p. 468. J. B. Bury, a history of the later roman empire I p. 294.

II 3.

Iam vero accedamus ad tertiam partem belli Persici exponendam, qua Celer audacter aggressus Persas etiam domesticis bellis atque calamitatibus afflictos devicit et pax convenit.

Celer igitur, magister officiorum, vir fortissimus, natione Illyrius, ex qua gente Anastasius ipse oriundus fuit (Theoph. p. 148, 10), arma Romanorum tum restituit. Sed priusquam pergamus, ea, quae adhuc dedimus, paucis complectenda sunt et repetenda quae supra de Celere monuimus. Celer cum reliquis ducibus bello administrando quamquam destinatus erat, tamen aliqua de causa serius aliquanto missus est; quo factum est, ut hieme iam ineunte bello gerendo interveniret. Atque quamquam ne tum quidem, cum Celer advenisset, summa imperii astricte agitabatur (Proc. p. 40, 8), tamen strenue saltem gestum atque ad artem rationemque bellum inde redactum est.

Atque hieme quidem prospere ante Amidam a Romanis pugnatum est (Iosua 66). Persae enim, cum Romani obsidione destitissent ac longe abiissent, quasi in pace portis apertis frequentem cuiusvis rei mercatum habebant (Iosua 66; Zacharias p. 114, 1—11). Quibus rebus cognitis Patricius, qui Melitenae hiemabat, profectus cum sub Amidam pervenisset, mercatores frumenta et oleum apportantes et Persas, qui, ut Amidae rei frumentariae providerent, a Cavade missi erant, cepit secumque abduxit. Quae ubi audivit Cavades, ducem misit, qui Romanos ulcisceretur. Cum iam in eo esset, ut exercitus manus inter se consererent, Romani, utpote qui antea a Persis fugati essent, Patricio ut fugeret, suadebant; ac primum quidem obsecutus est. Sed Romani, cum non haberent, quo raptim confugerent, tumido fluvio Kallaṭ ne porro praecipitarent, impediti sunt. Tum demum Patricius ipse confirmatus Romanos adhortatus est, ne tot tantasque ignominias iniquitatesque signorum perpeterentur. Quibus verbis commoti et paene in flumen detrusi eo fortius dimicantes, quo magis desperarent salutem, signa in Persas converterunt, ut Persae partim salutem fugae darent, partim caperentur. Quo facto cum Romani ante Amidam revertissent, Patricius opifices ex oppidis vicisque collectos cuniculum in vallum hostium agere, ut corrueret, iussit.

Tum Iosua (67, 68) miram profert narratiunculam litteris ipsis allatis ovum anseris Zeugmate partum esse, cui inscriptum sit Romanos victuros esse: nimirum illa narratiuncula testimonio

est tum ipsum, cum Romani secundo Marte tandem aliquando pugnare coepissent, omnem spem in victoria positam esse.

Etenim Romani vere anni 504 copiis collectis apud Resaïnam castra fecerunt (Iosua 69). Cavades contra Amidam rursus magnum exercitum, qui decem fere milium equitum fuisse a Iosua dicitur, misit, qui Nisibi morati pecora et armenta in montem Singaram pastum agebant. Quibus rebus cognitis Celer Timostratum, ducem Callinici, cum sex milibus equitum misit, qui pastores occideret. Ille igitur equis ovibus magna praeda abactis Resaïnam revertit.

Deinde Romani omnibus copiis Amidam profecti sunt (Iosua 69) re perspecta atque cognita, dum Cavades ipse acie non devictus esset, fore ut Amida demum capta Romani proficerent. Iam hieme Patricius Amidae obsidionem intulerat (Proc. p. 40, 20: *χειμῶνος ὥρᾳ*), quae quidem oppugnatio segnior fuit quam proximi anni (Iosua 56), et Persas auxilio appropinquantes fugaverat (cf. p. 186). Sed e re esse puto, quaecunque de Amida iterum per annum strenue obsessa traduntur, separatim tractari; nonnulla igitur similia exponuntur eorum quae iam in Amidae primum oppugnatae narratione prolata erant.

En haec audias verba Iosuae (71, 72), qui accuratissime certas res quasdam depingit: Ubi cavamine sub vallum perventum est, Patricius cuniculum trabibus fulciri et incendia parari iussit, ita ut exterior pars valli solveretur ac corrueret, interior servaretur. Sed porro fodi iussit, ut Romanorum alii per cuniculum intrarent, alii muros ascenderent. Iam igitur erat in eo, ut vallum Romani ascendere coepissent, cum mulier quaedam Amidena laeta Romanos urbem intrare conclamaret. Quo audito Persae concurrere, primum ascendentium percutere. Post quem Gothus quidam ascendens tres illorum Persarum percussit; sed quoniam nemo Romanorum sequi ausus est, consilio se recipiendi capto, cum corpus illius occisi Romani, ne a Persis flagitiis dedecoraretur, secum tracturus esset, a Persis trucidatus est; illi autem aquam ex magno propinquo puteo in fossam derivaverunt, ita ut Romanorum quattuor ferrati cum ascenderent, aquis submergerentur, reliqui aufugerent. Persae igitur lapidibus humoque cuniculum obturaverunt circaque custodiebant, ne usquam suffoderetur; praeterea intra vallum fodinam effoderunt aquaque opplerunt, ut cuniculus, si quem Romani agerent, aqua percolante innotesceret. Quibus rebus per transfugam cognitis Patricius a cuniculis agendis destitit.

Alteram deinceps rem Amidae oppugnatae Iosua (72) describit:

cum omnis Romanorum exercitus castris se teneret, proelium hoc modo coortum est: puer quondam pascebat camelos et asinos, e quibus unus herbas depascens paulatim ad vallum proxime accessit, ita ut ille puer reducere vereretur. Quae ubi vidit Persa quidam rudente de vallo se demisit, ut illam pecudem comprehenderet concisamque secum efferret: nam in urbe caro deesse iam coeperat. Sed Romanorum miles quidam natione Galilaeus armatus accurrit, ut Persam descendentem necaret; qui cum prope vallum accessisset, saxum de vallo deiectum est, ut Galilaeus ille percuteretur; Persa interim rudente ascendebat. Sed cum ad medium vallum escendisset, unus e Romanorum ducibus cum duobus armigeris praeeuntibus cum appropinquasset, Persam sagitta icit et perfodit, ut iuxta Galilaeum decideret. Inde undique iracunde ac rabide ad arma conclamatum est: Romanorum plures interfecti et vulnerati sunt quam Persarum, quippe qui aediculis in summo vallo exstructis delitescentes tela in Romanos deicerent. — Duces igitur Romani, cum cognovissent Amidam vallo validissimo munitam (Iosua 80; Theoph. p. 148, 21) vi capturos sese non esse, urbem fame expugnare constituerunt (Proc. p. 40, 21): edictum igitur est, ne quis iniussu pugnaret. Itaque ceteri Romanorum duces fines Persarum invaserunt: Celer in Persida ipsam, Areobindus in Armeniam Persis subditam omnia vastantes irruperunt. Patricius solus Amidam obsidere perrexit (Iosua 75). Huic loco Iosua inseruit narrationem Gaïnae, ducis Arabum, qui fortiter in Amidenos pugnans, cum nimis caleret, lorica paulum relaxata transfixus sagitta est, ut moreretur.

Interea fames Amidae, quippe quae urbs iam inde ab hieme obsideretur, in dies gliscebat. Iosua (76, 77) et Zacharias (p. 114) inter se consentiunt famem ad tam taetram immanemque diritatem progressam esse, ut uterque illorum auctorum iterum iterumque affirmet narrationibus, quae proferuntur, quamvis sane addubitaverit quis, tamen summam fidem esse habendam.

Illi enim pauci nobiles et miselli Romanorum, qui caedem a Cavade factam fugerant, Persis admodum odiosi erant; timebant enim, ne per illos Romanos fames praeter rem augeretur neve urbs ipsa proderetur. Itaque omnes comprehensi in circo inclusi sunt, ut fame et vinculis oppressi perirent. Quae Iosuae verba complentur narratione Zachariae (p. 114, 15), qui numerum in circo vinctorum decem fere milia sane nimis adauctum profert. Alii mortui sunt, alii fame insani facti excrementa ipsorum vorabant et urinam bibebant, ut postremo alter alterum peteret (cf. Proc. p. 44, 23). Denique reliqui tamquam mortui ex sepulcris dimissi sunt. Quin

etiam feminae inter se coniuraverunt viros opprimere et iugulare, ut carnem corporum vorarent. Atque Iosuae exponamus narrationem, quae uberior est quam quae a Zacharia profertur. Cum iam in eo esset, ut Amideni summa inopia affligerentur ac paene opprimerentur, multae fame vesana efferatae feminae inter se coniuraverunt communi consilio, si cui vel mulierum vel infantium vel hominum per vias mane ac vespere ambulantes occurrerent, in aliquam domum se abstracturas esse, ubi illum necarent eiusque carnes tostas vel assatas vorarent et absumerent. Quae ubi odore torrendi innotuerunt, dux, qui ibi praeerat, documentum illius cavendae immanitatis dedit eo, quod multas necandas curavit; sed qui iam necati erant, ut absumerentur, permisit; non inviti obsequebantur. Quin etiam alii calceos soleasque detritas et sordidas res lutoque inquinatas, quas per vias et cavaedia collegerant, absumebant. Romani vero obsidentes quovis commeatu abundabant.

Sed paulo supra refert Iosua (76), qui harum rerum solus auctor est, quo adducti sint Amideni, ut extremam sustentarent famem. Simulatque fames incidere coepit, Amideni feminis, quas initio quidem obsidionis, ut stuprarent, multo cibo iuverant et molere ac coquere iusserant, omnia alimenta subducebant. Nemini enim hominum in dies unius anni plus dabatur pugno hordei; neque caro neque vinum neque quicquam victus supererat.

Amideni, cum Romanos admodum metuerent, stationes nusquam relinquebant, sed fornaculas in vallo exstruebant et moles trusatiles secum ferebant. In vallo igitur suum quisque pugnum hordei molebat, coquebat, vorabat. Praeterea in alveis magnis depsendi humo oppletis, quos in pinnis moenium ponebant, olera serebant: quaecunque parce succreverant, milites statim absumebant.

Sed haec hactenus; interea Celer populabundus longe lateque Persarum regnum invaserat, ut Cavades, praesertim cum a barbaris irrumpentibus, inter quos Theophanes (p. 148, 15) Cadusios, Zacharias (p. 116, 31) Tamuraeos commemorat, paene opprimeretur, pacem offerre cogeretur.

Sed ad singula transeamus: belli vices igitur effectae sunt eo, quod Romani coeperunt bellum magis constanter ac strenue gerere. Celer, ut iam diximus, duces convocaverat; vere ineunte omnes duces communia castra apud Resaïnam, deinde omnes ante Amidam posuerant. Sed duces Romani, cum Amidam nisi fame sese non capturos esse intellexissent, interea Patricio in Amidae

obsidione perseverante complures incursiones in fines Persarum fecerunt. Atque primum de Celeris expeditione Iosua (75), Procopius (p. 40, 11 — 17), Marcellinus Comes (504), Theophanes (p. 148, 10—13) ita referunt, ut de singulis rebus non nimis inter illos auctores discrepet.

Celer igitur Nymphium fluvium, qui antiquitus fines Romanorum a Persarum seiungebat, prope Martyropolim praeterfluentem transgressus provinciam Arzanenen longe lateque pervastavit; „plurimos agrestes", ut Marcellini Comitis utar verbis, „rusticis intentos laboribus, more pecudum trucidat, pastores diversorum pecorum cum numerosa iumenta abducit, castella latere lutoque constructa invadit, usque ad pontem Ferreum sic nomine dictum cuncta vastando progreditur, omnique praeda potitus ad communia castra ditato milite remeat."

Haec quidem de Celere; eodem fere tempore, ut Iosua (75) solus refert, Areobindus Armeniam Persis subditam invasit. Persarum atque Armeniorum permulti occisi et capti sunt; deinde multis vicis direptis incensisque Romani ingentem numerum ovium, boum, equorum secum vi abducentes ante Amidam reverterunt. Quin etiam in tanta expeditione a Romanis Nisibis urbs ipsa paene capta est (Theoph. p. 148, 13). Iosua de hac re narratiunculam profert hanc: prope Nisibin Romani insidias pararunt, quibus magnus numerus Persarum fuga, quam pars Romanorum simulabat, allectorum perierunt. — Autumno iam eiusdem anni duces Romani iussi sunt Persarum regnum rursus invadere et quoad longissime funditus omnia pervastare.

Iam enim vere Cavades exercitum decem fere milium equitum in Romanos miserat, qui tamen diu Nisibi commorabantur (Iosua 69). Tum vero nuntio Amidam gravissime obsideri accepto illi Persae urbi succurrerunt, sicut putaverim; nimirum accedit ad hanc coniecturam stabiliendam, quod tunc ipsum temporis, aestate fere, Romani subita incursione Nisibin paene ceperunt. — Contra illos igitur equites Persarum duces Romani inde ab Amida profecti sunt. Tigrim flumen clam a tergo Persarum transgressi omnes illos Persas occiderunt. Tum Romani ferro ignique saeviebant: multos vicos incendebant, mulieres infantesque capiebant; quisquis sexus masculini annum duodecimum iam transierat, trucidabatur. Celer enim ipse acerrime id imperaverat; sin minus, unusquisque ducum, qui puero pepercisset, ipse ut trucidaretur edictum erat. Praeterea omnia aedificia incendere ac funditus evertere, neque non vites oleasque ceterasque arbores succidere duces iussi erant.

Hoc igitur modo cum Romani prospere rem gerere coepissent, extemplo ambigui dubiique reguli se ad Romanorum societatem quasi patronorum applicaverunt: Muschlek, Armeniorum, Adid, Arabum reguli, qui Persis subditi erant, cum omnibus copiis ad Romanos transierunt. Addas quod tum ipsum, nimirum aestate anni 504, Constantinus, cum Persas prospere bellaturos non esse intellexisset, ad Romanorum partes rediit (cf. p. 162).

Atque huic loco pauca verba de Arabibus inserenda sunt: Arabes, et qui Persis et qui Romanis subditi erant, haud minus amicorum quam hostium regiones vexarunt; dum Romani et Persae acerrime inter se manus conserunt, utrorumque terris vastitatem intulerunt.

Sed non modo a Romanis prospere bellantibus, verum etiam rebus adversis[1]), quibus regnum Persarum ipsum affligebatur, Cavades pacem facere coactus est. Iam altero anno belli Cavades, cum Patricium ita ut Samosatam aufugeret devicisset, nuntio Hunnos regnum Persarum invasisse accepto cum omni exercitu rediit, ut in septentrionali parte regni cum Hunnis confligeret. At, dixerit quispiam, Theophanem iam sequamur barbaras gentes, nimirum Cadusios, paulo ante bellum confectum invasisse dicentem, illam vero Procopii (p. 40, 2—6) narrationem, utpote quae non in tempore prolata sit, reiciamus! Sane — atqui, si ita placet, haec perpendamus: eodem anno, quo Patricium fugavit, Cavades Constantinam et Edessam obsedit et hieme iam ineunte in Persida rediit. Sed si illam Procopii narrationem suo loco insertam esse putamus, iam alii rei lux aliqua affertur: Cavadem enim ea de causa, quod rei frumentariae prospicere non poterat, obsidione Edessae destitisse iam supra exposuimus; quae admodum confirmantur, si comprobas, quod tunc fere temporis nuntius Hunnos regnum Persarum invasisse allatus est. Etenim revera Cavadem diu in suo regno bellasse vel inde palam fit, quod tertio belli anno Cavades ipse bello gerendo non iam intervenit; neque Iosua neque ceteri auctores Cavadem ipsum, ex quo tempore Celer rebus gerendis intervenit, cum Romanis confligentem faciunt: mittit exercitum, qui Amidam obsidione eximat, mittit Aspebedum, qui de pace agat; quin etiam pace cum Romanis facta prohibere non potuit, quin Dara a Romanis foedere pacis quasi rupto muniretur.

Sed eo, unde huc sumus digressi, revertamur. Cavades igitur, cum neque Amidam liberaturum neque iam acie Romanos se de-

1) inter quas Theophanes p. 148, 20 solus famem dicit.

victurum esse intellexisset, Aspebedum ad Celerem de pace misit cum viginti fere milibus militum (Iosua 80); praeterea omnes nobiliore loco oriundos misit, quos ab Amida capta abduxerat, et Petrum comitem, quem in castello Siphri ceperat, et Basilium, quem obsidem Edessenorum acceperat (Theoph. p. 148, 25); adiecit corpus Alypii, ducis Constantinae, qui primo belli anno captus in Persarum regno mortuus erat, in capulo obsignato: Alypii igitur servi prosequebantur, ut affirmarent eum nisi fato non obiisse mortem.

Celer illos excepit Edessamque misit praeter Cyrum, praefectum Amidae, et Petrum comitem, quibus magnopere irascebatur, quippe quorum inertia illa loca firmissima prodita essent. Aspebedus igitur Celerem oravit atque obsecravit, ut, qui Amidae inclusi essent, permutarentur eis, quos ipse attulisset. Deinde cum magister dixisset Amidam iam perituram esse Amidenosque servos fore Romanorum, Aspebedus repugnavit: quandoquidem Amideni iam sub Romanorum potestate essent, liceret sibi a servis famem arcere; sin minus, illos necaret. Itaque Aspebedus petivit, ut magister cum omnibus ducibus Romanorum iuraret, sacros fore, quos missurus esset. Omnes igitur iuraverunt praeter ducem Nonnosum, quem Celer reliquerat, ne iureiurando obstringeretur. Aspebedus ergo trecentos camelos onustos saccis panibus refertis misit, in quibus sagittae abditae erant. Quos Nonnosus invasit, occidit, cepit. Quam perfidiam cum Aspebedus quereretur, Celer istum punire iussus recusavit: prae multitudine militum Romanorum istum consceleratissimum inveniri non posse. Aspebedus, cum ulcisci non posset, pacem petiit.

Deinde hieme ineunte Romani praeda onusti castris discesserunt. Quae cum comperisset Aspebedus, nuntium ad Celerem misit: aut pacem faceret Persasque Amida egredi sineret aut bellum renovaret! Magister igitur Iustinum comitem copias colligere iussit; sed re infecta! Tum denique cum Celer plurimam copiarum partem abiisse cognovisset, pacto inito Persae Amida egressi sunt his condicionibus, ut pax ab Anastasio et Cavade comprobaretur atque sigillis obstringeretur, sin minus, ut denuo bellaretur.

Sed nunc regrediamur ad res iam paulo ante Amidae factas. Amidenis de obsidione nullo modo timentibus fames iam aestate coorta est, quae quantam ad diritatem sit progressa, enarravimus. Sed Amidenis omnibus copiis se abundare simulantibus bene contigisse, ut Romanos de labe ac pernicie plane celarent, Procopium (p. 41, 3—7) artibus rhetoricis imbutum nimis exornasse atque adauxisse quis est, quin videat? — Celer autem, cum disciplinam

militum hieme iam ineunte solvi ac relaxari vidisset et Aspebedum copias admovere audisset, ad pacem faciendam descendit; de pacis legibus collocutus est princeps praesidii Persarum, praefectus Amidae, filius Glonis, qui anno proximo, cum Amida segniter a Romanis obsideretur, insidiis perierat, qua de re supra accurate disseruimus. —

De condicionibus deditionis varia quidem, sed non nimis inter se discrepantia ab auctoribus proferuntur: mille libras auri exhibet Procopius (p. 41, 9), undecim centenaria auri Zacharias (p. 115, 4), tria talenta Theophanes (p. 148, 25), „immensum auri pondus“ Marcellinus Comes (503). Sed quod Zacharias narrat Pharesmanem munere pacis faciendae functum esse, ita explicandum est, ut Pharesmanem iussu Celeris egisse statuamus. Deinde Zacharias (p. 114, 31) singula de deditione ipsa Amidae profert: dum duces Romanorum ac Persarum in porta urbis sedent, Persae egressi sunt secum abducentes, quae quisque poterat, nullo perscrutante; sed si qui civium milites sequebantur, interrogabantur, ut, si vellent, remanerent, sin minus, cum Persis abscederent. Romani igitur urbem summo pretio redemerunt; duobus annis post quam a Persis capta est, a Romanis recuperata est (Procopius p. 44, 10).

Urbem Romani ingressi, cum septem maxime dierum victum superesse cognovissent (Proc. p. 44, 15), furore videlicet inflammati sunt, quod tantam pecuniam pro Amida extemplo peritura solvissent (cf. Marc Com.). Hoc modo quandoquidem de pacis initiis convenerat, Anastasius publicum mercatum et tabernas mercatorias cum aliis in oppidis tum Amidae instituenda curavit, ut Romanis non iam simultas cum Persis remaneret; atque Anastasius quidem ipse eximiis donis per Leonem quendam missis, inter quae aurea supellex erat, Cavadem amplissime donavit (Iosua 81).

Undique igitur victus Amidam apportatus est, quo in negotio permultos Edessenorum frumenta Amidam afferentium vi frigoris vehementissime vexatos et afflictos esse Iosua (82) non sine quadam acerbitate commemorat. Pharesmanes igitur Amidae prospiciens remansit, unde postea Daram exaedificandam interdum inspiceret. Anastasius Amidenis in septem annos vectigalia remisit (Proc. p. 36, 10; Zach. p. 115, 14); misericordia adductus Amidenos captivitate vexatos omni modo adiuvit; urbs ipsa ac moenia redintegrata ac renovata sunt. Imperator ipse et Flavianus, patriarcha Antiochenus, ecclesiam Amidenam amplissime donaverunt ac magnam pecuniam in pauperes distribuendam curaverunt. Eodem

loco (83) Iosua certas quasdam res profert, quomodo novo candidato episcopatus Amidenus mandatus sit. Nam Ioannes, praesul Amidenus, iam paulo ante Amidam a Persis oppugnatam mortuus erat (Zach. p. 106, 9); cuius in locum Nonnus ille vir impiger ac strenuus, qui sacerdos et oeconomus ecclesiae Amidenae fuerat, cum ex vinculis Persarum dimissus esset, a Flaviano institutus est.

Qui Thomam, chorepiscopum, et decurionem illustrissimum, ad Anastasium misit, ut auxilia impetraret et Amidenos, qui Cpoli erant, arcesseret. Anastasius vero Thomam ipsum episcopum Amidenum instituit; praeterea precibus eorum obsecutus praefectum, quem vellent, constituere permisit.

Sed de Amida hactenus; rerum inde ab indutiis compositis usque ad pacem gestarum Iosua solus auctor est: ac praeclaro quidem testimonio sapientissimi imperii Anastasii est, quod per totam Mesopotamiam vehementissime vexatam[1]) vectigalia remittebantur (Iosua 92, 93). Praeterea oppidis copia magnarum pecuniarum facta est velut ab Urbicio cubiculario (cf. Theoph. p. 127, 25), ministro Anastasii (Iosua 84, 87). Sed, id quod gravius erat, praesidia ac munimenta urbium restituta sunt: Eulogio, Edessae praefecto, ab Anastasio ducentae librae auri tradebantur, quibus exteriorem partem valli communiret, quod totam urbem circumdabat, et aquaeductus illos duos balneasque publicas redintegraret et palatium ipsius ac magnum Edessae vicum aedificaret. Idem Eulogius moenia Batnarum, quod oppidum ab Arabibus primo ipso impetu captum erat (Iosua 59), restituit (Iosua 89). Eadem referuntur de communitis Birta et Zeugmate, vicis non procul ab Euphrate sitis.

Sed de Gothis singula, quae Iosua (86, 93—96) spectator ac testis ipse non sine multa indignatione refert, permagni aestimanda sunt, praesertim cum ad consuetudinem vitae illius temporis cotidianae ac volgaris redacta sint. Illi enim Gothi, qui, cum mercenarii Romanorum in Persas dimicaturi missi essent, per regionem Edessae collocabantur, in omnes saeviebant: Mesopotamenos, quos a Persis defenderent, crescente licentia vexabant, acerbius quam si hostes essent. Pauperes homines ex fortunis ipsorum exiguis exturbabant; quaecunque nancisci poterant pecudum, copiarum, vestimentorum, arripiebant; per vias opprimebant, stuprabant, vi coge-

1) Tum bestiae, cum ingenti numero cadaverum pugnis peste fame absumptorum pellectae hominum corporibus vesci coepissent, vel petebant homines (Iosua 85).

bant; quin etiam in monasteriis, quamvis litteris imperatoriis sacrosancta essent, se collocabant. Neque aderant, qui licentiam militarem compescerent: nam nobiles ipsi largitionibus movebantur, ut milites per hospitia eorundem, cum a militum collocatione vacaverant, iterum deducerentur.

Ac tum quidem, cum vectigalia ab Anastasio remissa esse innotesceret, quanquam omnes laetabantur, tamen illi miselli quippe Gothorum licentia paene oppressi, efflagitabant, ut abhinc Gothi apud fundorum possessores collocarentur. At cum iam in eo esset, ut illud a praefecto et a Romano duce efficeretur, ditissimi recusaverunt: redimere se malle! Inde constitutum est, ut binis Gothorum in singulos menses singulae mensurae olei, ducenae librae lignorum, lectus lodixque penderentur. Quo audito (94) Gothi exacerbescere, properanter concurrere, id agentes, ut Romanum ducem, qui in palatio principis cuiusdam Barsae nomine commorabatur, interficerent. Ille, cum tumultum Gothorum scalas ascendentium audivisset, ubi quam celerrime loricam induit, gladio constricto ferratus in summis scalis se defendit. Sed nullum Gothorum necans gladium vibravit, ne se peterent. Itaque a Gothis et magis magisque sursum cum impetu succedentibus et, qui supra erant, ne porro escenderent, a Romano prohibitis scalae ita oneratae ac praegravatae sunt, ut corruerent: alii interfecti, alii detruncati sunt. Tunc ipsum temporis Romanus, in tectum cum sursum escendisset, per continua abhinc tecta elapsus est. Sed Romano licentiam compescere minime audente Gothi suo quisque modo saevire pergebant. — Deinde Celer Cpoli reversus, ut pacem componeret, cum se copiis Gothorum firmasset, per quinque menses Edessae commorabatur; sed illis Gothis collocandis Edessa non iam suffecit, ita ut per vicos ac monasteria longe lateque disponerentur. Sed longum est singulas exsequi licentias Gothorum, quibus in exponendis Iosua (96), ut qui ipse perpessus esse videatur, non sine acerbitate ac malevolentia quadam obtrectationeque refert; velut de Gothorum nonnullis, qui luculenter ac plane ebrii in cava praecipitabantur, vel de tectis monasteriorum paulum obdormiscentes decidebant. — Tantis igitur ac tam immanibus licentiis Edesseni innoxii ac quieti ita irritati sunt, ut chartis locis publicis clam affixis querimonias ad Celerem deferrent.

Sed haec de Gothis; restat, ut accurátius de pace componenda agamus. Amida igitur recuperata Celer aliquanto post Cpolim profectus est, ut Anastasium de bello certiorem faceret. Reliqui duces (87) per singulas urbes hoc modo distributi sunt: Areobindus An-

tiochiam, Patricius Melitenen, Pharesmanes Apameam, Theodorus Damascum, Calliopius Hierapolim copias secum duxerunt; quo factum est, ut paulisper Edesseni animos relaxarent ac resolverent. Sed Celer mense Aprili anni 506 copiis collectis Edessam revertit, unde ad fines profectus de pace ipsa componenda ageret. Dum Edessae commoratur, nuntius Persarum allatus est illum Aspebedum, qui pacem componeret cum Celere, iam mortuum esse; sed ipse Celer ne porro quam Edessam progrederetur. Celer igitur Edessae per quinque menses commoratus mense demum Septembri anni 506 inde profectus in confinio haud procul a Dara intra Ammudiam ac Marden (Theoph. p. 149, 2) substitit (Iosua 97). Illuc legatus Persarum ad Celerem venit obsidesque obtulit: si Celer pacem facere vellet, ipse pro acceptis obsides daret; tum vero utrique cum quingenis equitibus sine armis convenirent, ut consilia pacis inter se communicarent. Celer obsecutus obsides dedit et sine armis illo die, qui convenerat, Aspebedo obviam progressus est. Postremo tamen ne Persae insidias pararent veritus Celer toto exercitu profectus, si signum dedisset, celerrime milites accurrere iussit.

Cum Aspebedus cum suis et cuncti duces Romanorum convenissent, unus e Romanis cognovit, quicunque cum Aspebedo essent, sub vestimentis arma ferre. Pharesmane duce igitur certiore facto Romani signum quod convenerat dabant, ut Aspebedum et qui cum eo erant, caperent. — Cui narratiunculae, quae ficta esse videtur, ut Romanorum illa turpissima proditio purgaretur atque excusaretur, multum non tribuendum est, quamquam concedendum est ex alio fonte, num revera sic se habuerit res, examinari non posse. — Copiae igitur Persarum, cum Aspebedum reliquosque captos esse audivissent, metu perterriti Nisibin confugerunt. Aspebedum vinciri eosque, qui cum eo erant, vel necari Celer vetuit, ne causa belli denuo daretur, et incolumes dimisit. Tum Aspebedus, cum Nisibin pervenisset neque Persas quippe pertimescentes contra Romanos educere posset, ut ignaviam Persarum Romanos celaret, filiam Nisibin arcessivit, ut more Persarum uxorem duceret. Magistro nuntianti Aspebedum, etiamsi solus veniret, attamen sacrosanctum fore, ille nuptias praetexuit.

Nonnullis diebus post cum Aspebedo tandem egresso Celer, cum res propositas exposcere amore pacis destitisset, foedus de pace per Armonium a secretis (Marc. Com.) in septem annos (Proc. p. 45, 8) composuit. Documentis obsignatis constitutum est, ut per quoddam tempus arma ferre alteris in alteros non liceret. In universum tamen cuncta in integrum restituta sunt.

Ac tum quidem, id quod supra (p. 178) commemoravimus, litterae Anastasii allatae sunt, quibus Celeri et Calliopio, si opus esse putarent, tributa ut Mesopotamenis remitterent, permisit. Illi igitur per regionem Amidae tota, per Edessae dimidia vectigalia remittenda curaverunt.

Die duodetricesimo mensis Novembris Celer cum omnibus copiis a finibus profectus Edessam pervenit. Quamquam Edessenis, cum antea propter Gothorum licentiam in Celerem fremuissent, paulum irascebatur, tamen a sancto Barhadade commotus est, ne quid irae tribueret. Etenim Edesseni luculenter exsultantes cum laetis sacerdotibus monachisque atque cuncto clericorum ordine urbe rite egressi sunt. Celer ipse, cum copiae eodem die porro iter facere iuberentur, per tres dies Edessae commoratus praefecto Eulogio ducentos denarios distribuendos dedit.

Tum denique Mesopotameni tantis tamque variis atque immanibus calamitatibus vexati ac paene oppressi laetitia victoriae elati sunt.

Hoc igitur modo Iosua magnificis atque egregiis de pace patrata verbis collaudationibusque Anastasii adiectis finem belli Persici exponendi facit.

Sed quandoquidem ad finem belli ipsius pervenimus, hoc unum Theophanis (p. 149, 3) verbis usi perpendamus: finit enim narrationem belli Persici his verbis: 'anno imperii Anastasii quinto decimo bellum confectum est, cum per tres annos perseveravisset.' Hoc quidem non prorsus recte se habet: nimirum bellum ipsum a Cavade illatum est die vicesimo altero mensis Augusti anni 502, confectum est die vicesimo octavo mensis Novembris anni 506; attamen bellandi si spatium perpenditur, illa Theophanis verba comprobanda sunt: nam post Amidam a Romanis recuperatam, nimirum mense Ianuario anni 505, indutiae initae sunt.

De Dara communita.

Bellum Persicum ab Anastasio gestum accurate exponentibus, cur ac quomodo Dara exaedificata ac communita sit, plane intellegi non potest nisi res illius temporis perpenduntur. — Sed antequam de Dara agamus, pauca verba facienda sunt de Theodosiopoli eadem condicione eodemque tempore communita.

Primo impetu a Cavade fines Romanorum invadente Theodosiopolis capta iam eiusdem anni sub fine ab Eugenio in potestatem

Romanorum redacta erat (Iosua 52). Bello confecto Theodosiopolis, quod castellum in colle parvo situm erat, ita ut ab hostibus facile capi posset, novo muro communita est (Proc. p. 48, 11); neque tamen ita, ut non postea Iustinianus vallo idoneo fossaque altissima circumdare cogeretur, praesertim cum locus proxime editior quidam castello nimis immineret (Proc. de aedif. p. 255). Sed commutatio nominis Theodosiopoleos publica ab aequalibus non comprobata est.

Eodem ferme tempore Anastasius Melitenen et Martyropolim moenibus[1]) cingere coepisse putandus est (Proc. de aedif. p. 254, 23; p. 249, 20 sqq).

Sed multo gravius erat, quod Anastasius Daram[2]) communivit. Atque in singulis exponendis auctoritatem sequamur Zachariae, qui uberior reliquis scriptoribus rerum est, cum Marcellinus Comes secundum, Procopius, quod quidem ad propositum pertinet, tertium locum obtineat, Iosua (90) perpauca faciat verba.

Duces Romanorum, qui bello confecto Cpolim redierant, Anastasius vehementer obiurgavit, quod Persas acie non modo non vicissent, sed ne Amidam quidem nisi auro recuperavissent. Illi vero excusabant quod neque Nisibin Cavade ipso absente ob machinarum tormentorumque inopiam capere poterant, neque arces refugiave crebra idoneaque erant, neque aqua commeatusque illorum castellorum sufficiebant; nam Romanos, cum inde a Constantina Amidave in hostes profecti erant, ne insidiis vel proditione circumvenirentur, perpetuo metu affectos esse, quandoquidem non habuissent, quo confugerent. Itaque duces ab Anastasio petiverunt, ut in confinio prope montes urbs aedificaretur ac communiretur, quae exercitui perfugium atque statio, officina armorum regionis Arabicae praesidium adversus Persarum Arabumque latrones esset.

Alii Daram, alii Ammudiam communiendas esse statuebant, quae loca viginti stadiis inter se distant (Proc. p. 61, 16). De situ Darae rectissime atque accuratissime Marcellinus Comes (518) haec refert: Dara „sexaginta ab Amida civitate miliario ad austrum sita et quindecim milibus a Nisibino oppido ad occasum distans.“ Eodem ferme spatio, nimirum nonaginta octo stadiis, adnotat Pro-

1) Cf. supra p. 194.

2) Cf. Pauly-Wissowa s. v. Dara. Eduardi Sachau libri, quem composuit de itinere suo per Syriam et Mesopotamiam facto, conferas quaeso pagg. 394—398; praeterea quae de Darae ruinis protulit, tabula pusilla (p. 398) exornavit.

copius Daram a Nisibi distare, adiciens Daram duodetriginta stadiis a finibus ipsis imperii Romanorum regnique Persarum distare.

Anastasius igitur ad Thomam, episcopum Amidenum, misit; ille gromaticum quendam misit, qui scarifum illius regionis conscriptum Anastasio traderet. Anastasio eiusque consiliariis placuit, ut vicus Dara ad urbis modum exaedificaretur: itaque Thomae episcopo pro vico, qui patrimonium ecclesiasticum erat, summa auri data illum fisco Caesaris addixit, omnes paroecos manumisit et agros aedificiaque manumissis suppeditavit. Tum ad ecclesiam Darae aedificandam nonnulla centenaria auri dedit seseque iureiurando obstrinxit cunctas pecunias, quas episcopus impendisset, abunde se restituturum nec quicquam deminuturum esse (= Amidensi ecclesiae reditum pensavit: Marcellinus Comes). Denique imperator nullo nisi episcopo suadente codicillis edixit, ut exstrui Dara statim inciperetur; cuius „humilis villae", ut Marcellini Comitis utar verbis, „casas Anastasius imperator ob condendam ibi civitatem dato pretio emit, missisque continuo praefabris construi praecepit: Calliopium deinde Antiochenae urbis patricium huic operi praefecit." Presbyteri Cyrus, Addo, Eutychianus, et diaconi Paphnutius, Sergius, Ioannes atque alii ordinis Amideni clericorum munere praesidum fungebantur; episcopus Amidenus et Pharesmanes aedificationem interdum inspiciebant. Undique, quin etiam ex regionibus maritimis opifices, lapidarii, operarii cuiusvis generis quam plurimi collecti sunt, ut quam celerrime aedificia et munimenta exstruerentur. Anastasius enim lucrum ac praemium cuiusquam deminui non modo non vetuerat, sed etiam largum pretium operae solvi iusserat. Quod cum innotuisset atque re ipsa confirmaretur, ruere cuncti, ita ut nonnulli miselli ex illis pretiis mediocres facerent divitias et aliquatenus locupletarentur. Zacharias affirmat exempli causa operarium in dies quaternas siliquas et, qui iumentum asinorum adhibebat, octonas lucratos esse. Sed cum Romani Persarum impetus pertimescentes festinantius aedificationem agerent, non prorsus ad amussim res perfecta et expedita est. Procopius (de aedif. p. 210, 25), qui ipse in illa regione (l. l. p. 221, 2) versatus est, nonnulla singulatim persequitur: lapides singuli neque ad artem impositi neque, ut iustum erat, calce restincta arenataque coagmentati erant, ita ut paulo post turres corruerent, cum neque frigori neque fervoribus aestivis obsistere possent.

In urbe magnum palatium[1]) duae balneae publicae, ecclesiae,

1) hoc palatium commemoratur a Procopio historiam Ioannis tyranni Dareni enarrante (p. 143, 1, 9, 22).

porticus (Ioannes Malalas p. 399, 15), conspicua horrea, aquaeductus[1]) inde ab radicibus montis et media in urbe mirabilis cisterna[2]), ut receptaculum aquae esset, exstructa sunt. Tum Darae nomen Anastasiopoleos inditum est et Anastasii statuae positae sunt. Anastasius etiam reliquias S. Bartholomaei Apostoli Daram transferri iussit (Theodorus Lector II 57). De aliis munimentis atque aedificiis Marcellini Comitis audias verba: „..... collem in planitiem desinentem mira sagacitate ob fundamenta locanda sulcum sarculo designavit, murisque firmissimis fascia tenus consummatis undique texit. Rivum quoque, qui ex praedii nomine, iuxta quod nascitur, Cordissus[3]) nominatur serpensque murmurat, quintoque miliario eundem collem dividit novamque civitatem, concesso utrique ostio prolabentem inclusit. publicis praeterea moenibus decorata civitas ..... ingens huius frontispicium civitatis in editiori loco constructa murisque continuata turris Herculea sic nomine dicta suspicitur Nisibin quidem ad orientem, Amidam huius ad aquilonem respiciens.“

Sed haec hactenus; Anastasius saepe rationem sibi reddi iussit et, cum opus erat, aurum misit. Denique aurum ab Anastasio solutum numeratum est; episcopus per litteras affirmavit fideliter munere se functum esse neque quicquam intervertisse. Itaque Anastasius Dara aedificata neque a se neque ab eis, qui postea purpuram induerent, Thomam eiusque ecclesiam ad rationem impensarum revocatum iri iuravit. Primus episcopus presbyter Eutychianus consecratus et constitutus est; ecclesiam Anastasiopolitanam vectigalibus Amidenae solvendis imperator levavit. — Sed alia, quae Zacharias de ordine clericorum profert, cum ad propositum non pertinere videantur, mittamus.

Daram igitur exaedificans atque communiens Anastasius foedus a Theodosio Minore cum Persis factum, ne neutri in suo regno prope alterius fines (Proc. p. 10, 5; de aedif. p. 210, 9 sqq.) ullam munitionem exstruerent, contumeliose — sed prudentissime! — violavit ac rupit. Quocirca Cavades, utpote in quem ipsum barbarae gentes, sicut exposuimus, vehementer inveherentur, parvam manum Nisibi misit, quae Romanos tamen quin exstruere pergerent impedire non poterat, cum moenia iam satis praesidio essent. Cavadis igitur de tanta iniuria querimonias Anastasius minis, amicitia praetexta, pecunia satis magna data resolvit.

1) Cf. Sachau l. l. p. 396. 2) Cf. Sachau p. 397.
3) Procopius (de bell. Goth. p. 489, 17 ed. Bonn. de aedif. p. 214, 8 sqq.) illum fluvium, quem Corden vocat, accuratissime depingit.

Etenim revera Anastasius urbem, cui suum nomen optimo iure indidit, tamquam faucibus hostium imposuit, ut Ioannes Lydus (p. 116, 12; 137, 15 sqq.) haud inficete salseque dicit.

Iam restat, ut ratio temporis perpendatur: Iosua ad annum 505/6 Anastasium Daram communiri iussisse, Zacharias intra duos vel tres annos Daram subito tamquam succrevisse referunt; unde efficitur, Theophanem illam narrationem anno 6000 = 507 p. Chr. n. cum subnecteret, non prorsus errasse.

Haec habui, quae de bello Persico ab Anastasio acerrime gesto proferrem, quod ex aetate Theodosiana primum illorum atrocissimorum bellorum a Persis Romanisque gestorum fuisse constat.

Kaerst, J., Geschichte des he… Band: Die Grundlegung … gr. 8. geh. ℳ 12.—, geb. ℳ …
— die antike Idee der … und kulturellen Bedeutu… [IV u. 88 S.] gr. 8. geh. ℳ …

Kern, O., die Landschaft Thes… Vortrag, gehalten am 10. Okt… Philologen und Schulmänne…

Kultur, die hellenische, darge… und Richard Wagner. Mit … 400 Abbildungen im Text … gr. 8. geh. ℳ 10.—, geb. …

Lehmann, M., die Angriffe de… britisch-kriegsgeschichtlich… und 8 Abbild. [X u. 300 …

Leo, Fr., die griechisch… litterarischen Form. [III …

Lexicon Plautinum conscrip… sc… [96 S.] Lex.-8.

Lexikon, ausführliches, d… thologie. Im Verein … W. H. Roscher. Mit zahlr… Penia—Phoinix. [Sp. …

Lucretius … … … … … ma… Scholiorum edidit … u. 92 S.] gr. 8. geh. ℳ …

Magie, D., de Romanorum iu… in Graecum sermonem … geh. ℳ 8.80.

Otto, Walter, Priester und … Ein Beitrag zur Kulturges… [1… S.] gr. 8. geh. ℳ 1…

Raeder, Hans, Platons ph… Königlich Dänischen … Preisschrift. [IV u. 435 …

Roemer, A., Studien zu … denselben. 1. Teil: D… Nebst Beiträgen zur Erk… Grund unserer antiken …

Schilling, Ludovicus, quae … latio ex supplemento … expressa. [116 S.] gr. …

Stoicorum veterum fragm… Zeno et Zenonis discip… Vol. II. Chrysippi fragme… geh. ℳ 14.— Vol. III … successorum Chrysippi.

Waszynski, St., die Bode… 17… S.] gr. 8. geh. ℳ 6.— …

Sammlung wis…
zu griechischen …

Aetna. Erklärt von S. Su… geh. ℳ 7.—

Lucretius De rerum nat… u. 208 S.] gr. 8. geh. …

Sophokles Elektra. Erk… geh. ℳ 6.—, geb. ℳ …

P. Vergilius Maro Aen… geh. ℳ 12.—, geb. …

Bibliotheca scriptorum
Graecorum et Romanorum Teubn

lciphronus Rhetoris epistularum libri IV.
Accedunt duae tabulae phototypicae. [XXVI u.
geb. ℳ 3.60.

ntonini, Marci, imperatoris commentarior
scripsit libri XII. Iterum rec. I. Stich. [
ℳ 2.40, geb. ℳ 2.80.

ppiani historia Romana. Rec. Ludovici Mende
P. Viereck. Vol. II. [XVI u. 645 S.] geb. ℳ

ulei opera quae supersunt. Vol. II. Fasc.
Madaurensis pro se de magia liber (Apologia).
[II u. 120 S.] geh. ℳ 2.40, geb. ℳ 2.80.

gustini, Sancti Aurelii, Episcopi, de civita
Tertium recognovit B. Dombart. Vol. I: Libr.
Vol. II: Libr. XIV—XXII. [XVI u. 635 S.] geh. je ℳ

dori bibliotheca historica. Edd. Bekker-L. Di
Vol. I. [XCVI u. 533 S.] Vol. II. [LXV u. 461 S.]
u. 418 S.] Vol. IV. Ed. Fischer. [XLVIII u. 407
geb. je ℳ 6.60. Vol. V. [U. d. Pr.]

onati, Aeli, quod fertur commentum Terenti.
commentum et Scholia Bembina. Recensuit Paulu
[L u. 542 S.] geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 10.80. Vol.
geh. ℳ 12.—, geb. ℳ 12.80.

onati, Tiberi Claudi, Interpretationes Verg
Georgii. Vol. I: Aeneidos Libri I—VI. [XLVI
ℳ 12.—, geb. ℳ 12.—

eorgii Acropolitae opera rec. A. Heisenberg. Vol. I.
geh. ℳ 8.—, geb. ℳ 9.— Vol. II. [XXVI u. 120 S
geb. ℳ 4.20.

rani Liciniani quae supersunt. Recognovit et a
instruxit M. Flemisch. [XVIII u. 58 S.] geh. ℳ 1.—

erondae mimiambi. Novis fragmentis auctos quart
Crusius. Accedunt Phoenicis coronistae, Mattii mimi
menta, Mimorum fragmenta et Specimina varia nuper
minor. [VI u. 132 S.] geh. ℳ 2.40, geb. ℳ 2.80.

ani, M. Annaei, de bello civili libri X. Ed. C.
u. 374 S.] geh. ℳ 4.40, geb. ℳ 5.—

usonii Rufi, C., Reliquiae. Ed. O. Hense. [XXX
geh. ℳ 3.20, geb. ℳ 3.80.

nii Marcelli de conpendiosa doctrina libros XX
copiis usus edidit Wallace M. Lindsay. Vol. I—III: li
indices. [XLIV u. 997 S.] geh. ℳ 17.20, geb. ℳ 19

ανίου Ἑλλάδος περιήγησις. Pausaniae Graeciae
Rec. Fr. Spiro. Vol. I—III: libri I—X et index. [XX
geh. ℳ 7.60, geb. ℳ 9.20.

λυβίου ἱστορίαι. Polybii historiae. Editionem a L
consilio curatam retractavit Theodorus Buettner-Wobst.
Vol. I. [L u. 361 S.] geh. ℳ 4.40, geb. ℳ 5.—
350 S.] geh. ℳ 4.40, geb. ℳ 5.— Vol. III [XXIV u.
ℳ 4.40, geb. ℳ 5.— Vol. IV. [XVI u. 552 S.] geh.
ℳ 5.60. Vol. V (Appendix). [251 S.] geh. ℳ 2.40, geb

Procli Diadochi in Platonis Timaeum commentaria e
Diehl. I. [LII u. 476 S.] geh. ℳ 10.—, geb. ℳ 10.8

Procopii Caesariensis opera omnia. Recognovit Iacobus H
De bellis libri I—IV. Opus ab Academia Regia Bavar
Zographico ornatum. [LXIV u. 552 S.] geh. ℳ 12.—
Vol. II: De bellis libri V—VIII. [II u. 678 S.] geh. ℳ 12.— ge

Quintiliani quae feruntur Declamationes XIX: Ma
G. Lehnert. [XXXI u. 490 S.] geh. ℳ 12.—, geb.

Vegeti Renati digestorum artis mulomedicinae li
Lommatzsch. [XLII u. 342 S.] geh. ℳ 8.— geb. ℳ

